W

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
30 — C
9
ROMA

Bibliothecę S. Marię Transpontinę.
DD. fr. Petrus Wemmers Carmelita.

# DOCTISSIMI
# DISCVRSVS
IN QVIBVS
## SS. PATRVM SENTENTIIS,
CONCEPTIBVS MORALIBVS,

ET

VARIIS RERUM SIMILITUDINIBUS,

Res gestæ vitæque Sanctorum doctè non minùs quàm dilucidè exhibentur.

*Ex operibus Illustriss. & Reverendiss. Dom. D.* PAVLI ARESII *Dertonensium Episcopi collecti, translati, summariis ac indicibus locupletati.*

Per R.P. PETRVM VVEMMERS Ordinis Carmelitarum Regular. Observant.

ANTVERPIÆ,

Apud Viduam IOANNIS CNOBBARI, Anno M.DC. XLVII.

*Cum gratiâ, & Privilegio.*

Digitized by Google

PERILLVSTRI

AC REVERENDISSIMO DOMINO

# D. GASPARI NEMIO

SEXTO ANTVERPIENSIVM

EPISCOPO.

VI magno feruntur Pelago, Reverendiſſ. Domine, aut per incognitas terras, ſub alieno deliteſcentes habitu errabundi diſcurrunt: magni faciunt ſi quempiam aut viæ pericula, aut divertendi commoditates edocentem reperiant: Ex eo ſiquidem cunctas itineris difficultates ſuperatas autumant. Non aliter ego cùm hiſce primis conatibus fructus ex alieno ſolo depromptos, in publicam transferre utilitatem contenderem, veritus ne ſub aliena ſpecie occultati, aut rudiori diſſerendi modo adumbrati, alienum quid ab humanitate patiantur; vel ſeverioris cenſuræ fluctibus in Scyllam, Charybdimque adacti naufragio in portu periclitentur; neceſsitate compulſus, viæ ducem, ac defenſorem iis conquirere cogor; ne patre, & tutore orbati, dum ſeſe attollere putant, lapſu graviore ruant. Te igitur Reverendiſsime Domine, quem præ omnibus & auctoritate pollentem, & pie-

tate ac prudentiâ præcellentem cognoſco, in patrem ac propugnatorem humili ſupplicatione depoſco; ut ſi minus eleganti ſermone ſuo principio impares viderentur, patroni ſaltē æqualitate gauderent: ac ſub illuſtri amplitudinis Tuæ tutela recepti, hanc lucem ſecurè intueri, ne vagâ ferantur aurâ, confidunt. Eadem ergo benignitate, quâ allicere dignatus es, patrocinium exhibe; ſe clientem eâ quâ par eſt, animi ſubmiſsione præſtabunt. Nec vana futura ſpes eſt; ea ſiquidem eſt Tua in rebus publicis gerendis induſtria, in divinis ad pietatem promovendis ſolertia, ut meritò ad dignitatis Eccleſiaſticæ apicem evehi potueris. Quod licet Antuerpia ſemper agnoverit; clariori tamen ratione enituit, dum hiſce turbulentiſsimis temporibus, quibus undique telis inimicorum appetiti, jam à divinâ videbamur derelicti clementiâ; Tuus indefeſſus in adhortando zelus, in promovendo ſedulitas, & particularis in præeundo pietas in tantum effulſit, ut vel eo ſolo, ab hoſtium furore videamur erepti; ſileo reliqua, ne modeſtiſsimas aures offendam potiùs quàm alliciam. Hoc unum expoſtulans, ut eâ animi comitate, quâ cunctos amplecteris, etiam hunc meum qualemcumque laborem ſuſcipere digneris. Par enim erat tantam ſcientiæ fodinam in Alpibus Italicis repertam, non illis ſolùm, qui linguæ idiomate potiuntur communicare, verùm etiam latinæ linguæ peritis eumdem patefacere: & uberrimos concionum fructus ex hac copioſa

piosa segete provenientes, nostro Belgio non abscondere. Hoc igitur munusculum in gratitudinis argumentum quô me & ordinem nostrum prosequi semper dignatus es, vestræ Dominationi Reverendissimæ oblatum, pio favore, & benigno intuitu suscipe & fove, quo fiet ut fructum non exiguum laboris me consecutum putavero, ac pro salute & prosperitate V. D. Reverendiss. rogaturum perpetuò devincies. Quam Deus nobis semper incolumem conservet. Ex Carmelo nostro Antuerpiensi die VI. Iuni. Anni M. DC. XLVII.

Perillustris & Reverendiss. Dominationis vestræ

*Humillimus & obsequentissimus Cliens*

Fr. PETRVS VVEMMERS
Carmelita.

PRVDENTI
AC BENIGNO
# LECTORI.

*VANTÆ sint doctrinæ & æstimationis, benigne Lector, opera illustriss. & Reverendiss. Dom. D. PAVLI ARESII Dertonensium Episcopi, quantoque in pretio à plerisque habeantur, vel ex eo clarissimè patet, quòd viri etiam non indocti magnis sumptibus ex variis Italiæ partibus illa sibi conquirant, conquisita summâ sedulitate perlegant, & jugi studio perlecta conservent; nec immeritò, asserentes se unico Aresio (dicto absit invidia) plus proficere in discurrendo, plus emolumenti adferre in concionando, quàm cæteris omnibus. Nec te detineat admiratio renitentem, cùm in hoc eruditionis speculo discursus morales aptè dicti, & dispositi ornatè, conceptus Theologici sublimes, scripturæ sacræ, sententiarum expositiones non indoctæ; tantæ tum humanæ, cùm divinæ potissimùm scientiæ profunditatem referant, ut vel omnem tibi materiam peritè apteq; vel verbo vel scripto disserendi subministrent. Vtpote qui de Deo trino, & uno, de Christo ejusque susceptæ humanitatis mysteriis, de B. Virgine ejusdemque festivitatibus, de Angelis, de omnibus sanctis in communi & particulari, de virtutibus & vitiis, de Ecclesia Catholica militante & triumphante, aliisque diversis, doctè, utiliter, ac mysteriosè discurrat: quibus celeberrimum opus de tribulatione inscriptum annecte, in quo singularis auctoris industria, & in discurrendo elegantia noscitur eminere: ita ut inter*

ter

ter fratres suos ut alter Ioseph eluceat. In hoc siquidem quinquaginta lectionibus seu discursibus, tanta rerum copiâ & verborum energiâ, de omni quod in cælo & sub eo est, inquirit, utrum aliquam nobis tribulationis viam aperire possint, ut nihil vigilantem auctoris calamum effugisse rear; adhibendo singulis diversa media, quibus susceptis, ad finem optatum hæc prosperè, dirigi valeant. Auctor insuper discursus suos tribus potissimùm modis confirmat, doctissimis SS. Patrũ sententiis, S. Scripturæ auctoritatibus, & variis rerum descriptionibus ac figuris; ita ut lectorem erudiendo delectet, & docendo perficiat. In operum quippe suorum præfatione desiderabat, discursus suos vino optimo simillimos effici, (quod Italicè vocat, dolce piccante) id nempe non delectat solùm, sed & sitim extinguit.

Ne igitur hæc præclarissimi viri industria, ab omnibus expetita, & à nemine hactenus Latinè reddita, inter paucorum manus, quasi dulcissimum vinum penuario reconditum, linguarum peritorum gustui tantummodo deserviat: publicæ utilitati consulens, primus manum operi admovi, ut non eleganti adeò quàm vulgari latinitate donatã, quam omnibus gratam, & profuturam præsagâ mente conspexeram, omnium appetitui depromerem. Accedite igitur & accurrite veluti ad officinam omnigenis mercibus locupletatam; invenietis sanè materiam concionibus formandis non ineptam, eloquio ac facili verborum energiâ superabundantem. Si autem quid piam rudiore minervâ exaratum, aut non eâ quâ par erat proprietate translatum offensionis lapidem alicui exhibeat, eum cum magno Ecclesiæ interprete S. Hieronymo in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi contrà Palladium Galatam taliter amoveat Lector

*ctor benevolus, cogitetque;* Difficile esse alienas linguas insequentem non alicubi excedere, & arduum ut quæ in alia lingua bene dicta sint, eumdem decorem in translatione conservent, significatum est aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum quo id efferam, & dum quæro implere sententiam longo ambitu, vix brevis viæ spatia consumo. Accedunt Hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum, ipsum postremò suum (ut ita dicam) vernaculum linguæ genus; si ad verbum interpretor absurdè resonant, si ob necessitatem aliquid in ordine vel sermone mutavero, ab interpretis officio videor recessisse &c. *Ex quibus patet quàm sit difficile alienas linguas interpretari, & tam accuratè singula reddere, ut suis proprietatibus cuncta respondeant: idque vel maximè in lingua Italica, quæ tot verborum flosculis & ornato dicendi modo suos format discursus, ut si cuncta Latino sermone reddere vellem, tædium prius legenti, quàm utilitatem perscrutanti parerem. Quapropter hæc nostra translatio, non verbis verba, sed sensum sensui reddere conatur: eâ tamen proprietate discursus singulos, & conceptus efferens, quâ vellem ab omnibus claritate cognosci, & æquitate dijudicari; nec aliquid me dempsisse arbitror vel adiunxisse, quod in præjudicium cederet auctoris, vel ad operis imperfectionem quidpiam adesse pateretur.*

*Quod si discursuum exordia amplius æquo videantur extendi; noveris benevole me in hoc Auctoris exemplar, modumque imitari debuisse; cùm ipse rerum singularum proprietates, &*

*naturam*

*naturam virtutibus Sanctorum applicet, ideoque necesse fuit cuncta referre, & nihil omittere. Auctor quoque remedium & rationem suæ prolixitatis in præfatione ad librum primum de Sanctis adfert: sic inquiens.* Si nimis prolixè discursus distendere videor, cogitet Lector, me in variis materiis describendis, non posse brevitatem sectari, meque hoc opus assumpsisse ut Lectorem varietate delectarem, & eruditione perficerem; cui curiosarum rerum descriptiones non placent, medullam doctrinæ accipiat, non hærendo in principio Corticis, sed conceptuum penetrando discursus; qui si longiores sint, breviores accipiat, inveniet sanè materiam dicendi amplissimam. *Idem Martialis Poëta consilium suis dabat;*

Si nimius videor seraque Coronide longus
Esse liber, legito pauca libellus ero.

*Vt huic insuper difficultati succurrerem, summaria ex omnibus discursibus colligendo, singulis præmisi, suisque numeris breviter apteq; digessi; quibus perlectis, facili negotio quisque cognoscere poterit, quid sibi ex quovis discursu ad utilitatem profuerit. Notationes quoq; marginales addidi, ex quibus breviter totam rei seriem colligas, Copiosissimos insuper indices; Discursuum, sententiarum Sacræ Scripturæ, totiusque materiæ adjunxi, in quibus singula suo ordine pro conatu, adeò exactè digesta sunt, ut nihil in toto opere latere posse rear, quod subito per numeros conquisitum, non valeat reperiri.*

*Collegi autem primò Discursus de festis Sanctorum totius anni, quia concionatoribus gratiores futuros existimo, utque fe-*

 *licibus*

*licibus Sanctorum auſpiciis opus adjutum, facilius prodire queat. In fine quoque Diſcurſum de B. Virgine eo uſque ad Lectoris uſum exhibui, donec reliquarum feſtivitatum, uberiorem copiam in lucem proferre valeam.*

*Noſtro igitur, benigne Lector, arride labori, conſtantiam applaude, & æquo animo ſtylum, licet non eâ quâ optares eloquentiâ ornatum, aut eo quo deſiderarem nitore politum; ad multorum tamen profectum, & lucubrationem ſublevandam, animarumque ſalutem procurandam apprimè conducentem, facili, & perceptibili periphraſi ambages labiryntheos fugientem exaratum ſuſcipe, & plurimùm vale.*

**FA.**

# FACVLTAS
## GENERALIS ORDINIS.

AVctoritate nostrâ tenore præsentium licentiam impertimur R. Patri Baccalaureo PETRO VVEMMERS nostræ Provinciæ Belgicæ professo Sacerdoti, ut typis mandare valeat librum, cui titulus est *doctissimi Discursus, in quibus SS. Patrum sententiis, conceptibus moralibus, & variis rerum similitudinibus res gestæ vitæque Sanctorum doctè non minus quàm dilucidè exhibentur. &c.* Si tamen ab aliquo Religioso nostro docto fuerit lectus, & approbatus. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ in Conventu nostro S. Mariæ Transpontinæ de Vrbe die 28. Octobris. 1646.

*Frater* LEO BONFILIVS *Generalis Carmelitarum antiquæ observantiæ Regularis.*

Locus ✠ sigilli.

# APPROBATIO.

Ex commissione Reverendissimi in Christo Patris Magistri P. Leonis Bonfilii Prioris Generalis Ord. nostri Carmelitarum Reg. Antiquæ Obs. cum maxima animi mei satisfactione perlegi librum cui titulus est, *Doctissimi Discursus, in quibus SS. PP. sententiis, conceptibus moralibus, & variis rerum similitudinibus, res gestæ, vitæque Sanctorum, doctè, non minùs quàm dilucidè exhibentur. Ex operibus Illustr. & Reverendissimi D.D. Pauli Aresii Dertonensium Episcopi collecti, translati, summariis ac indicibus locupletati per R. P. Petrum VVemmers Ord. Carmelitarum.* Et nihil in eo Orthodoxæ Catholicæq; fidei adversum, aut Christianis moribus contrarium; quin immò plurima fidei nostræ majori splendori, moribusque in melius formandis servientia, reperi. Opus sanè præclarum, numeris omnibus absolutum, pondere, elegantiâ, doctrinâ, & veritate refertum, ac ob rarum ingenii Authoris acumen, summam judicii maturitatem, admirandam conceptuum subtilitatem, singularem in quovis scibili eminentiam, &, quod caput est, claram admodum & dilucidam Sacræ Scripturæ loca, etiam obscuriora & difficiliora interpretandi & explanandi rationem, dignissimum meo (licet exili) judicio, censeo ut typis mandatum in lucem prodeat, & ad quorumcumq;, maximè verbi Dei Præconum, Italici idiomatis ignarorum, necnon aliorum utilitatem, publici juris fiat. In quorum fidem &c. Datum in Carmelo nostro Antuerpiensi hac 31. Maij 1647.

Fr. Angelus Michaelis. S. T. Professor Ord. Carm. Reg. Antiquæ Obs.

## CENSVRA.

DOctissimos hos discursus, ex operibus Illust. ac Reverendiss. D.D. PAVLI ARESII, Dertonensiũ Episcopi, collectos, translatos, & summariis, ac indicibus locupletatos per R. P. PETRVM VVEMMERS, Ordinis Carmelitarum, uti raram multamque doctrinam, & verbi Dei præconibus utilem, in se complectentes, nihil verò Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrarium, prælo dignos censui 7. Iunij 1647.

GVIL. BOLOGNINO *S. Th. Licent. Canon. & Lib. Censor. Antuerp.*

# SYLLABVS

## DISCVRSVVM.

# IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI.

## DISCVRSVS PRIMVS.

*De causis Circumcisionis, & ingenti Christi amore patiendi pro nobis.*

Lampas emuncta Salvator circumcisus.

*Vt luceat omnibus.*

### SVMMARIVM DISCVRSVS.

*Naturam, & proprietates lampadis refert num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6.

*Cur Christus lampadi comparetur ostendit num.* 7. 8. 9.

*Causas circumcisionis demonstrat num.* 10.

*Ardens patiendi desiderium Christi exhibet num.* 11. 12. 13. 14.

*Diem Circumcisionis designat n.* 15.

*Particulam ut declarat* 16. 17.

*Obligationem qua Christo obstringimur prosequitur n.* 18. 19. 20 21. 22.

*Ingratitudinem nostram, causam efficientem, ac finalem, & quomodo omnibus illuxerit, à num.* 23. *ad finem usque describit.*

*Lux pulcherrima.*

1. VAMVIS ex omnibus quę in præclarissimo hoc mundi theatro resplendent, nihil pulchrius, nihil clarius, nihil denique purius ipsâ luce reperiatur; in qua nulla deformitatis umbra, nulla inordinata dispositio, nulla superfluitatis species reperiri potest: attamen illa in lampade oleo, & ellychnio fota, emunctorio quandoque indiget. Quod dexterè adhibitum, sordes auferendo splendorem flammæ adjungit, scindendo perfectionem, & minuendo donat incrementum. Emunctoriorum etenim tam antiquus est usus; ut Deus omnipotens, cùm in lege veteri per Moysen Arcam, & omnia præparari jussisset, etiam horum particularem mentionem fecerit: *Emunctoria quoque, & ubi ea quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purißimo.* Quasi dicere vellet. Instrumentum quod luci inservire debet, & ipsam pur-

*Alteri materiæ conjuncta, non conservatur pura.*

*Antiquus emunctoriorum usus.*

*Exod. 25. 38.*

*Qualis esse debeat qui alium corripit?*

purgare, si non possit fieri ex ipsa luce; fiat ad minus ex isto metallo, quod magis ad luminis splendorem accedit. hoc dicto nos admonens, alienarum imperfectionum emunctorem ex auro debere esse purissimo, ut nimirum in vitæ puritate decor virtutum resplendeat, & tantâ dexteritate sciat hoc munus perficere, ne nimiâ acrimoniâ, aut immoderato rigore, hoc quod superest luminis extinguat potiùs, quàm augeat accensum. Adeò quoque subtiliter superflua tantùm demat, ut fumum scandali, aut fœtorem mali exempli inde nasci non permittat. Quinimò sicut in emunctorio pars illa ellychnii absconditur, & extinguitur, ita ipse in pectore suo proximi imperfectiones nedum abscondere, verùm etiam extinguere debet, nè ad aliorum notitiam pervenire possint. Hinc Sapiens rectè nos edocet; *Audisti verbum adversus proximum tuum, commoriatur in te*; ut videlicet non solùm sit mortuum, & sepultum apud alios, sed etiam apud teipsum fit, non ut reus in carcere, qui semper dissolvi, & liberari desiderat, sed ut mortuus in sepulchro, cujus memoria citò perit.

*Quomodo correctio facienda?*

*Qualiter peccata proximi tegenda?*

Eccli. 14. 10.

*Quomodo clara lux nigrum quid producat?*

2. Et certè admirandum summopere est, quomodo emunctorio indigeat lucerna, & in medio splendidissimi luminis nigrum quid, & deforme instar fungi, aut carbonis generetur? Qualiterque ellychnium, quod naturâ suâ candidum, clarissimæ conjunctum luci, tam nigrum, & deforme fiat? Crescit insuper ex hoc admiratio, quòd oleum ellychnium replens, non solùm ad candorem magis, quàm ad nigredinem tendat, sed ex calore nitidius evadat, ut de cera idem refert Aristoteles. Cur etiam ex compositione horum trium, uno lucido, flammâ nimirum, altero candido, ellychnio videlicet, tertio denum inter album, & viridem colorem, quod est oleum, in summitate ejus aliquod nigrum, & deforme nascatur? Quòd homo, qui lucernæ comparari solet, inveterascat, & paulatim emoriatur; attribui fortè potest compositioni ejus ex materia, & forma, eò quòd sit contrariarum susceptivus qualitatum; membra quoque habeat contrarias dispositiones requirentia, ac cibis nutriatur non ex toto complexioni suæ proportionatis, (qualis fortè fuisset arbor vitæ;) lux verò quæ simplex est, non qualitatibus affecta contrariis, non ex partibus inter se pugnantibus cõposita, non ex natura sua nutrimento indigens, ut in Solis luce apparet, quomodo in ellychnio elanguet; & si emunctorio non adjuvetur, emoritur?

Aristot. sacror. probl. 38. cap. 1.

*Cur homo senescat, aut moriatur?*

*Cur lampas non semper æquè luceat?*

3. Hoc meo judicio non ex luce provenit, sed ex igne cui lux conjuncta est, oleoque, quod utriusque est nutrimentum: ex igne

*Hoc ex igne, & oleo provenit.*

igne quidem, quia hic suo ardore ellychnium exsiccat, & fumo quem secum adfert, denigrat; ex oleo verò, quia cùm hoc habeat partes densiores, & fœtidiores, quæ in flammam converti non possunt, illæ per modum excrementi adhærent ellychnio, redduntque illud (prout videmus) nigrum ingratumque visui, cujus sordidus tactus, & fœtidus odoratus; nec flammæ solùm nutriendæ ineptum, verùm etiam eamdem prorsus offuscans. Si illam ergo clarè lucere velimus, ab his sordibus purgemus, & emundemus necesse est. Hinc aliud solvitur problema rectè flammæ conveniens; Cur nimirum lampas, si ita cooperiatur, ut aërem admittere, & fumum exhalare non possit, subitò extinguatur? Respondent aliqui hoc fieri propter aëris defectum, qui per modum nutrimenti igni necessarius est. Sed si hoc verum esset, non opus esset tot pecunias consumere lignis emendis; si enim nutrimentum ignis sit aër, ligna superflua erunt; ut de Camaleonte dicitur quòd solo vescatur aëre. Nec ergò ad nutrimentum, nec ad sustentationem necessarius est igni aër, qui etiam sub cineribus, ubi aër non intrat, facillimè conservatur. Flamma igitur conclusa non propter defectum aëris extinguitur, sed propter abundantiam fumi, qui exitum non reperiens, flammam ipsam suffocat, & absorbet, vitam tollendo illi, à quo esse habuerat, & opprimendo virtutem, quæ ipsum in altum extulerat.

*Flamma abscondita cur extinguatur?*

*Non fit propter aëris defectum.*

*Aër non est nutrimentum ignis.*

*Flamma à fumo suffocatur.*

4. Majori è contrà honore flammam afficit lacus iste Palæstinæ, quem Græci Asphaltiten vocant: qui non solùm nihil vitâ præditum submergit, sed & lampadem accensam tamdiu ac flamma durat, per undas defert; mox verò ut flamma extincta fuerit, illam submergit. Romani antiquitùs lampadem summo quoque honore afficiebant; hanc quippe ut semel accenderant, numquam extinguere audebant, donec deficiente oleo, lumen ipsum deficeret. Cujus rei rationem Plutarchus inquirens, respondit, hoc illos fecisse propter reverentiam Ignis æterni, qui à Virginibus Vestalibus conservabatur: aut quia flammam animatam putabant, & sic species crudelitatis fuisset, ipsi vitam tollere; vel certè ut nos edocerent rebus ad vitam necessariis ita utendum, ut dum ea quæ necessitati nostræ sufficiunt acceperimus, reliquum aliorum usui relinquamus. Græci quoque lampades plurimùm honorabant, & quantùm imaginari possum, ipsis pro symbolo prudentiæ aut studii erant, proindeque dicebant, orationes Demosthenis *olere lucernam*; quia summo nimirũ studio, etiam nocturno confectæ erant.

*Flamma in aquis ardet.*

*Romani qualiter lampadem honorabant?*

Plutarch. opuscul. de quæst. Roman.

*Græcis symbolum prudentiæ lampas.*

*Lucerna Minervæ semper lucens.*

5. Clarius profectò signum erat lucerna aurea, quæ die noctuque ante Minervæ simulachrum appensa lucebat, supra quam ærea palma ad tectum usque templi consurgens, lucernæ fumum facilè diffundebat, ut refert Pausanias. Huic se conformantes Ægyptii, plurimas lampades dum solemne Minervæ festum celebrabant accensas tenebant. Apud Romanos similiter teste Lipsio moris erat fenestras, & portas lampadibus exornare, diebus festivitatis & gaudii, maximeque primo anni die, ut ex Tertulliano colligitur, qui sic ait: *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus solemnibus Regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur, & procedet de janua laureata, & lucernata.* Melius fortè dicerem lucernas honorasse Heliogabalum Imperatorem, qui loco olei ipsis balsamum infundebat pro nutrimento: nisi sicut in cæteris rebus, hic etiam ita prodigus fuisset, ut stultitiæ potiùs hoc, quàm prudentiæ ejus attribui debeat.

Pausanias lib. 1.

Lipsius c. 3. elect.

*In festis lampadum usus.*

Tertull. l. 2. ad uxorem.

*Heliogabali lampades balsamo ardebant.*

*Eropus Rex lucernas fabricabat.*

6. Præferamus ergo Eropum Macedoniæ Regem, lucernarum cultorem insignem, cui jucundissimum erat, manibus, quibus sceptra tenebat, illas fabricare. Theodosius etiam Iunior Imperator, lucernas in delitiis habebat; de nocte quippe consurgens, ad lumen lucernæ, in sacris studiis, & oratione vigilabat. Hæc autem lucerna tam artificioso opere elaborata erat, ut motu horologii adjuncti statuto tempore seipsam accenderet, ne domesticis suis ullam adferret molestiam; quod egregiè describit Nicephorus. Hæc fortè ex iis erat, quarum aliquæ modò extant, quæ horologii motu determinato tempore silicem percutientes, & dormientem excitant, & ignem lucernæ accendendæ ministrant. Sed cùm jam de artificiosis loquamur lucernis, non prætermittenda est illa, quæ in medio laternæ rotundæ, ad modū sphæræ confectæ, constituta, quomodocumque laternam vertas, illa semper erecta manet, ita ut oleum numquam effundi possit. Ex hoc quidam emblema conficientes, hoc dictum illi apposuere; *Latens alit quocumque versas.* Sed ex jam allatis lucernis, nulla est quæ laudem aut artificium antiquarum assequi possit; quæ juxta multorum opinionem, absque novo oleo, aut emunctione ellychnii perpetuò ardebant, quales in cœmiteriis Romanis repertæ fuerunt, de quibus alio in loco veritatem inquiremus.

*Lucerna artificiosa Theodosii.*

*Lucerna cum horologiis.*

*Lucerna rotunda.*

*Lucernæ perpetuò ardentes.*

7. Sciendum ergò initio nos posuisse pro emblemate Lucernam emunctam, hoc dicto addito, *Vt luceat omnibus*, sumptum ex Euangelio Matthæi, *Vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Vbi vox *omnibus* applicata lucernæ, non debet

*Cur initio lucernam posuimus?*

Matth. 5. 15.

bet

bet omninò generaliter accipi, sed secundùm propositam materiam, & sensum quo à Christo Domino dicta fuit. Omnibus tamen hominibus applicata, potest accipi generalissimè. Christus enim in hunc mundum venit, & circumcisus fuit, ut luceret omnibus, sicut jam dicemus. Nec mirum alicui videri debet, quòd Redemptorem nostrum lampadi assimulemus; quia & apud antiquos lucernæ accensæ, erant signum hominis vivi, ut refert Pierius: narrando quomodo Hercules in Italiam veniens, mutavit sacrificia quæ hominibus offerebantur, in tot lampades accensas. Magna est enim inter ellychnium, & cor, inter lucem & vitam, inter vitrum & corpus, oleum & nutrimentum cognatio. Vnde Anaxagoras insignem deduxit metaphoram, cùm ad Periclem qui eum visitabat, exhortabaturque ut se contineret in vita, ait: *O Pericles qui vult frui luce lucernæ, infundere debet semper oleum.* Gratiosè carpendo illum, quòd præ negligentiâ se mori permitteret.

*Cur Salvatorem lampadi comparemus?*

Pierius lib. 46.

*Lucerna antiquis symbolum hominis.*

*Comparatio hominis & lampadis.*

8. Sed magis ad rem nostram facit, quòd Salvator ab Evangelico Propheta lampadi assimulatus fuerit: *Propter Sion* (inquit) *non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Iustus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Quasi diceret; Videbitur fortasse aliquibus, quòd nimis distendam sermonem meum, ut loquar modò de adventu Salvatoris; sed numquam quiescam, (& si mea vita duraret usque ad ejus nativitatem) dicere, & explicare ardens desiderium quod habeo de ipsius adventu. Et meritò certè ipsum splendorem, & lampadem appellat, quia videlicet est Sol per divinitatem, & lampas per humanitatem. Solem, & lampadem appellat, ut sciamus, quod nec die, nec nocte possimus aliquam parvam vel magnam habere lucem, sine ipsius adjutorio. De Sole dicit, *donec egrediatur*, præsupponendo quòd primò esset, sed abscondité: de lampade verò ait, *donec accendatur*, præsupponendo quòd antè non fuisset. Christus siquidem in quantum Deus, fuit ab æterno, nec umquam incepit esse; in quantũ verò homo, habuit principium, natus in tempore. Quæ similiter S. Ioannes in sua Apocalypsi explicat, respiciens fortè ad illum locũ Isaiæ: *Civitas non egebit Sole, neque Lunâ, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus.* Sub figura lampadis, fuit etiã Zachariæ Prophetæ monstratus in insigni illa apparitione magni candelabri aurei, in cujus summitate magna erat lucerna, & circum illam, septem aliæ lucernæ minores, quæ oleum recipiebant ex magna per duo foramina. Candelabrum illud aureum est Ec-

Isaiæ 62.1.

*Christus lampadi assimulatus.*

*Christus Sol, & lampas.*

*Christus ab æterno, & in tempore.*

Apocal. 21.23.

Zachar. 4.2.

*Christus in figura lampadis sæpè monstratus.*

clesia Catholica; lucerna major Christus; lucernæ minores quæ oleum recipiunt ex majori, sunt omnes justi, qui à Christo Domino gratiam recipiunt. Duo foramina lampadis majoris, duæ sunt naturæ, divina & humana, quæ sunt in Christo.

*Nomen Iesus lampadi assimulatur.*

9. Notant aliqui, quòd adjungendo nomini Dei tetragrammaton litteram Hebraicam *Scin*, fit nomen Iesus; littera autem *Scin* rectè habet figuram lampadis ש, & eo modo dicunt hoc nomen quod erat ineffabile, posse proferri: nam Deus quia non poterat in se cognosci, debuit in carne nostris exponi sensibus. Quòd si antiquitùs portæ domorum ineunte anno lampadibus exornatæ fuerint; rectè Ecclesia Catholica anni vertentis initium pulcherrimâ exornat lampade, Christo scilicet Circumciso. Sed ecce mirabile quid subitò apparet, quòd hęc nobilissima lampas, in quâ nihil deforme, aut ejus splendorem impediens reperitur, subitò per Circumcisionem emungatur. Quid ergò dicemus? An fortè Salvator noster Circumcisione indigebat, quia compositus erat ex forma & materia, prout nos sumus, quibus antè Circumcisio ordinata erat: nunc verò Baptismus, & mortificatio necessaria sunt? Minimè: licet enim natura nostra, cùm ab Adamo derivetur, infecta sit peccato originali, & ad hoc auferendum fuerit instituta Circumcisio; ipse tamen, qui non ordinario modo ab Adamo carnem habuit, istis pœnis non subjacebat. An fortè quia habuit in se contrarias, & inordinatas passiones, quas continuò oportuit resecari? Nequaquam; ipse namque omnes suos affectus habuit totaliter subjectos rationi, & hanc Deo. Fortè quia patiebatur repugnantiam sensuum & membrorum (quam in se dominari fatebatur S. Paulus dum dicebat: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*) & propterea conveniebat circumcisione illa castigari? Absit hoc ab eo, cujus sanctissima caro, & innocentissimus sanguis omnibus abundabat benedictionibus, nec umquam vel in minimo spiritui reluctabatur. Fortè oleo isto fœtido peccatorum actualium lampas ista nutriebatur, quæ tali incisione debebant purgari? Sed hoc de illo nemo dixerit: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus?* Imò de ipso affirmatur, quòd continuò *proficiebat gratiâ, & sapientiâ apud Deum, & homines*: tanto etiam abundabat humido radicali gratiæ, ut illud potuerit communicare omnibus, absque eo quòd diminutionem ullam sentiret. hinc Apostolus dicebat, *per quem accepimus gratiam, & Apostolatum.* Habuit quoque tres substantias purissimas; sicut enim in lampade

*Cur Christus circumcidatur?*

*Non propter defectus circumcisus.*

*Nullis passionibus subditus.* Rom. 7. 23.

1. Petr. 2. 22.

Luc. 2. 25. *Christus plenus gratia.*

Rom. 15.

*Tres substantia in Christo purissima.*

de tria sunt mundissima, lux videlicet, ellychnium, & oleum; sic in Christo fuere tres substantiæ, ab omni prorsus macula alienæ: anima scilicet pulcherrima lux, corpus candidissimum ellychnium, & divinitas quæ utrumque quasi oleum purissimum & indeficiens sustentabat.

*Varia circumcisionis causa.*

Epiphan. hæres. 3. Damasc. lib. 4. orthod. fidei cap. 26. Cyprian. de ratione circumcis. Leo serm. 2. de nativ. Domini. Aug. qq. vet. & nov. test. 2. p. c. 22. S. Thom. p. 3. q. 322. a. 1. Ambros. ep. 74.

*Quatuor præcipua circumcisionis causa.*

10. Quæ causa ergo fuit circumcisionis? Variæ adductæ sunt à SS. Patribus. S. Epiphanius inquit: ut se monstraret verum hominem. S. Damascenus, ut daret signum futuri Baptismi. S. Cyprianus, ut ostenderet se approbare legem veterem. S. Leo Papa, ut dæmon non cognosceret illum esse Filium Dei. S. Augustinus, & S. Thomas, ut Iudæi non haberent causam calumniandi Christum non esse filium Abrahæ. S. Ambrosius, ut tolleret à nobis pondus circumcisionis. Sed rationes principales ad quatuor ad minus reduci possunt: duæ sunt ex parte causæ efficientis, & duæ ex parte causæ finalis. Duæ, quas jam repræsentavimus in nostro emblemate, sunt in corpore, & duæ aliæ in anima. Si quis enim à me petat, quare in lucerna præscinditur superior pars ellychnii? Respondeo conformiter ad dicta num. 3. quia lux est conjuncta cum igne: hæc est prima causa, & quia recipit oleum, & fæces ejus, hæc est secunda causa. Quantum ergo ad primam, sicuti lucerna nō emungitur propter defectum lucis, sed propter abundantiam ignis; sic non circumciditur Salvator propter defectum sanctitatis, sed propter excessum amoris.

*Circumciditur propter excessum amoris.*

*Similitudo febris maligna.*

11. Quando aliqua persona nobilis est oppressa ingenti calore febrili, statim vocatur Medicus, qui reperiens calorem istum non provenire ex malignitate humorum, sed ex abundantia sanguinis, statim præcipit ut aperiatur vena, & emittat cruorem; ac isto modo alleviatur infirmus, ardorque remittitur qui viscera inflammabat. Aliud sanè non fuit ista Domini Circumcisio, quàm quædam alleviatio caloris: cùm enim nimio flagraret amore, una hora videbantur ipsi mille anni, ut pateretur pro nobis. Ideoque Pater cælestis qui bene noverat ipsius naturam, & complexionem, hoc ipsi remedium ordinavit: non quia in ipso erat malum aliquod culpæ, sicut in nobis solet esse; sed ut abundantiam amorosi tolleret ardoris qui illum totaliter destruebat. Dicere ergo possumus, Circumcisionem non fuisse vulnus aliquod, sed venæ apertionem ad exhalandum ardorem illum internum. Etenim dum calor est ita vehemens, ut primâ sanguinis emissione non minuatur, solent prudentes Medici alia applicare remedia. Sic quoque in Salvatore nostro priore se non remittente ardore patiendi, post dolorem

*Circumcisio Christi vena apertio.*

*Ardens patiendi desiderium.*

dolorem Circumcisionis; necesse fuit ut sæpiùs ipsi vena aperiretur. quod in passione contigit. Propterea dilectus ille discipulus ultimum vulnus non sine mysterio apertionem vocavit, dicens: *Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Quod S. Augustinus notavit non casu dictum; *Vigilanti* (ait) *verbo usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, sed aperuit.* Apertiones venæ potuerunt etiam vocari alia omnia vulnera, propter quod cælestis Pater loquens Zachariæ Prophetæ, de passione Filii sui, dicit: *Ego calabo sculpturam ejus*, vel sicut Hebraicus legit textus: *Ecce ego aperiam apertionem ejus.* Sed quare (petet aliquis) non dicit, Aperiam venam ejus, potiùs quàm apertionem? Respondeo quòd primâ vice quando fit phlebotomia, dicitur aperiri vena; sed cùm medicus, antequam hæc apertio omninò claudatur, ex eadem vult haurire sanguinem, non oportet de novo aperire venam, sed sufficit removere impedimentum, quo sanguinis detinebatur fluxus. Quia ergo Christus Dominus jam fuerat lancinatus in circumcisione, & in corde vulneratus amore, ut dicitur in Canticis: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*; aliis vicibus quando exhauritur sanguis ejus, meritò dicitur, *Aperiam apertionem ejus*, videlicet eliciam sanguinem unde aliàs hausi.

Ioan. 19. 34.

*Vulnera Christi vocantur venarum apertiones.*

Zachariæ 3. 4.

*Christus amore vulneratus.*

Cant. 4. 9.

12. Vt autem aliâ explicemus similitudine desiderium illud patiendi, quod Christus habuit; aspiciamus juvenem aliquem venationi plurimùm deditum, qui ante auroram, & Solis ortum consurgens, sylvam petit, ubi matutino tempore, insigni onustus prædâ, domum redit famelicus, & fatigatus, cupitque lassa membra cibo reficere. Sed quid? Hora consueta prandii nondum advenit, grandævus parens vult ut secum comedat. Quid ergo faciet? Fames cogit, respectus patris detinet; Igitur (ait secum) ut duobus occurram malis, aliquid sumam ut fames arceatur, & sic horam prandii prætolabor. Ita prorsus amorosus noster venator Christus Dominus egit, (*Ad prædam fili mi ascendisti*, dixit Iacob in persona Dei) sic matutino tempore ad venationem properabat, ut vix conceptus abierit in montana cum festinatione, & Ioannem, qui adhuc in nido latebat, suam prædam fecerit: vix deinde natus pastores & magos in spolium attraxerit. Quare videns insignem suæ venationis fructum, magnâ cruciabatur fame patiendi pro nobis: Sed hora ei à patre constituta ut saturaretur opprobriis nondum advenerat, ut prædixit Ieremias, *Saturabitur opprobriis.* Quid ergo faciet? Non vult prævenire horam à Patre constitutam, & differre passionem amor non permittit.

*Similitudo venatoris famelici.*

*Christus amorosus venator à juventute.*

Gen. 49. 4.

Luc. 39.

*Magnum patiendi desiderium.*

Threnorum 3. 30.

mittit. Ergo (dicit ipse) sumam aliquid ante, veniat Circumcisio quæ sit quasi jentaculum, & aliquo modo immensam patiendi famem refrænet. Sed quid hîc dico? ergo consolationem illi attulit circumcisio non dolorem? Imò & consolationem, & dolorem; dolorem extremum in tenerrimâ suâ carne, sed consolationem maximam animæ. Primi etenim fructus solent esse chariores, & sapidiores. Passio Christi fuit messis universalis, de qua dicitur: *Messui myrrham meam, cum aromatibus meis*: Sicut quippe messor lætatur cùm videt fructum abundantem, & colligit; sic Christus in passione suâ lætabatur super abundantiâ dolorum, & amplectebatur illos toto affectu: in circumcisione tamen ut ex fructu primitiarum, maximum habuit gaudium quia sapidissimus fuit propter famem amoris, & desiderium patiendi.

*Circumcisio Christi jentaculum.*

*Circumcisio primus fructus Christi.* Cantic. 5.1

13. Videamus etiam amorosum sponsum consortis suæ desiderio inflammatum, cum quâ si necdum possit nuptias celebrare, saltem festinat inire sponsalia, & habere aliquod pignus futuræ conjunctionis. Sic Christus desiderans summopere conjungi sponsæ suæ Ecclesiæ, sciensque nuptias fieri non posse, nisi in fine vitæ, deficiebat præ amore, cupiens ad minus contrahere sponsalia, & pignus habere futuri matrimonii, quod egit in circumcisione. Dicet fortè quispiam, quid effusioni sanguinis cum sponsalibus? Quid dispositioni ad mortem cum nuptiis quæ sunt ad vitam, & jucunditatem? Optimè dico ego ista conveniunt; quod ut intelligamus, advertendum, quòd sicut hisce temporibus sponsa secum adfert dotem, quâ dicere possimus, ipsam sibi comparare maritum; sic antiquitus è converso (vel quòd non essent sufficientes puellæ, vel quia mulier suâ diligentiâ & labore conservabat, & accumulabat bona, nec dissipabat in vanitatibus, ut modò faciunt, aut aliam ob causam) viri sibi cõparabant, & dotabant mulieres. Sic legimus de Iacob, de Osee Propheta, de David qui centum præputiis Philistinorũ despondit sibi Michol, conformiter etiam isti antiquo usui, Christus Dominus acquisivit sibi sponsam Ecclesiam; sed quali pretio? omnium sanè pretiosissimo, suo videlicet divino sanguine, ut S. Paulus, inquit, *Acquisivit Ecclesiam sanguine suo*. Bene ergo cùm hodie incipiat effundere suum sanguinem, & solvere hoc pretium, quod à Deo patre isto fine recipitur, dicere possumus, fieri modò sponsalia cum suâ charissimâ sponsâ Ecclesiâ.

*Similitudo sponsi & sponsæ.*

*Sponsalia Christi cum Ecclesia.*

*Antiquitus sponsi dotabant sponsam.*

Genes. 29. 20.
Osee c. 3. 2.
1. Reg. 18. 29.

Act. 20. 28.

14. Nec solùm illum affligebat expectatio nuptiarũ, sed etiam isti octo dies quibus circumcisionem expectabat, centum ei vide-

*Octo dies Salvatori videntur sæculum.*

B

videbantur anni. Non videtis quomodo hoc explicet Evangelista? poterat tribus verbis expedire totum, dicendo post dies octo; sed quasi locutus fuisset de multis sæculis, dixit: *Postquam consummati sunt*. Quid? multa sæcula? Nequaquam, sed *dies octo*. Quomodo ergò sic loquitur Evangelista? quia nimirum unaquæque dies videbatur Salvatori unum sæculum. Advertendum quoque est, non dixisse Evangelistam tunc fuisse circumcisum Christum Dominum, sed, *ut circumcideretur*, quia videlicet circumcidendi tempus advenerat. Numquid tamen sunt multa, quorum faciendi tempus advenit, & non fiunt? Cùm tempus fructuum appropinquasset, dicitur in parabolâ vineæ; non tamen aliquem fructum habuerunt, ut notat S. Ambrosius. Quare ergo non apertè dicit Evangelista, utrum fuerit circumcisus? Quando loquimur de rebus multùm desideratis, sufficit dicere quòd oblata fuerit occasio habendi illa, & inde satis intelligitur quòd fuerit acceptata. Sic cùm tantum esset desiderium nostri Salvatoris effundendi pro nobis sanguinem suum, sufficiebat dicere quòd advenerat tempus, quia dubium non erat, quin promptè exequeretur. Plurimùm SS. Patres desiderabant adventum Salvatoris, & passionem ejus, quia ex his tota illorum salus dependebat, sed multò majus fuit desiderium ipsius Salvatoris. Ipsi dicebant, *desideravimus eum virum dolorum*, cupiebant videre quidem afflictum, sed *virum*, postquam factus fuisset vir, quia infantem desiderare afflictum nimis magna fuisset crudelitas: Christus verò ætatem noluit expectare virilem ut pateretur, sed vix natus sanguinem dedit. Tantum erat ejus desiderium illum pro nobis effundendi.

*Luc. 2. 21.* *Explicatio verborum Evangelij.* *Matth. 20. 34.* *Cur Evangelista non apertè dicat Christum circumcisum.* *Quomodo Patres in limbo Salvatorem exspectabant.* *Isaiæ. 53. 7.* *Christus subitò pati voluit.*

15. Quis verò determinatus fuit dies effundendi hunc sanguinem? Octavus post nativitatem, imò si bene attendamus verba Evangelistæ, videtur quòd non octavo, sed nono dicere debeamus, ipse quippe ait, *Postquam consummati sunt dies octo*, post consummationem nempè octavi diei; ergò cùm nonus inciperet, qui immediatè sequitur. Eodem modo si ego dicerem finitâ nocte surrexi, & feci hoc, omnes intelligerent, me hoc de die fecisse. His tamen non obstantibus, verum est quòd Christus circumcisus fuerit die octavo, sic enim lex præcipiebat, & Ecclesia hunc honorem octavo diei adscribit, & non nono. Quomodo ergo Evangelista, inquit; *Postquam consummati sunt dies octo?* Respondendo pulcherrimā hîc assignabo differentiam inter res favorabiles, & desideratas, resque adversas, & abominatas. Illæ quippe acceptantur & perficiuntur

*Quis determinatus dies circumcisionis?* *Luc. 2. 21.* *Videtur nono die circumcisus.* *Differentia inter favorabilia, & pœnalia.*

tur statim incepto termino præfixo, ad executionem verò aliarum, expectatur usquedum terminus jam penè sit expletus: v. g. aliquis dimittitur ex carcere 30. die mensis, iste non expectabit finem hujus diei, sed summo manè curabit aperiri portas & exibit: qui si postea debeat cõparere, ut incarceretur tali die iterũ, non veniet manè, sed expectabit vesperã. Affirmant insuper Theologi Ecclesiam determinasse ut nemo teneatur ad jejunium nisi 21. anno, quod cùm sit pœnale, non obligat nisi 21. anno expleto: eodem planè modo Ecclesia præcipit ut nemo ordinetur Sacerdos ante annum 25. quod quia de favorabilibus est, dicunt Theologi sufficere ut illum incœperit. Sic Ecclesia quamvis circumcisio in seipsa sit pœnalis, & afflictiva, considerans tamen desiderium quod Salvator habebat patiendi pro nobis, numerat illam inter favorabilia, & judicat illum non expectasse finem octavi diei, sed in ejus principio amplexum fuisse desideratam circumcisionem: undè meritò exclamabat S. Bernardus; *Vide quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quàm promptus sanguinem effundere, circumcisus pro nobis die nativitatis octavo Christus. diem octavum à nativitate suâ vix expectat, ut suum tibi impendere sanguinem incipiat. Tu post non, dico octo dies, sed nec octoginta menses, imò & octoginta annos solùm non expendis voluntatem.* Nota illud, *vix expectat*, quod est quasi dicere, non sustinet expectare finem octo diorum, sed vix expectat initium; quia tanto flagrabat desiderio, suo nos lavandi sanguine, ut viderentur octo illi dies mille anni.

*Circumcisio inter favorabilia numeratur.*

S. Bernard. serm. de circumcis.

*Christus vix expectat octavum diem.*

16. Verùm cùm cœperimus considerare, & explicare verba Evangelii, quæ tanto pleniora sunt mysterio, quanto pauciora & abbreviata; non videtur mihi conveniens derelinquere particulam illam *ut* quæ conjunctio est, significans causam finalem illarum rerum de quibus loquimur, quæ etiam conjungi potest verbis antecedentibus & consequentibus: antecedentia quidem sunt: *Postquam consummati sunt dies octo*, & sensus erit, istos octo dies transiisse, ut hic nobilissimus infans circumcideretur. Sed quid? si non debuisset circumcidi, non fuissent transacti isti dies? non se movissent cæli? numquid ortus fuisset & occidisset sol? ita sanè omnia fuissent ut antè, sed nobis non ipsi, qui ex propriâ naturâ est æternus, nec tempori subditur; quia *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præteriit.* Quis ergò fecit quòd dies ejus numerari possint? Quis ipsum tempori subdidit? Non alius quàm amor; & ecce causa cur hoc fecerit, *ut circumcideretur puer*, ut existens

*Explicatio particulæ ut.*

*Vt conjunctum antecedentibus quem sensum habeat.*

*Christus cur tempori subditus?*

Psal. 89. 4.

puer possit circumcidi, & pati pro nobis ac effundere pretiosum suum sanguinem, aliàs usus fuisset sua æternitate, nec quisquam numerare potuisset octo vel decem dies.

*Vt sequentibus junctum quem sensum habeat?* Luc. 2. 21.

17. Particula verò *ut* potest quoque conjungi sequentibus verbis, dicendo; *ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus.* Acceptio quippe nominis Iesus, fuit causa circumcisionis. Contra hoc tamen S. Bernardus infert, *Quid sibi vult ista connexio? circumcisio nempe magis salvandi quàm Salvatoris esse videtur?* Quomodo potest proprio tingi sanguine, & promittere alteri salutem? Habere nomen quod stillat mel, & promittere salutem recipiendo vulnera quæ causant dolorem, & viam morti præparant? Quid circumcisioni, quæ propria est peccatorum, cum nomine Iesu quod est proprium innocentis, & sanctificantis peccatores? *Salvatorem enim circumcidere decet, non circumcidi.* Charissima tamen & mysteriosa est hæc conjunctio, quia *sic* (ait S. Bernardus) *se prabet cognoscere Salvatorem, & mediatorem inter Deum, & hominem.* Et prout ego adjungo, nomen ejus est causa sui vulneris, circumcisus quippè est, ut esset Salvator noster. Alij infantes pro seipsis circumcidebantur; hic cùm tali non indigeret remedio, pro nobis hoc pertulit ut nos redimeret, quandoquidem voluerit habere nomen Iesus, quod est Salvator. Nec solùm circumcisionis causa fuit hoc sanctissimum nomen, sed etiam crucifixionis, dicit enim Evangelista; *Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam;* sed quid legitur supra caput Salvatoris scriptum? non aliud quàm hoc sanctissimum nomen, & dignitas ejus Regalis: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Quia ergo ipse est Iesus, & venit salvare mundum, hodie circumciditur, ut incipiat sibi assumere onus quod ei à patre æterno impositum est, redimendi mundum pretioso suo sanguine, unde hodie dedit nobis arrham futuræ effusionis sanguinis sui in passione complendæ.

S. Bernard. serm. de circumcis.

*Quomodo Salvator potest circumcidi?*

S. Bernard. ubi supra.

*Nomen Iesus causa circumcisionis.*

*Et crucifixionis.*

Ioan. 19. 19.

*Circumcisio fuit acceptatio redemptionis.*

18. Quis ergo explicare poterit obligationis magnitudinem, quâ dulcissimo nostro puerulo devincimur, qui tam alacriter suum incipit effundere sanguinem? Tam propter excellentiam doni, quàm propter amabilissimũ modum quo nobis hoc contulit? Si enim de pretio loquamur, non potest esse majus. Magni in mundo æstimatur aurum, & argentum, sed quod est aurum in mundo magno, illud est sanguis in mundo parvo, cujus minæ sunt venæ; & sicut aurum vocatur secundus sanguis, ita sanguis potest meritò vocari aurum primum. Si ergo sanguis humanus pretiosior est auro, quid dicemus de

*Quanta debent esse gratitudo versus Christum.*

*Non potuit Christus majus dare.*

*Sanguis Christi pretiosior auro.*

de divino sanguine? si noster sanguis in nobis est origo peccatorum (peccata enim nomine sanguinis aliquando signantur, dicente Davide Rege; *Libera me de sanguinibus*) & tamen præfertur auro; quid dicemus de sanguine Agni immaculati? Meretur certè nomen incorruptibile, juxta vocem Principis Apostolorum dicentis: *Non incorruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati.* Pretiosus enim hic sanguis, non solùm longissimè abfuit ab omni corruptione (quia *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*) verùm etiam nos à corruptione, & morte liberat: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem* (dicit Christus) *habet vitam æternam.*

Psal. 50.16.
1. Pet. 2.18.
*Sanguis Christi nos à morte liberat.*
Psal. 15.10.
Ioan. 54.56

19. In antiquo Testamento multum æstimasse videntur homines sanguinem Agnorum & Caprarum quia Deo illum offerebant, & per hoc sacrificium videbantur accipere remissionem peccatorum, dicit quippè Apostolus: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hic tamen sanguis ex seipso nullam habebat virtutem, sed in quantum figurabat sanguinem effundendum per nostrum hunc mansuetissimum Agnum. Adhæc necessitatis, & gravissimi belli tẽpore, quandoq; accidit, ut principes loco monetæ ordinariæ, cuderent & expenderent monetam ex corio, & pellibus animalium confectam, non quod ista materia talem mereretur honorem, sed ut illa loco argenti uterentur, & auri, donec expleto necessitatis tempore, corio succederet vera moneta valoris æqualis quem repræsentaverat. Pariter in lege veteri volebat Deus ut in sacrificiis sanguinem offerrent animalium, non quòd iste valorem aliquem in se haberet, sed quia præfigurabat sanguinem Agni immaculati; ideoque cum Christus Dominus verus Agnus advenerat, cessabant omnia legis antiquæ sacrificia, nec poterat ulteriùs alius Deo offerri sanguis, quàm pretiosissimus iste & divinus, qui compendium est omnium divitiarum nostri Salvatoris.

*Sanguis Agnorum in veteri lege Deo oblatus.*
Heb. 9.22.
*Figura erat sanguinis Christi.*
*Similitudo monetæ ex corio confecta.*
*Adveniente Christo cessabant figuræ.*

20. Quòd si in testamentis maximè cognoscuntur divitiæ uniuscujusque, in istis enim disponunt homines de omnibus bonis suis (conveniens nempè est ut hæredes sciant ubi omnia reperientur bona.) Ita Christus suum condens testamentum, non aliarum divitiarum quàm pretiosissimi sanguinis fecit mẽtionem S. Paulo attestante: *Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine*, fateri ergo omnino debemus, in ipso omnes thesauros ejus & divitias esse reconditas. Pretiosissimus hic sanguis cæterorum liquorum nobis supplet defectum, & superat valorem; maximè verò aquæ, vini, & la-

*Testamentum Christi ejus sanguis.*
1. Corinth. 11.25.
*Christi sanguis est vinum, aqua, & lac.*

ēts, conformiter ad vocem Evangelici Prophetæ invitantis:
Isaiæ.55.1. *Omnes sitientes venite ad aquas, venite & comedite vinum & lac*: est enim viva aqua nos emundans
Apoca.1.5. dicente Ioanne: *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Inebriat etiam ut vinum; *Calix meus inebrians quàm præclarus est?* Sicut lac quoque nutrit: *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite*. Iterum ut aqua sitim extinguit; *Siquis sitit veniat ad me, & bibat*: ut vinum gustum dat palato: *Inebriabũtur ab ubertate domus tuæ*: ut lac dealbat; *Dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni*. Tertiò, aqua est effluens & abundans unicuique; *Sicut aqua effusus sum*: vinum est expressum intorculari passionis; *Torcular calcavi solus*. Lac quoque est ex amore dimanans, quo matris instar nobis afficitur; *Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos*. Velut aqua denique abluit non solùm sordes, sed etiam emundat, & ornat; *Sanguis ejus ornavit genas meas* (aiebat S. Agnes) velut vinum hilares facit, & castos, de quo meritò dicitur; *Vinum germinans virgines*: velut lac viventium est cibus, & medicina languentium, quia *livore ejus sanati sumus*.

*Habet effectus horum liquorum.*

Psalm.22.5 1.Petri.2.2 Joan.7.39. Psalm.35.9. Apoc.7.14 Psal.21.15. Isaiæ.63.3. Joan.13.1. Zach.9.17. Isaiæ.53.5.

*Sanguis Christi exornat, & emundat omnes.*

*In lege veteri cur prohibita comestio sanguinis & nunc concessa.*

21. In lege veteri prohibitum erat comedere sanguinem animalium, ne quis simul cum sanguine eorum imbiberet mores: nunc autem illo vesci conceditur, quia antidotum habemus, sanguinem scilicet Christi, qui multò potentior est ut nos efficiat divinos, quàm alius ut reddat animales. Vt quispiam mundetur à lepra, efficacius non reperitur remedium, quàm sanguis infantium, ex quo legimus Constantino Imperatori leproso balneum fuisse paratum. Cùm ergo nos omnes simus infecti leprâ peccati, à capite usque ad pedes: dulcissimus noster puerulus circumciditur, ut balneum ex sanguine suo purissimo nobis conficiat, quo nos mundare possit ab omni peccato; *Qui* (ut Ioannes ait) *dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Dicitur communiter quod senes rejuvenescerēt, si sanguine juvenum possent venas implere. Nos certè omnes consenuimus, & inveterati peccatis fuimus, ita ut dicere possimus cum Davide, *Inveteravi inter omnes inimicos meos*: Et ecce amabilissimus puer sanguinem suum emittit ut venas nostras adimplere possit, & renovare juventutem; ut in Naaman præfiguratum accepimus, de quo dicitur: *Et restituta est caro ejus, ut caro pueri*. Possetne quis pretiosius optare donum, quo ipsi esset ineffabiliter obligatus?

*Sanguis Christi præservativum malorum.*

Apoc.1.5.

*Sanguine Christi juvenescimus.*

Psal.6.8.

4.Reg.5.14.

*Obligatio nostra propter modum donationis Christi.*

22. Nec minùs ipsi obligamur propter modum tantæ donationis; jam quippè vidimus quantâ promptitudine, & desiderio nobis hoc donum contulerit: unum hîc solummodò notaverim, quod

quod omnibus modis uti voluerit ad hoc nobis concedendum; postquam enim propriâ viâ exivisset sanguis ejus in horto, permisit deindè ut inimici ipsi venas aperirent in domo Pilati, & in monte Calvario; insuper quoque voluit ut amici cooperarentur, ut in circumcisione factum est; ut triplicem nobis ostenderet mortificationem quam sustinere possimus, quarum prima est ea, quam nobis ipsis inferimus, jejuniis scilicet & disciplinis: Secunda quam ab inimicis nos persequentibus accipimus: Tertia est ea quæ nobis ab aliis imponitur, à superioribus & patribus spiritualibus, ut sunt pœnitētiæ salutares, in quibus omnibus cum gaudio nos exercere debemus ad imitationem Christi.

*Omnibus modis Christus sanguinem dedit.*

*Triplex mortificatio nostra.*

23. Sed quis poterit sufficienter detestari ingratitudinem illorum qui non tantùm se non demonstrant gratos pro tanto beneficio, verùmetiam illud contēnunt, rejiciunt, & quasi pedibus conculcant? Isti sunt de quibus Apostolus ait: *Qui filium Dei conculcant, & sanguinem testamenti pollutum ducunt:* ô scelerati & digni mille infernorum. Nos verò cœptum repetamus opus, & quandoquidem non condignè pro meritis, sed secundùm ingenii nostri tenuitatem scripsimus de primâ circumcisionis causâ, mysticæ istius lampadis, quæ fuit ardentissimus ignis ejus amoris; dicendum modò est de secundâ causâ efficiente, malo videlicet nutrimento, & oleo fœtido nostrorum peccatorum. Licet enim opera Salvatoris nostri fuerint quasi vinum adustum perfectissimum, quod dum comburitur, à flammâ totaliter absumitur, ita ut nec sordes, nec cineres post se relinquat; ipse tamen de nostris voluit gustare peccatis, tamquam caput Sacerdotum de quibus dictum est, *Peccata populi mei comedent*: Sicque subjecit se circumcisioni, & vulneribus, ut bene dixit Isaias: *Propter iniquitates nostras vulneratus est, attritus est propter scelera nostra.* Et hoc quantum ad causam efficientem pertinet. Finalis causa est illa, quæ assignatur in principio his verbis, *Ut luceat omnibus*: id est, ut ipse apportaret lucem Iudæis, & gentibus, justis & peccatoribus. Iudæis, inquit S. Augustinus quem sequitur S. Thomas illuxit, cùm ab illis circumcisus, faciliùs ab iisdem receptus fuit; ideoque S. Paulus circumcidi Timotheum curavit, ut Iudæis esset acceptus. Sed numquid hoc signo incurret periculum ne eum ignoret Pater cœlestis? sic enim S. Bernardus ait; *Si quomodo posset non agnoscere filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maximè signo poterat ignorare eum.* Quid modò facies Christe? si circumcidaris, incurris periculum ut non agnoscaris ab æterno Pa-

*Quanta hominum ingratitudo.*

Heb. 10, 28.

*Peccata nostra causa efficiens circumcisionis.*

Oseæ. 4. 8.

Isaiæ. 53. 5.

*Christus circumcisus ut luceat omnibus.*

*Cur Christus à Iudæis circumcisus.*

S. Bernard. serm. de circumc.

patre, si non circumcidaris, non cognosceris ab hominibus: Quid hîc arripies? Quomodo te resolves? Admiretur sanè humana natura, de tanto Christi amore, ego (inquit Christus) contentus sum ut Pater cœlestis me ignoret, & tamquam extraneum reputet, dummodò cognoscar, & recipiar ab hominibus & sic me circumcidi permittam. Quid majus hoc amore? Christus infinitè amat patrem suum, & tamen patitur se derelinqui potiùs à patre, ut ei in cruce accidit, quàm non recipi ab hominibus. Gentibus illuxit, quia illas sic ab onere circumcisionis liberavit. Vnde antiquæ legi idem accidit, quod Deo Chaldæorum igni contigisse fertur, dum cùm Ægyptiorum Deo Canopo pro primatu contenderet.

*Maximus Christi amor erga homines.*

*Christus potiùs patrem deserit quàm homines.*

24. Adorabant (ut graves referunt Auctores) Chaldæi antiquitus pro Deo suo, nobile illud, & excellens elementum ignis, putantes Deos aliarum gentium non posse ipsi resistere, itaque mittebant Sacerdotes suos ad omnes populos, ut contra illorum numen pugnarent. Cùm ergò alii Dii essent lignei, lapidei, ærei vel argentei, facillimè illos ignis superabat, redigendo in cineres, metalla dissolvendo, aut certè notabiliter deformando; undè superbi Chaldæorum Sacerdotes de omnibus gentium Idolis triumphabant. Qui deniq; astutiâ aliorũ superati sunt: cùm enim in Ægyptum venissent ad Canopum Deum quem Ægyptii præ omnibus colebãt Diis, Sacerdos concertationem admisit, sed pro honore Dei sui sollicitus, cogitabat insigni stratagemate suffurari victoriam Chaldæorum Deo. Quid ergo factum? accepit ingens vas fictile multipliciter perforatum, illudque solicitè tã interiùs quàm exteriùs materiâ liquidâ obstruxit molliq; cerâ omnes meatus obturavit, vasi aquâ repleto, imaginem Dei sui superpinxit. Coram ergo universa spectantium multitudine in theatro publico, initum est hoc certamen, convenerunt alacres Chaldæi, securi de victoria & multâ diligentiâ circumponebant ignem Statuæ Dei Canopi, sed ecce planè præter eorum accidit opinionem: Nam subitò liquefacta cera apertisque canalibus, aqua tanto erupit impetu, ut non solùm in ignem cadens illum devicerit, verumetiam omninò vitã privarit. Omnes ergo Deo Canopo tamquam supremo victori applaudentes, majori deincèps honore, eum sunt prosecuti. Idem planè legi veteri accidit, quæ ignis erat, juxta illud: *In dextera ejus ignea lex*; vas verò è terrâ positum, corpus est nostri Salvatoris, cujus venæ dici possunt cerâ conclusâ, quia promptissimè ad effundendum sanguinem se ex-

*Historia de Canopo Ægyptiorum Deo.*
Ruffinus Hist. Eccl. lib. 2. c. 26. Tostat. q. 37. in cap. 11. Genes. Mendoza quodlib. quæst. 1. positiva.

*Quomodo Canopus Deũ Chaldæorum vicerit?*

*Lex vetus à Salvatore sic devicta.*
Deut. 33. 2.

exhibuerunt. Subitò ergo ut lex antiqua accessit ad Salvatorem, apertæ sunt venæ ejus, & sicut aqua sanguis effluxit, ut ipsemet per Psalmistam ait: *Sicut aqua effusus sum.* Hic sanguis, igneam subitò extinxit legem, ignique omnem abstulit vigorem, ut Paulus Apostolus ait; *Factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Ipse se legi subdidit, & quasi permisit ab illâ devinci, ut omnem vim legis auferret, ac legi subjectos liberaret.

*Psal.21.15.* *Christi sanguis extinxit legem antiquam.* *Ad Galat. 4.5.*

25. Referunt Columella & Palladius, quod si aperiatur lignum vitis dum plantatur, & auferatur medulla, uvæ nascantur absque acinis vel absque ullâ amaritudine, sed intus suavi liquore repleantur. Sic Salvator noster volens à nobis omnem auferre duritiam, & molestiam (ipse enim est vitis à quâ nos omnes tanquam palmites procedimus, juxta illud Ioannis; *Ego sum vitis, vos palmites*) voluit in se recipere circumcisionem, & dare medullam sanguinis sui, ut liberaremur à servitute legis veteris, & nos suavitate amoris Evangelici repleret. Hoc mihi videtur significare voluisse Isaias, cùm dixit: *Ego plantavi te vineam electam:* vel ut Septuaginta vertunt, *Vineam Sorech*: quæ ut quibusdam expositoribus placet, genus est vitis, quod uvas producit absque acinis, quales nos voluit esse Salvator.

*Quomodo vitis nascatur sine acinis.* *Christus vitis.* *Joan.15.5.* *Isaiæ.5.2.*

26. Iustis pariter illuxit Christus & peccatoribus docendo illos humilitatem, & obedientiam, cùm acceperit formam peccatoris, qualis non erat; & obedivérit legi ad quam non tenebatur. Peccatoribus illuxit se submittendo tormentis, & dolorosæ circumcisioni: si enim pro peccatoribus tanta passus est, quanta pro suis delictis ipsi sufferre debent? Bene ergò dictum est quod *ut luceat omnibus*, sit circumcisus; omnes quippè hoc modo sunt invitati, ut hac clarâ luce fruantur, quæ per hoc quod Deo tanti constiterit, & nobis tanti profuerit, debet nobis esse charissima. Deus pro illâ non oleum, non balsamum, sed pretiosum expendit sanguinem. Nobis prodest, non ut tenebras arceamus materiales, sed spirituales. Fruamur ergo hac amabilissimâ luce, nec ab illâ recedamus. Quin potiùs ad instar circumvolantium culicum nos illâ comburi permittamus, ut vel sic feliciter moriendo, nobis ipsis semper vivere ac æternaliter clarissimâ illâ luce perfrui valeamus.

*Iustis & peccatoribus illuxit.* *Iustis, se submittens legi.* *Peccatoribus patiendo tormenta.* *Hac ergo luce nobis fruendum.*

# IN FESTO EPIPHANIÆ.

## DISCVRSVS SECVNDVS.

### *Quomodo Reges Christum invenerunt & quæ obtulerunt?*

### Apes volantes ad Rosam.

### *In odorem currimus.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

DE *Apibus & mellis confectione disputat num.* 1. 2. 3.

*Rosam describit* 4. 5. 6.

*Christum Rosæ, & Reges Apibus comparat* 7. 8. 9. 10. 11.

*Tres modos veniendi ad Christum explicat* 12. 13. 14.

*Christum thesauro assimulat.* 15.

*Facilitatem reperiendi hunc thesaurum indicat* 16. 17. 18. 19. 20.

*Quæ obtulerunt, & receperunt Magi dona refert à num.* 21. *usque* 26.

*Admirationem Evangelistæ de magorum adventu à num.* 27. *usque ad finem prosequitur.*

*Laus & descriptio Apis.*

1. PARVO corpore, sed magno animo, formâ non tam acceptabili, sed ingenio admirabili, fortitudine debili, sed industriâ incomparabili, prædita est fabricatrix mellis ingeniosa Apis. Hæc odore florum rore aspersorum allecta, cùm Aurora surgit; & tenuibus sed velocibus elata alis, ubicumque natura sive aureo, sive argenteo, sive smaragdino, seu alio rore nitenti vase pretiosum offert liquorem advolitat. Licet enim abundantia florum, & singuli eorum dulcissimo odore quasi blando Apem invitent eloquio, animo non minùs suspensam, quàm firmam volatu: Rosa tamen auro, & purpurâ quasi Regiâ majestate fulgens, ambitiosas superans contentiones, à cæteris floribus ad se Apem imperiosa compellit. Illa obediens subitò accurrit, seque illi in prædam offert; à quâ pretioso ditata thesauro ingenti onusta

*Rosa ad se Apem trahit.*

onusta prædâ domum redit. Sed maxima hîc oboritur difficultas, utrum dulcissimi mellis mater sit Apis, vel tantùm nutrix? Si solùm collectrix, an verò confectrix? Si illud è cælo cum rore delapsum, tantùm è floribus colligat & simul conglutinet, vel ipsa ex floribus materiam colligat, cui posteà formam & dulcedinem tribuat? De Apibus quidem Seneca ait: *Non satis constat utrum succum ex floribus ducant qui protinus mel fit, an quæ collegerint in hunc vaporem mixtura quadam, & proprietate Spiritus mutent.*

*Vtrum Apis mel conficiat?*

Seneca Epist. 84.

2. Poëta ille famosissimus Franciscus Petrarcha, & alii communiter Philosophi, scientiam colligendi, & cognoscendi mel, at non conficiendi Apibus tribuunt. Aristoteles etiam se in hoc non dubitare demonstrat, cùm dicit mel de cælo cadere; cui non dissentit Plinius dicens: *Si sit sudor cæli, aut terra saliva stellarum, aut liquor aliquis aëris purgati.* Virgilius quoque de hoc librum 4. Georgicorum sic incipit:

*Apis mel non conficit sed colligit.*

Petrarcha Epist. 7. 1. lib. ad Tho. Mess.

Virg. lib. 4. Georgic.

*Protinus aërei mellis cælestia dona*
*exequar.*

Quem locum explicans Ludovicus de la Cerda, dicit se hoc inquisivisse à personis multùm in Apibus versatis, & ab illis idem percepisse. Hæc etiam opinio ab omnibus excipitur Philosophis, & probata est ab Aristotele: primò, quia duobus aut tribus diebus Apes cellulas suas melle replent, quod si illud ipsæ conficerent, nequaquam id fieri potest. 2. Quia in Autumno Apes non conficiunt mel, licet reperiantur flores, quia de cælo tunc non cadit. 3. Si Matutino tempore in aperto stemus aëre, in vestibus, & capillis materiam melli similem reperiemus: Vnde Columella ait, ex florum substantia ab Apibus Ceram fieri, & ex rore mel.

*Videtur mel de cælo pluere.*

Aristot. l. 5. hist. animal. c. 22.

Plin. lib. 9. cap. 12.

3. Contraria tamen opinio etsi minùs sit communis, verisimilior est, Apem nimirum velut ingeniosam aromatariam, rorem ex floribus colligere, & artificiosè coquendo, elaborandoque in mel posteà convertere. Hujus opinionis probatio, ex Plinio, & Dioscoride colligitur, mel quippè ex absynthio, & aliis venenosis collectum herbis, etiam amarum est, & veneno aliquando infectum: signum ergo est, illud naturam participare florum, aut herbarum. Affirmat quoque Plinius in principio aquæ simile esse, ebullitum deindè mustum fieri, ac vigesimo tandem die, coagulari incipere. Apes ergo mel non inveniunt in floribus confectum, sed ipsæ (materiâ ex floribus, & rore matutino receptâ) illud conficiunt. Si tamen verum est quod Galenus ait, in monte Libano singulis annis magnam colligi mellis copiam ibi de cælo delapsam

*Probatur Apes mel conficere*

Plinius lib. 11. cap. 13. Dioscor. lib. 2. c. 7.

Plinius lib. 9. cap. 13.

Galen. lib. 3. de animal. facult. cap. 39.

*In montibus mel reperit sine Apibus.*

absque Apium interventu; non modicum primæ opionis erit argumentum. Hæc opinionum fortè contentio conciliari posset, dicendo cum Ruellio duo inveniri genera mellis; aëreum unum, sive cæleste, in quo non laborant Apes; artificiale aliud ab Apibus confectum. Addere quoque possemus materiam mellis rorem esse matutinum è cælo delapsum, sine quo Apes mel conficere non possent, cui ipsæ ultimam dent formam, & perfectionem, simul illud coagulando, & concoquendo, sicut ex uvis vinum conficitur.

*Duo genera Mellis.*

*Apes non nocent floribus.*

4. Quidquid hac de re sit, certum est absque minimo nocumento ponderis vel aculei sui, Apem materiam mellis ex floribus desumere. Hinc aliqui Emblema conficientes, pinxerunt Apem Rosæ insidentem; hoc dicto supposito, *sine injuriâ*. Quin imò si sensu prædita foret Rosa, gauderet ab Ape se osculatam esse; indeque clarum haberet suæ pulchritudinis & excellentiæ testimonium: cujus planè contrarium ex osculo accidit muscæ. Refertur siquidem à multis, Reginam Saba inter alia per quæ probare venerat Regem Salomonem, Rosam ipsi tanto elaboratam obtulisse artificio, ac si naturalis fuisset quod musca illius decepta pulchritudine, ad eam volando comprobavit. Nec mirum videri debet præcellentem hanc Reginam, Regi potentissimo obtulisse Rosam, nam his etiam temporibus, aliquibus in locis tantæ sunt Rosæ æstimationis, ut Regibus pro tributo dentur adhibeanturque in palatiis ac Regum domibus maximo pro ornatu. Hoc potissimùm in Indiâ locum habet, refertur enim Regem Bisnaga ex Rosarum tributo, quinque aureorũ colligere scutorum millia. Summus quoque Pontifex quartâ quadragesimæ Dominicâ, auream benedicere solet Rosam, quam magnis principibus dono transmittere consuevit. Cleopatra etiam in convivio quo Marcum Antonium excipiebat, maximam Rosarum adhibuit quantitatem. Varii insuper Principes ac Imperatores lectos ac cubicula Rosis sternebant. Sunt qui post mortem Rosas sepulchris adhibere voluerunt: ad hoc, quidam integrum testamento addixit hortum, præcepitque ut memoria istius sepulchro incideretur; alius etiam fraternum cupiens honorare sepulchrum binas in illo exsculpsit Rosas, unam foliis jam decidentibus, aliam adhuc cortice clausam, his duobus suppositis dictis: *Et decidentes redolent; & clausæ quoque.* Per hoc significare volens, licet suus jam mortuus esset frater, grato tamen virtutis odore redoleret. Et certè sepulchra rosæ non dedecent, cum vitæ nostræ indicent fugacitatem;

*Regina Saba mirabilem offert Rosam Salomoni*

*Multum æstimantur Rosæ.*

*Pro tributo dantur.*

*In conviviis, & domibus adhibentur.*

*In sepulchris ponuntur.*

Hieron. Madius miscel. lib. 1. cap. 17.

*Vitæ fugacitatem indicant.*

citatem; ſicut enim Roſa vix enata ſubitò langueſcit, ſic homo ut primò eſt editus in lucem ad mortem paulatim procedere videtur. Hinc optimus erat Romanis antiquis roſas vendendi modus, ut enim corporis ſitu naturam exprimerent florum, illas currendo vendebant; indicantes res tam fragiles manu firmâ, & lento pede vendi non poſſe.

Ruellius. l. 1. cap. 14

*Radix Roſæ fortiſſima.*

5. Licet ita ſit tenera, & fragilis Roſa; fortis tamen, & dura eſt ejus radix; vulnerata nempè combuſta & trânſplantata, non emoritur, aut ſterileſcit, ſed fortior, & fœcundior evadit. Hoc de illâ ſic affirmat Plinius: *Omni autem reciſione, atque uſtione proficit, tranſplantatione quoque ut vitis optimè ocyſſimeq; provenit.* In unguentis quoque, & aquis ſervant odorem, monet tamē Ruellius exiguum illud albi in poſteriore foliorum parte amputandum eſſe, ne crudo, & inutili ſuo humore odorem inficiat. Sed quia nihil tantâ pulchritudine, & bonitate præditum, ut omnibus æqualiter placere poſſit; ſunt (tam in brutis quàm in hominibus) qui in tantùm Roſarum abhorrent odorem, ut infirmitatem & mortem ſibi aſciſcant: Sic Nicolai Secundi Salmenſis Comitis Filia, refertur odore Roſæ vitâ privata. Aliis è contrà vitam reſtituere videtur, ut ſponſa illa cæleſtis teſtatur in Canticis. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Plinius lib. 21. cap. 4.

*Excellit odore.*

Ruell. lib. 1. cap 2. de ſtirpibus.

*Aliquibus odor nocet.*

Theatrum vitæ humanæ. *fol.* 2196.

Canti. 2. 5.

*Medicinalis eſt.*

6. Variis quoque morbis & infirmitatibus curandis adhiberi ſolent Roſæ, referente Plinio, qui folia ſilveſtris roſæ in lacte ebibita rabidi canis morſui mederi ait. Sed quid mirum ſi Roſa omnibus placere, aut prodeſſe non poſſit? Cùm nec Deus ipſe omnibus æquè placeat, juxtà antiquum dictum, *Nec Iupiter ipſe omnibus placet:* hoc quoque teſtatur S. Apoſtolus Paulus, dicens: *Chriſti bonus odor ſumus, aliis vita in vitam, aliis mortis, ad mortem.* Vbi notandum non illum dicere, aliquibus bonus ſumus odor, aliquibus malus, ſed ſemper omnibus bonus, licet non omnibus æquè proficiat, cùm aliqui indè vitam, alii exhauriant mortem.

Plinius lib. 25. cap. 2.

2. Cor. 2. 25

*Chriſtus verè Roſa.*

7. Meritò ergo Salvatorem noſtrum roſam nuncupamus, cùm ſeipſum in Canticis tali appellet vocabulo; *Ego flos Campi:* Vbi Hebraicus legit Textus, *Ego roſa Campi:* Nec noſter in hoc contradicit Textus; cùm enim roſa florum ſit Regina inter omnes nobiliſſima, per excellentiam flos vocatur. Nec roſa ſolùm eſt Salvator noſter, ſed talis ut in comparatione ejus, cæteræ vocentur ſpinæ, & omnis odor dicatur fœtor. Cùm enim dixiſſet ſponſa: *Lectulus noſter floridus, tigna domorum cedrina;* ſubjungit ſponſus, *Ego flos Campi.* Quaſi vellet illi dicere dilecta mea ſi odore delecteris & flori-

Cant. 2. 1.

*Roſa florum Regina.*

Cantic. 1. 16.

*Præcellit meritò omnes.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bus, ego flos tuus, ego odor tuus, nec in aliis gloriari debes quàm in me. Et quia tu omnium es pulcherrima mulierum, & veluti Regina; ideò vocavi te *Lilium inter spinas*, in comparatione quippè tui omnes aliæ dicuntur spinæ. Rosa ergo est Christus Dominus præcipuè dum parvulus est, eaq; purpurea, non jam fabuloso Veneris tinctâ sanguine, sed proprio in circumcisione sparsa cruore. Rosa inter spinas dolorum nata, & in præsepio velut in sepibus polita. Veniant ergò ad hanc Apes, veniât Magi, Apium nomine digniffimi: sicut enim Apes perfectissimum sunt obedientiæ symbolum, dum Regem suum numquam deserentes, continuum ei exhibent obsequium, maximoque afficiunt honore; sic Magi natum Regem summo sunt prosecuti honore, eique promptissimum exhibuere obsequium.

*Cantic. 2. 1.*

*Rosa purpurea Christus.*

*Inter spinas nata.*

*Magi similes Apibus.*

*In obedientia, & reverentia.*

8. Dignæ sunt Apes ut omnium laudentur præconiis propter sapientiam, industriam, & solertiam in melle conficiendo; & hi Reges ab Evangelista Magi vocantur propter sapientiam, industriam, & solertiam in Christo quærendo, de illisque cum admiratione loquitur *Ecce Magi.* Apes à longè odorem sentiunt, & Magi ab Oriente odorem percepere Rosæ in Bethlehem natæ. Apes velociter floribus adsunt, adeò acceleravere Magi, ut alas habuisse viderentur. Apes se à ventorum defendunt injuriâ, saxo aliquo alvearibus opposito; Magi contra Herodis perfidiam, mirabili se tuentur constantiâ. Simul volitantes Apes dulcissimo modulantur susurro; Magi suaviter in Domino convolantes, quasi cum cantico quærunt: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Apes dulcissimum è floribus hauriunt liquorem; ecquis devotionis suavitatem, maximamque animi referet quietem, quam ex Rosâ Bethlehemitica Magi attraxerunt? Refert Evangelista Magos summo repletos gaudio dum stellam denuò conspicerent? *Gavisi sunt gaudio magno valdè.* Sed dum Puerum cum Maria Matre ejus repererunt, non dicit illos gaudio fuisse repletos. Cur hoc quæso? An fortè plus illorum inflammavit animos stella illa, quam Sol ipse? Plus de duce sunt lætati viæ, quàm de termino iteneris? Magis æstimarunt legatum, quàm Principem? Magis Ministrum quàm Dominum? Minimè verò, sed visu tanti Principis ita hæsere stupefacti, ut omne lætitiæ signum deposuisse viderentur: quod Evangelista exprimere non valens silentio præteriit. Si quis modò à me quærat, an Magi hujus mellis fuere confectores, an verò illis fuerit è cælo dimissum? Respondeo indubiè illis è cælo delapsum, cui tamen li-

*In sapientia, & industria.*

*In odoratu.*

*In velocitate.*

*In constantia.*

*In dulci modulatione.*

*Matth. 2. 1.*

*Et collectione suavissimi liquoris.*

*Matt. 2. 10.*

*Cur Magi plus gavisi sunt visâ stellâ, quàm viso Christo.*

*Magis de cælo hoc mel pluit.*

bera

bera cooperati sunt dispositione.

*Sicut Musca contra Apes, sic Herodes contra Reges.* 9. Sicut Musca aut Scarabæus contra Apes, Herodes fuit, qui odore tantæ conturbatus Rosæ, ipsam tunc radicitus evellere conatus fuit, dum puerum è materno eripere parabat sinu, eique mortem inferre. Econtrà tamen Magi tribus ipsum donis honorarunt, juxtà tres excellentias Rosæ; pulchritudinem scilicet, odorem, & medicinalem virtutem; Regiæ dignitati, purpureoque decori, splendidissimum offerunt aurum; odori, qui corda rapit, suavissimum thuris exhibent ministerium; virtuti autem medicinali, myrrham in medicinis adhiberi solitam ipsi præsentant. Pulchritudo ejus ex eo resplendet, quia factus est homo; odorem spirat divinum; & sanguine suo (cum mortalis sit) medetur. Nec immeritò sancti hi Magi odore dicuntur allecti, *In odorem currimus*, divinâ siquidem virtute eò sunt adducti. *In tribus Rosa excellentiis, tria Magorum dona.* Cantic. 1. 4.

*Vtrum Christus Rosa silvestris, vel domestica?* 10. Sed cùm dulcissimus hic noster infans Rosa sit, qualem illum esse dicemus? Sylvestrem, an domesticam? silvestris ut mihi videtur, vocatur enim non horti Rosa, sed campi; sicut enim (inquit Angelicus Doctor) Rosa silvestris absque culturâ nascitur humanâ; sic ille hoc in mundo absque operatione natus est virili; Rosa quoque silvestris cunctis patet, & Christus omnibus est communis. Folia silvestris Rosæ lacti imposita (teste Plin.) rabidi canis medetur morsui; & Salvator noster à morsu infernalis canis, aquâ Baptismatis, sanare nos voluit, seipsum in potum & cibum offerendo. At magis Rosa apparet domestica, quæ pulchritudine, & odoris suavitate, aliam longè præcellit; Christo Domino quid pulchrius, quid gratius, quid excellentius reperiri potest? Pro hac adipiscendâ, non longiùs à domo est recedendum, sed in unuscujusque horto reperitur: imò intra viscera se abscondit, juxtà illud Evangelistæ, *Regnum Dei intra vos est.* Dicamus ergo utriusque eum participare pulchritudinem, & excellentiam, maximè quidem odorem, vix quippe natus erat cùm sui odoris fragrantiam per totum subitò diffudit mundum, dicente Apostolo; *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* *Rosa videtur esse silvestris.* Plinius. lib. 25. cap. 2. *Domestica tamen magis.* Luc. 17. 21. *Vtriusque participat excellẽtiam.* 2. Corinth. 2, 14.

*Tres modi odorandi.* 11. Hîc obiter notare licet, tribus potissimùm modis ad nos pervenire odorem; primò aëre ipsum quasi vehiculo portante. 2. Fumo ut in incenso experimur. 3. Artificioso aliquo liquore. De primo modo aiebat sponsa; *Surge Aquilo, & veni Auster & persla hortum meum, & fluent aromata illius.* De secundo dictum est; *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, & aromatibus myrrhæ, & thuris*: De tertio quoque dicitur, *Oleum effusum nomen tuum.* Tria hæc, tres mihi modos Chri- Cantic. 4. 16. Cant. 3. 6. Cant. 1. 3.

*Tres modi veniendi ad Christum.* stum cognoscendi adumbrant. Primus per res naturales, in aëre demonstratus, qui communior odorem percipiendi est modus. *1. Per naturalia Scripturam sacram & revelationem.* 2. Per Scripturam sacram, & fidem, & hic per fumum declaratus, qui suâ obscuritate, fidei designat inevidentiam. 3. Per revelationem particularem quæ in aquâ, aut unguento figuratur pretioso, nec ullis nisi nobilioribus, aut dignioribus conceditur personis; revelatio quippè nō omnibus à Deo conceditur, sed charioribus Dei amicis. Tribus hisce modis, Christus Dominus naturaliter est cognitus: *1. Per naturalia ut Magi cognoverunt.* Primò quidem à Magis per stellam, licet enim Christus ut Deus, naturaliter cognosci non potuerit; ejus tamen poterat cognosci divinitas, causa ex effectibus, & humanitas ex accidentibus, quibus visibiliter tegebatur. Et quamvis ista stella (ut communis fert opinio) non ex iis fuerit quæ communiter sunt in firmamento, sed miraculosè producta, suum tamen habebat naturale esse, sicut vinum in Cana Galileæ nuptiis, licet miraculosè productum, non desiit esse naturale vinum.

*2. Per Scripturam sacram ut Herodes & Pharisæi perceperunt.* 12. Secundo modo per Scripturam sacram, illum cognovit Herodes, Pharisæi, & Scribæ; nisi enim Herodes sacris adhibuisset fidem Scripturis, circa Messiæ nativitatem, numquam illum occidere voluisset cùm omnes in Bethlehem pueros interfecit. Cùm autem imperfectè crederet, putabat se divinis posse prævalere decretis: Scribæ verò & Pharisæi qui à fideli descendebant Abraham, & Scripturas quotidiè legebant, plus ipso cæcutiere, numquam tamen divinis potuêre resistere decretis.

*3. Per revelationem ut pastores intellexerunt.* 13. Tertio modo à Pastoribus agnitus est, quibus Angelus apparens, nativitatem Verbi manifestavit in carne; ita ut his qui longè, & his qui propè, Regibus, & Pastoribus, pusillis, & majoribus, Iudæis & Gentibus nostra hæc nobilissima Rosa, facta fuerit manifesta, suam quippè virtutem omnibus communicare venerat. *Christus in nativitate ab omnibus cognitus.* Sed quomodo, dices, omnibus est cognita, si in Occidente ignota manserit? Si Romanis mundi dominatoribus, non aliquod suæ nativitatis monstravit indicium? fortè quia majori eos illustrare volebat splendore, dum Apostolorum Principes ad eorum misit conversionem, nunc verò eorum quasi oblitus, silentio prætereat? *Utrum Romani Christum in nativitate cognoverint?* Vel quia tali indigni nuntio, propter odium quô in Regiam ferebantur appellationem, eos dicemus derelictos?

14. De hoc certè meliùs senserimus, illis etenim tunc nativitatem suam intimatam voluit cum multa Romæ prodigia fierent, ut varii referunt Auctores; & Testimonia multa exstabant Sybil-

Sybillarum, quorum libri magnâ asservabantur diligentiâ, ex iisque plurima scrutabantur ventura; quorum plurima à multis referuntur Poëtis, Virgilio præcipuè, qui tempus Nativitatis Christi describens apertè inquit:

Virgil. Ecloga 4.

*Iam redit, & virgo, redeunt Saturnia Regna, &c.*

Clarius quoque edidit Sybilla quædam oraculum, tunc nimirum Christum nasciturum, quãdo à Romanis subjugaretur Ægyptus:

*Quomodo eum cognoverint.*

*Sed postquam Roma Ægyptum reget, (qui,*
*Frenabit summi tunc summa potentia Re-*
*Regis inextincti mortalibus exorietur.*
*Rex etenim sanctus veniet qui totius orbis,*
*Omnia sæculorum per tempora sceptra tenebit.*

Hoc oraculum verificatum est, dũ Cæs. Augustus devicto Marco Antonio, & Cleopatrâ, Ægyptũ in provinciam redegit. Illos autem hoc non latuisse oraculum probari potest, ex difficultate quam Ciceronis tempore moverunt quidam, nè Ptolomæum Regem in Ægyptum reducerent, timentes nè si arma Romana Ægyptum intrarent in præjudicium eorum cederet libertatis.

*Etiam locum Nativitatis cognoscere poterãt.*

15. Locus pariter Christi Nativitatis, illis innotescere potuit; etenim præter Sybillarum oracula, occisionem quoque infantum ab Herode trucidatorum cognoscere potuerunt: cùm dixerit Augustus (ut Macrobius refert) feliciorem in domo Herodis porcum esse, quàm filium. Et certè quam utilitatem Christi adferret nativitas, nisi mundo manifestata esset? Optimè siquidem res omnes Hebræus ille perscrutatus est sapiens qui dixit: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus quæ utilitas utriusque?* Quasi diceret summæ utilitatis sapientia est, sed illa si abscondatur & tegatur quid proderit? Erit sicut lucerna sub modio posita, quæ lucem quidem habet, sed splendorem non emittit, erit ergo sicut quidam ait: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.* Si thesaurus ditissimus defodiatur in terrâ, quam poterit adferre utilitatem Dominis suis? Erit velut homo sepultus cujus non speratur adjutorium. Non ergo absque mysterio, antiqui thesauros in sepulchris recondere solebant, ut ex illo loco Iob colligitur: *Effodientes thesaurum, gaudent vehementer cum invenerint sepulchrum.* Sed quis umquam isto fuit excellentior thesaurus, quem intra præsepe, inter paleas, vilibus involutus pannis, paucis abhinc diebus abscondit sacratissima Virgo? Quæ sapientia profundior illâ, quæ de cælo descendit, & inter muta animalia nè agnosceretur quievit abscondita?

Macrob. lib. 2. Saturnalium. cap. 10.

Ecclesiast. 20. 23.

*Thesaurus absconditus quid prodest?*

Iob. 3. 21.

*Christus thesaurus absconditus.*

16. Vt Thesaurum quis habere dicatur, duæ requiruntur conditiones, ut maximi nimirum sit pretii, & parum occupet spatii. Pars ligni non est thesaurus,

*Thesaurus quas habet conditiones.*

ſaurus, quia exigui nimis eſt pretii; neque Regnum integrum, quia nimium diſtenditur. Duas ergò has conditiones ſi perfectè cupis habere unitas, in nullo profectò magis, quàm in puerulo noſtro Bethlehemitico reperire poteris; ſi pretium requiris? eſt infinitum, quantum enim cælum terraque continet; ipſe poſſidet, ita ut mille mundi hoc redimi valore poſſent. Si quem occupat locum ſcruteris; minor eſſe non poteſt: anguſto quippè in præſepio paucis conſtrictus pānis recluditur; deniq; uti Propheta teſtatur: *Parvulus natus eſt nobis.* O quàm admirabilis eſt hic thesaurus, quàm infinita ſapientia? *In ipſo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientia Dei.* Sed quid nobis profuiſſet theſaurus, ſi ſemper fuiſſet abſconditus? Quare annuntio vobis hodie gaudium magnum, hunc videlicet theſaurum omnibus jam patefactum. Cæli lucidis illum prędicant linguis, Magi ab Oriente ejus attracti famâ veneraturi accurrunt, tota conturbatur Ieruſalem, omnesq; illum invenire deſiderant. Meritò hæc dies ergo ab Eccleſiâ Epiphania, (id eſt apparitio) vocatur tantoque colitur honore, ut ipſam quoque Domini Nativitatem præcellere videatur; in hac quippe multa Sanctorum celebrātur Feſta, hic autem ne ullum quidem in totâ admittitur Octavâ. Sicut etiam in muſicâ aliiſq; feſtivis luſibus, excellēs aliquis ſolus audiri ſolet, ſic in hac die nulli alteri locus datur, ſed ſolus hic dies repræſentari debet, cùm alia Feſta reſpectu hujus nulla eſſe videantur.

*Hæ conditiones Christo perfectiſſimè conveniunt.*

Iſaiæ, 9. 6.

Ad Coloſſ. 2. 3.

*Hic theſaurus omnibus hodie manifeſtatus.*

*Feſtum Epiphaniæ celeberrimum.*

17. Quis ergo non deſideret tanto perfrui bono? Quis ad Magorum imitationem non ſe accinget itineri ut pretioſum hunc reperiat theſaurū? Quis detrectabit aſſumere alas, & Apis fieri, ut ſuaviſſimum mel nobiliſſimæ noſtræ Bethlehemiticæ Roſæ guſtare poſſit? An ſpinas metuimus? equidem ſi mille transfigi deberemus ſpinis, cùm lætitia ſuſcipiendum foret, ut tanto frueremur theſauro: At nullum hîc tale ſubeſt periculum, hæc enim Roſa ſpinis caret, quæ ab omni originali culpâ libera proceſſit in orbem: nulla hîc, inquam, labes in cujus pœnam dictum eſt de terrâ; *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Difficultates fortè in illo quærendo pertimeſcimus? Quin imò facillimè reperitur, in aperto enim eſt loco, omnibus communi, Regibus & paſtoribus, animalibus & jumētis. Propterea de Magis noſtris dicitur liberè eos intraſſe, non enim opuserat expectare janitorē, nullus deprecandus qui ipſorum nunciaſſet adventum, nihil nobilibus aut cubiculariis offerendum ut ſine morâ intromitterentur. Poſtquam autem ad eum ſunt ingreſſi theſauros ſuos aperuerunt;

*Christum alacriter quærere debemus.*

*Christum quærentibus nihil timendum.*

Gen. 3. 18.

*Christum facilè alloqui poſſumus.*

Rex

Rex quippè noster in hoc à terrenis differt Regibus, quod aulicorum nemo visitet quæ Domino offeruntur, tali enim occasione plerumque suffurantur non Regis solùm pecuniam, verùm ipsam ejus gratiam & personam. Licet etiam fures puniantur, qui Regis sustollunt pecuniam, qui tamen Regis personam suffurantur, honoratiori titulo, & modo absolvuntur. Nulli extraneum videatur, quod furari dicamus Regem; hac enim jam dudum usi sunt filii Israel locutione, expostulantes siquidem Davidem Regem dixerunt: *Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda?* Qui autem sunt isti qui furantur Regem? Qui impediunt ne omnibus ad eum pateat accessus, qui omnes gratias per seipsos impetrare volunt, nec quidquam approbant, quod ipsi non fecerint: qui impediunt quominùs Rex tribulationes, & querelas percipiat subditorum: qui denique Regem pro libitu suo regere, & gubernare volunt, nec alios ejus munificentiam degustare permittunt. De hoc nostro Rege nihil simile metuendum est, in hunc quippè mundum non pro se sed pro omnium venit salute, ut corda omnium animasque sibi appropiet. De quo ideò Propheta dicit; *voca nomen ejus accelera, spolia detrahe, festina, prædari.*

*Nullus ejus gratiam nobis eripere potest.*

*Quomodo intelligitur furari Regem?*

2 Reg. 19. 41.

*Christus pro omnium venit salute.*

Isaiæ. 8. 3.

18. Hæc Christum reperiendi facilitas, ipsoque fruendi magis augetur, dum ipse omnes ad se invitat dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Dices fortasse, non omnes velut Magi stellâ vocati sunt; quin imò dico ego, si non materiali vocati sint stellâ, excellentiori certè modo in ipsâ stellâ figurato, gratiâ nempè præveniente, & excitante vocantur; hæc enim mentem nostram planè accendit, & inflammat affectum ad requirendum eum, qui cunctis salutem præstare potest. Bene quoque hunc vocandi modum per stellam diximus figuratum, sicut enim Magis astrorum contemplationi deditis stella apparuit, sic gratia præveniens eâ nobis tribuitur formâ, quâ naturali cujusque affectui satisfacere possit; sitientibus potum præbet, ut mulieri accidit Samaritanæ, convivia sequentibus vinum & nuptias exhibet, ut in Cana Galilææ ubi aquam in vinum convertit: divitiarum cupidis, thesauros ostendit; *Simile est regnum cælorum thesauro in agro abscondito*: Honores, & coronas desiderantibus, eas promittit pulcherrimas: *Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ:* In mille se denique commutat formas ut nostro satisfaciat appetitui: pulcherrimè hoc exprimit Apostolorum Princeps: *Tamquam boni dispensatores, multiformis gratiæ Dei.* Qui ergo hanc gra-

*Christus*

*omnes invitat.*

Matth. 11. 28.

*Omnium se accommodat voluntati.*

Matth. 13. 44.

Apoc. 2. 10.

1. Pet. 4. 10.

gratiam,& stellam non sequitur, se propriæ inimicum salutis satis demonstrat.

*Christum quærentibus omnia auferuntur impedimenta.*

19. Hic insuper nobis facilitatur accessus dum videmus Christum non solùm nos invitare, sed cuncta etiam impedimenta removere, viresque addere quò progredi possimus. Quid enim tribus hisce Regibus plus impedimenti esse poterat, quàm venire ad Herodem Regem crudelissimum, proprii Regni percupidum, ac omnia suspiciosè perscrutantem. Quali se exposuere periculo dum ibi novum requirebant regem, ubi ipse tyrannicè Regnum usurpabat? Quomodo ille qui proprii zelotypiâ status, filium & uxorem occiderat, innocentes crudeliter interemerat, extraneos istos novi Regis præcones illæsos abire permisit? Quomodo carceri non mancipavit? Quomodo eis non adjunxit comitem, qui quidquid agerent nunciaret? Quomodo non illos detinuit violenter, cùm immanitate leonem, & astutiâ vulpes superaret? Hîc maximè profectò divina apparuit providentia quæ unicè se quærentes defendit, nec in minimo lædi permittit. In sacris epitalamiis hujus pulcherrimum extat exemplum; ibi etenim legimus Sponsam bis civitatis occurisse custodibus, diverso tamen exitu; primò absque nocumento verbi vel operis, ita ut liberè eam transire permiserint. Secundò verò velut in gravi delicto deprehensam, vulneraverunt, palliumque arripuerunt: undè conqueritur, *Vulneraverunt me, tulerunt pallium mihi.* Sed cur quæso eandem primò amicè, posteà verò inhumaniter exceperũt? Ingeniosè ad hoc respondet S. Ambrosius ipsam benignè exceptam, nullaq; affectam molestiâ ex eo fuisse puto, quia tunc se dilectum quærere indicavit: quærenti siquidem Christum nihil nocere potest, verba ipsius referam: *Sed quâ ratione suprà non tulerunt pallium? hæreo reperire, nisi fortè quia ibi interrogasse se dicit, num quem diligit anima mea vidistis? quæ Christum loquebatur, nec exuta est pallio, & quem quærebat invenit.* Non aliter de Magis dicere possumus, Christum quæritantibus, nihil adversi accidere potuisse.

*Cur Magi ab Herode non detenti.*

*Quærentibus Deum omnia prospera.*

Cantic. 5. 7.

*Cur sponsa semel bene accepta, cur semel malè.*

S. Ambros. serm. 7. supra Psalm. 118. vers. 7.

*Summa felicitas Christum quærentibus.*

20. Tanta porrò Christum quærentibus adest felicitas, ut illum rectè prout desiderant inveniant. Hoc in Magorum historia clarè patet, qui Regem illum videre cupiebant, dicunt enim: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Dum verò ipsum repererunt, non dicuntur Iudæorum invenisse Regem, sed *invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Quid est, quod quæsitum non inveniunt? Suane fortè frustrati sunt expectatione? Imò abundè satiati, quærentes quippe Regiam,

Matth. 2. 2.

Matth. 2. 11.

*Quomodo Magi Christũ inveniũt?*

giam Majeſtatem, infantilem reperêre benignitatem; & quem velut Regem adorare paraverant, amplexandi ut infantem acceperunt poteſtatem. Econtrà planè Herodi accidit, qui non Regem illum ſed puerum vocando; (*Ite & interrogate diligenter de puero*) ſenſit terribilem in morte Regem, tantâ moriens miſeriâ, quantâ vixerat ſuperbiâ.

*Herodes quomodo eum invenit.* Matth. 2. 8.

21. Dicit inſuper Evangeliſta, Magos inveniſſe puerum, cum Mariâ matre ſuâ; & ubi quæſo meliùs illum invenire poterant, quàm in Genitricis ſinu; in throno miſericordiæ, in cancellaria diſpenſationis gratiarum, in ſolio ubi merces ſuperabundat operariis; in mari undè cuncta derivantur flumina, undè univerſæ dimanant gratiæ, & beneficia; ubi omnis invidiæ flamma, & iracundiæ extinguitur zelus? Non fuit hoc conceſſum Paſtoribus privilegium; ipſis namque dictum fuit; *Invenietis infantem poſitum in præſepio.* Quam putatis fuiſſe cauſam? An quia ex juſtitiâ promiſſus Iudæis, gentibus autem ex miſericordiâ conceſſus; ideoque ab his in ſinu repertus matris, ab illis autem in præſepio poſitus? vel familiaribus, & vicinis ſe in familiari oſtendit hoſpitio, Regibus autem de longinquo profectis, Regali in throno, (materno videlicet ſinu) ſpectandum ſe præbet? Et hoc quidem probari poſſe videtur, ex conſecuto effectu: Non enim de paſtoribus legitur, quòd proſtrati in terrâ Chriſtum adoraverint; Magi verò, *Procidentes adoraverunt eum.* Variis id quoque rationibus confirmari poſſet: Nam Reges Regalibus magis aſſueti ritibus, adoratione eum (ut in Perſiâ & illis partibus fieri ſolet) venerati ſunt. Vel etiam majorem Deitatis notitiam habentes, in throno materno, & Regali quaſi conſtitutum Majeſtate, majori affecêre honore. Alia fortè ſuppeditari poſſet ratio, cur Magorum deſcribatur adoratio, & non paſtorum (cùm credibile ſit illos quoque adoraſſe) quia Magorum ſcilicet adoratio muneribus proportionata erat; non verò illa paſtorum. Quo docemur externas cęremonias parum Deo placere, niſi operibus fulciantur internis.

*Cur Magi in ſinu matris puerum invenerunt?*

Luc. 2. 16. *Cur paſtores in præſepio?*

*Quare Magi Chriſtum adoraverint, & non paſtores?* Matth. 2. 9.

22. Sed quid hoc? Dixeramus jam ante Magos veniſſe ut ingentem reciperent theſaurum, nunc verò eos videmus expendere quæ ſecum attulerant; & cùm recipere dona deberent, ipſi ea offerunt; putabant implere manus muneribus alienis, & eccè aliorum palmas ſuis onerant donis. Sicque omnia expendentes, nulla recipiunt. Quomodo hoc accidere potuit? reſpondeo, licet ipſi Regi infantulo munera ſua diſtribuerint; multò tamen recepêre majora, Deus quip-

*Vtrum Magi acceperint dona à Chriſto?*

quippe liberalitate numquam vincitur, ut bene scire Gregorius Nazianzenus edocet. *Numquam Dei benificentiam muneribus vinces etiamsi omnia tua bona projicias, & teipsum tuis bonis adjungas: Num hoc quoque ipsum accipere est, nempè Deo donare. Deus muneribus nostris vinci non potest.* Meo quidem judicio accidisse his Magis videtur, quod Reginæ Saba contigit (de cujus fortè stirpe ipsi descendebant) quæ ex eadem venerat Regione ut Salomonem conveniret; sic isti tanti Regis allecti famâ, verum Salomonem convenire cupiebant. Quod autem nostro inservit proposito est, Regem Salomonem dedisse Reginæ Saba cuncta quę voluit, & postulavit, quasi diceret maxima quæque dona; mulier quippè naturâ suâ adeò divitiarum cupida est, & rerum excellentium, ut solæ Salomonis divitiæ ipsam valeant satiare. Vnde à Salomone plura recepit quàm attulerat; videbatur venisse oblatura dona, sed venerat ablatura, tunc enim ad liberalitatem hominum proclivis est animus, cùm duplicata recipere sperant. Non aliter nostris accidit Regibus, qui offerentes aurum receperunt fidem; præbentes incensum, spe sunt repleti vitæ æternæ. Myrrham elargientes gratiâ & donis ditati, cælestibus recesserunt.

*Magi plura acceperunt, quàm dederunt.*

2. Paral. 10. 12.

*Mulier naturâ suâ avidissima.*

*Reges temporalia largientes dona, receperunt spiritualia.*

23. Reginam Saba legimus pretiosissimas præsentasse gemmas, cur similia non obtulère Reges qui ex eadem venerunt Regione? An fortassis hoc solùm voluerunt offerre, quod Regibus pro tributo solvitur? vel etiam res utiles non superfluas ei dare cupiebant? Aut ea quæ facilè distribui poterant, scientes natum Regem nolle thesaurizare, sed thesauros distribuere? Gemmæ quoque pro ornamento inserviunt, ipse verò cùm sit speciosissimus, nullo indigebat ornatu vel quia mulierum potiùs hæc sunt ornamenta, quàm Regum sapientum? fortè etiam quia in donis Reginæ Saba tota figurabatur gentilitas, in donis autem Magorum, quæ in conversionis initio solùm offerre ipsi poterant; prompta videlicet voluntas, devotio, & fides, absq; gemmis heroïcarum virtutum quas necdum acquisierant? vel denique quia sapientum, non opulentorum offerre volebant dona? Si gemmas obtulissent, cùm hæ summi sint pretii, homines credidissent eos hisce donis se divites, & potentes demonstrare voluisse. Quia verò thus offerunt, cujus magna in iis Regionibus est copia, Myrrham amaram, & aurum, quod licet sit pretiosum, commune tamen est omnibus: ostendunt sub externa horum specie donorum, mysterium aliquod latere debuisse.

*Cùr Magi non obtulerint gemmas, ut Regina Saba Salomoni.*

*In his donis latet mysterium.*

24. Hæc

*Varia descriptiones donorum.*

24. Hæc dona Sancti Patres variè quidem describunt, in eo tamen omnes conveniunt, quod his tribus eum cognoverint Deum, hominem, & mortalem: Deum in incenso, Regem in auro, in myrrha mortalem. Numquid tamen meliùs myrrhæ loco attulissent balsamum rarissimum & charissimum unguentum vulneribus sanandis maximè efficax, quo demonstrassent se illum agnoscere medicum animarum? Nónne quoque palmarum offerre poterant fructus, victoriæ symbolum contra inimicos crucis obtinendæ? numquid ipsorum inserviisset proposito unguentum nardi pretiosissimi, quale posteà S. Maria Magdalena obtulit, de quo dictum fuit: *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum*: Sicque protestati fuissent apertè, ipsum omnibus virtutibus, & præcipuè humilitate plenum? Amarã quippè ipsi offerre myrrham, mortis symbolum, magna videtur indiscretio. Dum senex quispiam doloribus plenus ac morti vicinus lecto decumbit à medicis derelictus, vix invenitur, qui mortem illi annuntiare audeat, hoc enim nuntium plerique abhorrent. Quomodo ergò sapientes Magi tenerrimo puero vivere vix incipienti, mortem præ oculis offerunt? Etenim dum quis in Regem coronatur, aut in quamdam introducitur civitatem, omnes ei occurrunt fausta acclamantes & dicentes, *Vivat Rex*: Quomodo ergo Magi qui non modò sapientes, verùm etiam Reges erant consuetudinem istam non ignorantes, puerum hunc ut Regem recipientes, illumque ut talem adorantes, pro felici augurio, mortem subitò præsagiunt? Illicóne mutati, amorem in odium converterunt, ut vix agnito Regi mortem exoptent. Si de personis divino non illustratis lumine sermo esset, arbitrari possemus, viso hoc puero, eos fuisse immutatos ut in hominibus novitatum amatoribus accidere solet, qui uno electo Principe, alium statim desiderant: veluti populus Iudaicus, qui summo honore Christum Regem Dominica Palmarum recepit, & paucis post diebus in eadem urbe mortem Crucis eidem intulit. Sed longè hoc absit à Sanctis Regibus, qui adeò constantes in amore ipsi exhibito fuerunt, ut ad mortem usque perseveraverint. Quid ergo sibi vult hoc mortis augurium?

*Cur myrrhã obtulerint, & non aliud unguentum pretiosum.*

*Cant. 1. 12.*

*Cur Christo memoria mortis sit exhibita.*

*An Magi sicut homines in aliam mutati sententiam.*

25. Existimo eos cælitùs edoctos fuisse, agnoscentes se nihil ei optabilius morte & passione posse in memoriã revocare. Sicut Moyses & Elias cùm Dominum tantâ gloriâ fulgentem viderent, nihil acceptius, nihil jucundius, nihil ei dulcius loqui poterant, quàm passionem ejus.

*Christo nihil gratius mortis memoriã.*

Luc. 9. 31. Evangelistâ testante; *Loquebantur de excessu ejus quem completurus erat in Ierusalem.* Ita Magi muto eloquio ei mortem intimarunt, quam in Ierusalem deberet sustinere. Hic etiam discursus prudenter Regio accomodatus titulo; licet enim ipse ex naturâ Regali potiretur dignitate, illam tamen passione & morte voluit adipisci: Imò plus illi in morte quàm in vitâ placuit. Dum enim populus viventem Regem creare vellet, se abscondit; dum verò in Cruce titulum Regium capiti ejus apponerent, non renuit; quasi diceret, aliàs nolui Regiam acceptare dignitatem, quia in Cruce & Passione mea illam acquirere debebam, modò dum morior, confidenter Regium capiti apponite titulum mihi convenietem, numquam enim illum rejiciam. Licet quoque paulò pòst inclinato capite tradiderit Spiritum, non idcirco hunc repudiare voluit honorem; sed potiùs annuentis, & acceptantis signum fuit: inclinatio siquidem capitis indicium est affirmantis.

*Christus per Crucem regnat.*

*Cur ultimò Myrrham obtulerunt?*

26. Quin-imò si rem profundiùs intueor; Magos ordine donorum ei oblatorum illud significasse non diffiteor: Evangelista enim dicit, *Obtulerunt ei Aurum, Thus, Myrrham.* Sed numquid meliùs Aurum ultimo posuissent loco? Dum multa alicui offeruntur pretiosissimum ultimum locum obtinet, aliàs vilius donum non ita placeret, cùm nobilius jam intuentis oculos allexisset. Legimus de Patriarcha Iacob dum in patriã rediret, timeretq; Esau fratrem suum, possessiones suas in tres divisisse turmas, illasque ante se dimisisse, ac omnibus præcipisse, ut dicerent illa esse dona quæ Iacob offerebat Esau. Vltimo autem loco pignora constituit chariora Rachel videlicet & Ioseph. Ita ut arbitror à Regibus aurum multò pretiosius amarâ myrrhâ ultimo loco erat constituendum. Ex dictis tamen facilis apparet responsio: Licet enim seipso aurum sit pretiosius, nihilominùs puero huic, nihil charius myrrhâ offerri poterat; cùm jucundius ipsi esset mori pro populo, quàm illius Rex constitui. Quapropter id Magi non ignorantes ultimò myrrham, ut-potè gratiorem obtulerunt. Quod vel inde clarissimè probari potest, quòd numquam legamus Christum Dominum pro ullâ injuriâ quamvis maxima, ulla indignationis signa demonstrasse (*Quia cùm malediceretur non maledicebat*) cùm verò S. Petrus vellet ei ignominiosam dissuadere morté, indignabundè illum à se abegit dicens: *Vade post me satana, scandalum es mihi:* infami illum appellans nomine, cujus tamen dissuasio, ex amoris procedebat affectu. Tantum fuit patiendi pro nobis in Christo desiderium, ut nè in

Matt. 2. 11.

*Vltimò semper pretiosius ponitur.*

*Myrrha ultimo ponitur loco, quia charior Christo.*

1. Pet. 2. 23. *Christus in omnibus patientissimus.*

Matt. 16. 23.

in minimo quidem sibi contradici pateretur. Si ipsi vestimenta detrahas nihil curat, si vitam, si honorem adimas, patienter sustinet; sed passionem ejus impedire volentibus viriliter restitit, ut occasionem indè majoris sumeret patientiæ. Vnde meritò Tertullianus quasi Christi induisset zelum, contra Marchionem insurgit heresiarcham, veritatemque mortis Christi negantem arguit dicens: *Scelestissime hominum, interemptores excusas Dei, nihil enim ab eis passus est Christus, si nihil vitæ passus est. Parce unicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei.* Prudenter ergo & conformiter Christi desiderio Magi myrrham ultimo posuere loco, tamquam acceptius donum.

*Vltimò semper pretiosa ponitur.*

Tertulian. lib. de charitate Christi.

*Myrrha ultimo posita loco, quia charior Christo.*

27. Sed si verum est (ut diximus) Magos ampliùs quàm dederant recepisse; quomodo Evangelista nullam istorum mentionem facit donorum, sed solùm oblatorum refert ordinem, & modum? Si in Evangelicum scriptorem ambitionis aut proprii honoris cadere posset suspicio: dicerem Evangelistam Matthæum nimiùm istis affectum fuisse Regibus. Fortè quia ipsi Æthiopiæ Regnum in sortem contigerat prædicationis unde Reges venerant (juxta Davidicum vaticinium *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*) majori illos volebat afficere honore? Non enim consideratis quanto verborum strepitu illorum referat adventum; *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam*: Quam è contra Nativitatem Christi simplici enarrat sermone: *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iuda*) quasi de re ordinaria loqueretur? Non ergo miraris (ô sancte Evangelista!) Deum nasci in hoc mundo, qui modicum hominum iter stupendâ adeò prosequeris oratione? Parum tibi videtur Deum è summis cælorum in terram descendere, & tanti facis homines ab una orbis regione ad alteram commigrare? Quid rarius quàm Deum cælum suum vili commutare stabulo; consortiumque cælestium Spirituum cum rudium contubernio animalium? miraberísne homines aliquantulum patriam deserere, novorum cupiditate flagrantes?

*Cur non descripta dona quæ Magi acceperunt.*

*1. Pet. 2. Christus omnibus patientissimus.*

Matt. 16. 23.

Psal. 67. 32.

Matth. 2. 1.

*Cur adventus Magorum solemniter descriptus, & non Christi adventus.*

28. Ad primum igitur dubium facilè patet responsio, cùm quippè visibilia essent quæ Magi offerebant dona, illorum Evangelista mentionem fecit, tacuit autem ea quæ receperant, quia invisibilia, & solis nota recipientibus. Quod verò posteà de illis cum admiratione loquatur, variæ possunt assignari rationes; primò Sanctum Matthæum hoc oratorio fecisse modo, quô stylus sermonis, rebus de quibus agitur accomodatur: ut si v.g. de bello aut tempestate sermo sit, gravi utamur sermone; si de convi-

*Visibilia describuntur dona non invisibilia.*

*S. Matthæus oratorio usus modo.*

viviis aut hortis agamus amœnis, suavibus ac mellifluis verbis; quod Poëta Virgilius optimè executus est, dum enim de bello loqueretur, dixit: *At nunc horrentia Martis arma virumq; canam;* De pastoribus autem & pratis loquens, ait; *Ille ego qui quondam gracili modulatus avenâ.* Simili modo Evangelista Matthæus hæc duo voluit tractare mysteria, ut exteriùs apparebant. Nascitur Christus nocte media in tenebris, (*Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*) in vili paritur præsepio, sine comitatu, sine apparatu, sine pompâ; ideò illud simpliciter Evangelista describit; *Cùm natus esset Iesus.* Econtrà Magi cum magno veniunt famulorum comitatu, ingens auditur camelorum, equorumque strepitus, currunt universi ad tantæ rei novitatem, tota turbatur Ierosolyma, Rex ipse Herodes stupet; sicque Evangelista se tantæ commotioni accōmodans verbo utitur admirationis; *Ecce Magi ab Oriente venerūt.* Solet etiam hæc vox *ecce* usurpari, dum inexspectatò quis venit; Magi ergo stellam videntes, quam citissimè advolarūt, cumque ipsi gentiles essent, quibus Christus promissus non fuerat, eorum inexpectatus videbatur adventus, quod Evangelista indicare volens, hac usus est voce *Ecce Magi.*

Virgil. 1. Æneid.

*Christi Nativitas humilis humili describitur stylo.*

Matth. 2. 1.

*Adventus Regum admirabilis, cum admiratione descriptus.*

29. Dici etiam potest, Evangelistam summoperè admiratum, non ignorans quàm difficilè, & tardè magni hujus mundi Principes Deum quærant, undè Pharisæi dicebant: *Nemo ex Principibus credebat in eum.* (videlicet in Iesum) *sed turba hæc maledicta.* Herodes quoque licet desideraret videre Christum, propter famam miraculorum ejus, numquam tamen illum ultrò quæsivit, sed expectavit donec Pilatus eum ad se mitteret. Meritò igitur miratur Evangelista, hos Reges ex Regione tam longinquâ venisse ut quærerent Salvatorem, ideoque tamquam de re insolitâ exclamat, *Ecce Magi.* Cognoscensque homines solâ emolumenti causâ, Deum quærere solitos, & calamitate, aut necessitate compulsos; summâ rapiebatur admiratione hos Reges, nec lucro, nec tribulatione commotos, voluntariâ servitute dominum venerari: *Ecce Magi.* Illos etiam sapientes considerans viros, & prudentes Reges, non satis admirari poterat ipsos eò devenisse, ut puerulum cujus palatium stabulum; cujus thronus præsepe, aut maternus sinus, cujus comitatus Ioseph & Maria, cujus custodes duo vilia jumenta, cujus apparatus fœnum, & stramen, cujus divitiæ extrema paupertas, tamquam Regem adorarent, quod sapientiæ mundanæ maximè repugnabat; meritò

*Quàm tardè mundi Principes Deum quærant.*

Joan. 7. 49.

*Magi solo incitati amore Deum quærunt.*

*Magorum humilitas.*

ritò ergo exclamat, *Ecce Magi.*

*S. Matthæus divino instinctu ita exclamat.*

30. Meliùs dicamus, Matthæum Spiritu sancto plenum immensum Salvatoris nostri amorem intimare volentem, exclamasse, *Ecce Magi.* Hoc ut rectè percipiamus, notanda obiter est Angelici Doctoris doctrina, quâ nobis ostendit, quomodo summum amoris gradum cognoscere debeamus, ait enim, *Operari magna, & reputare parva, operari multa, & reputare pauca, operari diu, & reputare brevi, hoc verè signum est amoris præcipui.* Aliam hîc proprietatem adjungere possumus, verum amantem maximum laborem pro dilecta parvi pendere, minimam verò amatæ operationem maximè ponderare. Verus siquidem amans quid non facit, quæ non patitur, quid non dat pro dilectâ suâ? parum tamen sibi semper effecisse videtur, imò nihil: sic de Iacob Patriarcha legimus, quod 14. servitutis anni pro formosâ Rachaële, videbantur ipsi non anni, sed dies pauci præ amoris magnitudine. In Canticis quoque inquit Sponsus; *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione* (idest *pro dilectâ*) *quasi nihil despiciet eam.* Econtrà favor minimus dilectæ, solus crinis, solius amantis intuitus, sufficiens videtur ut diligens se reputet beatum. Ita divinus ille aiebat sponsus; *vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* Tantum videlicet mihi ostendisti amorem uno intuitu, & in uno capillorum tuorum, ut mihi cor abstuleris. Alio quoque loco idem inquit; *Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt*, quasi diceret nimium mihi ostendis favorem, tuo amoroso intuitu.

*S. Thom. opusculo de diligendo Deo.*

*Quis summus amoris gradus?*

*Amantis desiderium omnia vincit.*

Gen. 29. 20.

Cant. 8. 7.

Cant. 4. 9.

Canti. 6. 4.

*Signa amoris præcipui in Christo.*

31. Hæc duo immensi amoris signa in nullo clariùs quàm in Salvatore nostro reperiri possunt; unde Evangelista ut fidelis Secretarius, hujus rei optimè conscius in præsenti Evangelio cum stupore hoc nobis annuntiat. Venit Deus in hunc mundum, carnem assumit humanam, fit puer, nascitur pauper, mille expositus miseriis, tribulationibus & calamitatibus, & hæc omnia pro nobis suscipit; Quis igitur Angelica lingua, nobis beneficii istius magnitudinem poterit explicare? Tantus est divinus amor, ut ipsi parum hoc videatur: undè Evangelista tamquam de re parvi momenti loquens dicit; *Cum natus esset Iesus.* Econtrà iter Magorum respectu amoris divini exiguum reputari potest; Deus tamen illud velut immensum æstimat, vult cum admiratione describi, & futuris temporibus Evangelicâ tubâ annuntiari, propterea admirabundus ait; *Ecce Magi ab Oriente venerunt, &c.*

*Magnitudo beneficiorum Dei.*

*Quæ Deus à nobis accipit magni æstimat.*

Matth. 2.

*Quanta ingratitudo nostra.*

32. Quantus est Dei erga nos miseros, & abjectos amor! Quam econ-

econtrà sumus ingrati, ut res quævis minima, nobis maxima videatur. Ita planè nobis accidit; ut vineæ Evangelicæ operariis, qui cùm viderentur summum sustinuisse laborem, murmurabant; *Portavimus pondus diei & æstus*; Et Pharisæo illi qui seipsum extollebat, *Iejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Immensa Dei beneficia parvi pendimus, conformes illis qui in lege veteri dicente eis Deo, *dilexi vos*, tam insolentes fuerunt ut exprobrarent; *In quo dilexisti nos?* Pharisæi quoque infinita Christi videntes miracula, adhuc signum ab ipso petebant; *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?* Quot hodie conqueruntur, Missam & Quadragesimam esse nimis longam, jejunia nimis frequentia, præcepta admodum difficilia, tribulationes nimis esse graves, eleemosynas esse superfluas. Quis Festa ab Ecclesia ad divina recolenda beneficia ordinata, ex consuetudine tepidè non celebrat? Quotus quisque est qui divina recepta beneficia grato recolat animo? Qui favores immensos liberalissimâ largitos manu obstupescat, aut pro viribus compensare studeat? Quis tormenta Salvatoris, tribulationes, passionem, mortem acerbissimam, vel minimo saltem doloris affectu prosequi conatur? O corda sine amore! oculi sine luce, intellectus sine intelligentiâ! Confundamur ergo, precemurque divinam Majestatem ut corda nostra illo inflammet amore, cujus divinâ claritate possimus immensitatem beneficiorum agnoscere nostræ exiguitatem servitutis, magnitudinem ingratitudinis, & peccatorum gravitatem.

Matth.20.12.

Luc.18.12.

*Quæ nos à Deo accipimus, parvi pendimus.*

Malachiæ 1.2.

Matt.12.39.

*Quomodo nos Dei recolimus beneficia.*

*Deus precandus ut nobis subveniat.*

IN

# IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI APOSTOLI.

## DISCVRSVS TERTIVS.

*De admirabili & perfecta Converſione ejusdem.*

### Ciconia pullos ex incendio liberare quærens in ipſo moritur.

*Extinguere quærens.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Ciconiam ejusq; proprietates deſcribit primis* 12. *num.*

*Eas S. Paulo applicat num.* 13. 14. 15.

*Inquirit cur S. Paulus ſubitò ſe Chriſto tradiderit: n.* 16. 17. 18. 19.

*Ipſum hanc viſionem ſolum vidiſſe affirmat:* 20. 21. 22. 23.

*Cur Eccleſia hanc ſolam converſionem celebret explicat: num.* 24. 25. 26. 27.

*Peccatores S. Pauli exemplo ad pœnitentiam hortatur: num.* 28. 29. 30.

*Humilitatem & perfectam ejus converſionem indicat: à num.* 31. *ad finem uſque.*

*Laus & deſcriptio Ciconiæ.*

1. On adeò variis ornata plumis ut animi virtute excellit Ciconia; licet enim multis cedat avibus pulchritudine, heroïcis tamẽ factis nullã ſibi ſimilem agnoſcit. Non diverſis tincta coloribus ut pavo, & pſittacus; ſed nigro alboque contenta, in alis caudaque nigra eſt, in ceteris albo colore nitet. Roſtrum longitudine caudam excedit, collum autem & pedes non minùs gerit extenſos; æqualiter verò in utroque rubicunda; virtutes tamen ejus quis brevi narret compendio? Prudentiæ quæ morales inter virtutes Principem locum tenet, plurima in ipſa reperiuntur indicia. Quòd ſuis noverit temporibus mutare locum, ut Deus per Ieremiam ad confuſionem Hebræorum notavit

*Virtutis indicia.*

*Ejus prudentia.*

vit dicens: Hirundo & Ciconia custodierunt tempus adventus sui, populus autem meus non cognovit judicium domini.

*Sagacitas in transmigrando.*

2. Quis verò umquam belli dux majori sagacitate, & ordine direxit exercitum, ut Ciconiæ ex una in aliam Regionem transvolando? Statuto quippe tempore, in unum agmen convolantes, nulla evolare tentat, quin primò experiantur, utrum quæ ex nido advenerint, aliarum volatum assequi possint, ut nulla retrò manente desideratâ libertate potiri queat. Vbi omnes spatiosum attigere campum, sese reficiunt, reliquis tardior aut in adulterio deprehensa, severè punitur, & quandoque occiditur. Inde nocte mediâ adeò furtivè discedunt, ut nullus eas advenientes vel discedentes, sed solummodo in aëre volantes, vel in campo sedentes se vidisse testari possit.

*Iustitia in puniendo.*

*Industria in discedendo, & volando.*

3. Inter volandum ventum sibi propitium, & quasi propellentem sequuntur, ut vel sic itineris difficultates minùs sentiant. Nec tantùm suis confidunt viribus, quin alias (nempè cornices) ad sui defensionem admittant; licet (secundum multos) hæ aliis carnivoris adjunctæ volucribus, Ciconias non rarò aggrediantur, ex iisque opinatam reportent prædam, magno utrimque inito conflictu, ex cujus successu incolæ loci istius vel penuriam, vel abundantiam colligunt frumenti si Ciconiæ victrices evadant, sin minùs animalium abundantiam.

*Solertia in se defendendo.*

*Præscientia in malis evitandis.*

4. Præsciæ quoque rerum futurarum Ciconiæ, instantia mala præcavere norunt; si furentes tempestates, & cælum minetur ventos in nido latitantes, se pedibus firmant, caputque plumis contegunt, infestisque ventis terga opponunt: sicque cæli tempestatem expectandam demonstrant. Quod magis est, casus etiam fortuitos prævidere videntur; cùm enim Aquileiensis civitas post longam Hunnorum obsidionem se non ampliùs furori eorum opponere nequiret, visæ sunt Ciconiæ nidos cum pullis deferentes qui in turri civitatis remanserant. Quod cùm Attila Hunnorum Rex observasset, spe capescendæ civitatis armatus, illam tanta vi est aggressus, ut victor existens, solo penitùs adæquavit. Similia ab aliis referuntur historicis.

*Casus fortuitos prævident.*

*Fortitudo contra serpentes.* Plin. lib. 10. cap. 4.

5. A fortitudine quoque meritò laudatur Ciconia, quam non ut Aquila, Falco, & accipiter in alias volucres, sed in serpentes ceteraque nociva animalia exercet: quibus magnam infert stragem, iisque sæpissimè vescitur. Vnde referente Pierio, in Thessaliâ pœna capitis imposita erat iis, qui Ciconiam occidisset; tanta quippè illic erat serpentum co-

copia, ut patria deserenda foret, nisi à Ciconiis interempti fuissent.

*Gulæ sunt signum.*

6. Temperantiâ præditam esse quis dubitare posset, cùm extento promineat collo præcipuum gulæ signum, Alciato referente; qui Ciconiâ pro Emblemate positâ, gulosum exprimit: occasione ex Aristotele desumptâ qui gulosum longum efflagitantem collum inducit, ut diutiùs ciborum perfrueretur sapore.

*Temperantia in qualitate ciborũ.*

Ejus tamen temperantia in eo commendari potest, quod qualitatem non appetat ciborum; sed serpentibus aliisque sordidis ac venenosis animalibus vesci contenta, castitate quoque conjugali præ omnibus excedere fertur;

*Castitas conjugalis.*

etenim si quæpiam fidem maritalem violasse fertur, severissimè plectitur. Hoc singulari probat exemplo auctor libri *de natura rerum*: Nidificabant (inquit) supra domum cujusdam duæ Ciconiæ, masculo igitur pro cibo colligendo sępius evagante, femella domi remanebat, & cum alio adveniẽte masculo commiscebatur. Nè igitur in tali deprehenderetur delicto, vicino semper in fonte se intingebat; quod dum crebriùs herus domus observasset; quondam fonti assidens, immundam Ciconiam nẽ ablueretur prohibuit. Advolans igitur consors fidem violatam odore percepit: prudenterque dissimulans die sequenti cum aliis adveniens Ciconiis adulteram dilaceravit, sicque sceleris pœnas exsolvit.

*Quomodo adultera punita?*

*Adulterium dominæ vindicant.*

7. Nec in consorte solùm adulterium displicet, in aliis quoque idipsum detestatur; quod ex illa probare possumus Ciconia quæ in Thessaliâ nidificans cùm observasset servum parum honestam cum domina (Alcinoe dicta) habere familiaritatem, domini sui non sufferens injuriam, servique detestata ingratitudinem, illum aggressa oculis privavit, injuriam domini vindicans, simulque servo occasionem adimens pulchritudinem dominæ intuendi.

*Pietas, & gratitudo.*

8. De Pietate quoque & gratitudine Ciconiæ plurima referuntur. Ægyptiis siquidem symbolum pietatis erat, quia sceptris Regum caput Ciconiæ superpositum, & ungula equi marini ima tenente; pulcherrimo significabatur mysterio (ut refert Pierius) impietate suppressâ regnare pietatem, & illâ deficiente hanc elevari. Meo autem judicio sceptra caput Ciconiæ decorabat ut innotesceret pietati auctoritatem Regiam debere postponi: Non enim instituta est ad supprimendos justos, *cùm justis non sit posita lex*, sed ad iniquos sceleratosque coërcendos.

*Ægyptiis pietatis symbolum.*

1. Ad Timot. 1. 9.

*Erga parentes pietas.*

9. Pietatem Ciconiæ maximè erga progenitores exercent; quibus seniô confectis, cibumque quæritare non volentibus, memo-

mores beneficiorum dum pulli forent receptorum, eadem majores effecti rependunt: nidum accommodant, cibum adferunt, calore suo fovent, ac si necesse foret dorso superpositos aliò transportant, ipsis paternum exhibentes amorem, à quibus esse acceperant. Vnde Alciatus ad gratitudinis Emblema exprimendum, has Ciconias posuit, inscriptione supposità; *Gratiam referendam*, vel ut alii: *Hoc pietatis opus.*

*Gratitudo erga benefactores.*

10. Nec solùm erga progenitores, verùm etiam benefactores gratam se exhibet Ciconia, (teste Eliano) qui quandam in domo rurali nidificasse refert, ubi cum pullos ad volandum exercitaret, unus cui alæ necdum suffecerant in terram decidit tibiâ confractâ, quem mulier reperiens, acceptum domi ita fovit, ut sanus cum reliquis avolarit. Regionem tamen mutans, suæ non est oblitus benefactricis, sed primo vere remeans, ipsaque conspectâ non exigui pretii lapidem in sinum ejus cadere permisit, quem admirata nec undè delapsus agnoscens, domi reposuit, nocte verò lucidum conspiciens gemmam agnovit, acceptique beneficii Ciconiam vices rependisse vidit.

*Gemmam benefactrici adfert.*

*Hospitem benignè salutat.*

11. Non dissimile gratitudinis exemplum Iustinus Goblerus à majoribus certissimâ traditione accepisse refert. Nidificabat, inquit, domo cujusdam civis Vesaliæ Ciconia, quæ nullam à domesticis experta molestiam, beneficii memor abiens, ac rediens, hospitē suavi salutabat murmure; illeque ut valedicens dulcibus alloquiis ad reditum hortabatur. Quadam igitur die solito hilarior rediens, patronum invisit, ante cujus pedes non exiguam Zingiberis partē demisit, ipsum quasi precando, ut in gratitudinis signum exiguum hoc acciperet donum; ex quo Herus agnovit patriam illarum hiemalem illam esse ubi hæc radix nascitur.

*Zingiber adfert.*

12. Erga filios denique Ciconia maximam exercet curam, sciens quippe vespertilionem, & Aquilam ovis suis insidias tendere, eas strenuè impugnat, ac folia plantani nido suo imponit, sicque tutum reddit. Sicut enim ova tactu vespertilionum sterilescunt; sic hæ foliorum plantani contactu, quasi veneno infectæ languescūt. Clariùs tamen amoris ergà pullos signum anno 1586. Delphis Batavorum visum fuit: cùm enim ibi maximum exortum esset incendium quo multæ conflagrarunt domus, Ciconiæ nidum ibi habentes, visæ sunt rostro, alis, & toto corpore pullos suos ab igne protegere & tamdiu persistere certantes, ut etiam ipsæ à flamma consumerentur. Malentes cum pullis perire quàm periculo expositos

*Diligentia erga pullos.*

*Seipsas comburunt ut pullos liberent.*

tos

Campana lib. 10. suæ histor. tos deserere. Sic referunt Simonq Majolus, Gregorius Bruin, & Campana.

S. Paulus Ciconiam imitatus. 13. Ciconiæ proprietates discursum hujus festivitatis elucidabunt, eas Divo Paulo applicantes inscribimus, *extinguere quærens*: quod conforme est mulieris Thecuitæ dicto quæ Davidi Regi dixerat: *Extinguere quærunt scintillam meam*, filios videlicet. 1. Reg. 14. 7. Non aliter S. Paulus videns ignem divinæ Evangelicæ legis in Synagoga Iudæorum accensum, multosque filios ejus ardore consumptos; zelo legis suæ, (quam falsò periclitari arbitrabatur) animatus, omnem adhibuit conatum, ut grassantem extingueret ignem. S. Paulus divino accensus amore. Sed cùm diutiùs inextinguibili inhæreret incendio, ab illo tandem combustus, felicissimè consumptus fuit. De Saulo enim factus est Paulus, ex Christi persecutore defensor Ecclesiæ, ex discipulo Synagogæ, Doctor gentium, & ex Ministro Satanæ, Salvatoris Apostolus: undè meritò potuit dicere, *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ad Gal. 2. 20.

Optimè Ciconiæ assimulatus. 14. Nec immeritò S. Paulum Ciconiæ comparavimus; sicut enim illa venenosis vescitur animalibus, quæ gentilem designant populum (ut è cælo S. Petro in linteo monstratum est, eique dictum *occide & manduca*) Act. 10. 13. sic ad hos devorandos serpentes, particulariter S. Paulus est deputatus. Hoc enim de seipso testatur dicens: *Qui operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Ad Gal. 2. 8. Si ardet zelo castitatis matrimonialis conservandæ Ciconia; zelosissimus ejusdem fuit S. Paulus, ut ex variis ejus patet epistolis in quibus omnes adhortabatur nè fidem Christo, & marito datam frangerent: *Æmulor vos Dei æmulatione; despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* 2 Corinth. 11. 2. Omnes Ciconiæ proprietates S. Paulo conveniunt. Rigorosissimus quoque fuit violatæ castitatis castigator, ut in Corinthio adultero patet: nec adulterum solum punivit, verùm etiam illum qui animas à Christo seducebat Elimam Magum magno afflixit dolore, & ut altera Ciconia cum visu privavit. Si gratitudinem Ciconia erga parentes ostendit, S. Paulus erga progenitores suos & magistros se non minùs gratum exhibuit: Gratitudo ejus erga patriam. cùm enim discipulus fuisset Synagogæ, & à Rabbinis Hebræis in lege instructus, vicem illis rependere voluit, illosque in Evangelica lege edocere; unde prolixam eis pulcherrimamque scripsit epistolam. Vniversæ etiam genti gratissimus extitit cùm eorum curavit infirmos, ac juvenem quemdam qui eum concionantem audierat è fenestra delapsum exanimem ad vitam revocavit.

Per totum mundum Evangelium prædicat. 15. Si Ciconias patriam mutare delectant; Apostolus Paulus in

in diversissimas mundi partes Evangelium prędicando discurrit. Si Ciconiarum ex uno in alterum locum discessus, ruinam loci indicat S. Pauli ac aliorum Apostolorum ab Hierosolymis discessus, ruinæ civitatis præsagium fuit. Non aliam quippè ob causam Christus quadraginta post passionem expectavit annis ut ultimam civitati afferret desolationem, nisi quia inibi adhuc nidificarent Ciconiæ quibus Deus parcere cupiebat.

*Lex divina ignea.* 16. Legem porrò divinam igneam esse, indè clarissimè patet, quod cùm Deus appareret

*Deut. 2. 33.* Moysi, in dextra ejus erat *Ignea lex.* Quod meliùs profectò de Evangelica affirmare possimus lege, cùm sit lex gratiæ, & charitatis, & simul cum illâ Spiritus sanctus in igne super Apostolos descenderit in Festo Pentecostes. Hunc ergo ignem cùm S. Paulus in Iudæa accensum extinguere vellet, magis accendit, ut enim S. Leo Papa inquit; *Ecclesia persecutionibus crescit*; Sic Saulus quò magis sæviebat, & alas suæ extendebat potestatis ut illum extingueret ignem; ipse quoque eodem inflammatus, ac de cælo ignito percussus jaculo, dejectusque ex equo in terram, devictusatque consumptus fuit, ita ut dixerit: *Domine quid me vis facere?*

*S. Paulus igne consumptus quem extinguere quærebat.*

*Actor. 9. 6.*

*Cur non se excusavit S. Paulus.* 17. Hîc mihi considerandum videtur, quomodo percussus Apostolus & acriter è cælo reprehensus non sese (ut debuisset) excusaverit, aut errati veniam petierit, quod quilibet faceret subditus qui nocte occurrens Principi, ipsum incognitum sauciaret quem posteà reprehensus cognoscens, diceret: ignosce mihi Princeps ignotum percussi. Ita S. Paulus facere debuisset, quandoquidem (ut postea fassus est) ignoranter deliquerit. Cur ergo non se excusavit, aut remissionem peccati postulavit? Fidei, ni fallor fuit hic effectus, & amoris summi indicium; fidei quidem, quia statim agnovit Christum Dominum, unde sic argumentabatur, Deum nihil latet cognoscitque me ex ignorantiâ peccare, ac in tenebris esse, ideò fortè lumen immisit cęleste, lumine me privans mundano, non ergo opus est, me apud eum excusare. Amoris verò indicium fuit statim enim ad supremum perfectionis apicem ascendit, se totum divinæ committens voluntati. Nullam petiit remissionem, quia promptus ad quamlibet sustinendam pœnitentiam, nec admissum sibi postulat ignosci, quia solvere paratus erat; optima quippè criminis dilutio, est emendatio culpæ. Nec solùm inimicus esse non vult, sed promptissimus servus, imò in lege Evangelica concremari, ideoque se totum Christo obtulit dicens: *Domine quid me vis facere?*

*Fuit effectus fidei,*

*& amoris.*

*S. Paulus perfectè conversus.*

O ver-

S. Bernard. serm. 1. de de conver. S. Pauli.

*O verbum breve, sed plenum* (meritò exclamat S. Bernardus) *sed vivum, sed efficax, & dignum omni acceptatione.* Excæcaverat eum Dominus corporaliter, quia *apertis oculis nihil videbat*, & seipsum sanctè in intellectu excœcavit obediendo simpliciter. Hæc est illa lux quæ illum de cælo circumfulgens usque adeò cælesti inflammavit amore, ut tamquam vitrum in fornace calefactum, quomodocumque complicari, ac in omnes redigi formas facillimè potuerit.

*Perfecta ejus obedientia.*

*Similitudo civitatis obsessa.*

18. Dum aliqua civitas gravi obsidione cincta inimico amplius resistere non valet, modum quærit quo honesta aliqua conditione se obsidenti tradere possit; videlicet ut cives liberi, & illæsi permaneant, ut milites tympana pulsantibus vexillis explicatis, & armis instructi inde disedere queant, & cetera. Si ergo primo obsidionis die se dederit, optatis potitur. Sic magnus ille Tartarorum Dux Tamberlanus primo die quo civitatem obsidebat, albis utebatur tentoriis in signũ misericordiæ quam primo die exhibere volebat, secundo verò rubris, tertio nigris significans, se tunc penitus civitatem delere velle. Sic S. Paulus cùm albis quasi cinctus esset tentoriis (*circumfulsit eum lux de cælo*) non expectavit pactum aut conditiones, nec voluit multo tépore calcitrare, sed subitò voluntati Christi Domini se commisit dicens: *Domine quid me vis facere?* quasi diceret, ad omnia paratus sum quæ jusseris promptè exequor, quia me totum tuæ submisi providentiæ, per omnia tua in me compleatur voluntas.

*Modus agendi Tamberlani.*

*S. Paulus subitò se tradit.*

Actor. 9.6.

19. Dicet fortè quispiam, gustaverat quàm dulcis esset dominus, undè sperabat secum suaviter agendum, ideo promptè se ei offerebat. Econtra apparet quam asperè exceptus fuerit: Si enim (ut divus Bernardus ait) ad tria maximè capita reduci possunt injuriæ, ad dura videlicet verba, ad corporis læsionem, & bonorum expoliationem, quæ cùm omnia in S. Paulo completa fuerint, quid poterat sensisse dulcedinis? primò asperam sanè sustinuit correptionem, cùm audivit à Domino, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*: læsionem quoque sensit in corpore, dum ab equo in terram est dejectus, quod sine gravi corporis offensione fieri non potuit; damnum quoque expertus fuerat in bonis, cùm privatus oculis, & hujus mundi luce (quo nihil hominibus charius) spoliatus remansit. Cui ergo te tam durè excipienti subitò, & liberè tradis? Nullum pactum, aut conditiones exiges; ad minùs misericordiam, aut remissionem non deposces? non excusationem aut ignorantiam prætendes? Neutiquam (inquit Saulus) sed liberè me

*Utrum durè, vel leniter à Christo exceptus?*

*Videtur durè exceptus.*

Actor. 9. 5.

*Cur veniam non petiit?*

Actor. 9.6. me ipsi tradere volo: *Domine quid me vis facere?* quasi diceret, Domine tu me durè, velut jumentum tractas; ego autem cupio tibi parere simpliciter, me in terram dejicis, & ego ad terram prostratus te Dominum, & Deum meum adoro, me tibi submittens lumine me privas, & excæcas, ego simpliciter, tibi obedire cupio, omnia sine contradictione exequendo, quæ mihi præcipere dignaberis. O perfectam voluntatis resignationem!

*Perfecta submissio divina voluntati.*

20. Non fuere tamen hæc injuriosa verba nec percussio, & cæcitas, læsiones, aut vindictæ, sed favores, & beneficia; undè ipsi soli, & non sociis concessa. Etenim ut divina scriptura, testatur *Stabant stupefacti*, ita ut non ceciderint, vel si ceciderint, subitò se erexerunt, nec fuerint correpti. Vtrum autem participes fuerint visionis, & allocutionis, dubium est; etenim S. Lucas hoc factum referens ait: *Viri autem illi qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti audientes quidem vocem, neminem autem videntes:* S. Paulus autem suam enarrans visionem, contrarium indicare videtur, ait enim: *Qui mecum erant lucem quidem viderunt, vocem autem non audierunt.* Quomodo hæc duo convenient? S. Lucas ait, *audientes vocem*, S. Paulus *vocem non audierunt*, S. Lucas ait, *neminem videntes*, S. Paulus *lucem quidem viderunt*. Si hæc benè consideremus, contraria esse non reperiemus, S. quippè Paulus de luce affirmat, quod S. Lucas de persona negat; vocem autem S. Lucas eos audisse asserit, sed S. Paulus non intellexisse ait. Non ergo discordare videntur.

*Nullâ à Christo affectus injuriâ.*

*Vtrum socii viderint Christum?*

Actor. 9.7. *Videtur quòd non*

Act. 26, 16.

*Socii lumen viderunt sed non Christum.*

21. Participes isti fuerant visionis & soni, sed Apostolus Paulus vidit Christum illuminantem distinctéque omnia sibi dicta intellexit. Num ergo hæc tam subtilis descriptio, mysteriis vacare credenda est? Per hoc fortè differentia inter gratiam sufficientem, & efficacem indicabatur, quòd socii nimirum receperint sufficientem gratiam lumen videndo, & audiendo sonum, ipse autem gratiam efficacem, in perfectâ visione & auditione? Voluit fortè Dominus majorem ostendere gratiam, ubi magis abundavit iniquitas, ut ipsemet posteà affirmavit? Sed meliùs (ut mihi videtur) cum S. Augustino dicamus, qui notat in principio mundi Deum primis præcepisse parentibus, ne comederent de ligno vitæ, hocq; præceptum immediatè Adamo dedisse, non quòd ipsi soli observandum foret, sed ut Eva illud à marito accipiens, ipsi obedire inciperet, sicque assuefieret ex ore ipsius accipere mandata. Pari modo mihi planè persuadeo Christum Dominum cum S. Paulo

*S. Paulus solus vidit Christum.*

*Differentia gratia sufficientis, & efficacis.*

S. August. de Genesi ad litteram.

*Cur S. Paulus solus viderit.*

S. Paulo egisse, dum illum Doctorem gentium, ac fidei magistrum instituere volebat, socios ejus nulla de cælo verba percipere voluit, ut aliquam haberent occasionem ipsum interrogandi, inciperentque cognoscere ut cælestem interpretem, ac ex ore ipsius divina percipere mandata.

*Cur socii aliquid viderint, & audiverint?*

22. Numquid ergo præstitisset nullam percepisse socios vocem, nec lumen vidisse? minimè sic enim numquam interrogassent S. Paulum quod vidisset, aut siquid dixisset, ut somnium, aut figmentum habuissent. Audiunt ergo sonum, vident lumen, ut hoc stimulo instigati reliqua audire cupiant, ac pariter ex ore ejus percipere cognitionem cælestium assuescant. Nec absque mysterio accidisse credendum est, S. Paulum lumen cæleste conspiciendo, & vocem divinam audiendo, visu non verò auditu fuisse privatum: lumen quippe divinum, amabilissimum illi repræsentabat objectum, (Christum nempè Dominum) vox autem illi peccata improperabat. Ego sanè arbitror hoc ei contigisse, ut nos doceret ad percipienda cælestia, oportere nos claudere oculos, & aperire aures: non quærere ut videamus, sed ut audiamus, non curiosè investigare, sed attentè auscultare, *quia fides ex auditu, & Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Dixit Dominus Sancto Thomæ Apostolo.

*Cur S. Paulus excæcatus & non factus surdus?*

*Ad Rom. 10. 17. Ioan. 20. 29.*

*Cur S. Paulus ad Ananiam missus?*

23. Sed si verum est, ut diximus, Christum Dominum hac occasione voluisse S. Paulum declarare Magistrum, & Doctorem gentium; quid est quòd ad illum postea Ananiam miserit, ut ab illo disceret quid facere deberet? Benè ad hoc respondet Cassianus: *Ne scilicet* (inquit) *quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum unusquisque sibimet persuaderet, simili quoque modo se debere Dei solius magisterio atque doctrinâ potiùs quàm seniorum institutione formari.* Experti hortulani licet bonum semen, & fructus seminaverint in hortis, illa tamen transplantant, dum creverint, taliter fructus duplicatos expectantes: Sic qui progredi cupit in vita spirituali licet bonum ferventis desiderii semen seminaverit, & sanctæ radicem doctrinæ in corde conceperit, illam tamen transplantare, & communicare cum Ministris Dei oportet, nec ex proprio operari beneplacito, sed ab aliorum dependere voluntate, & non confidere proprio sensui vel viribus, sed in Domini potestate sperare. Quod clarè Propheta Ieremias edocuisse videtur dum dixit: *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus, & erit tamquam signum quod transplantatur super aquas.* Sic subitò S. Paulus transferendo omne deside-

Cassian. coll. 2. c. 15.

*In vitâ spirituali non sibi sed aliis fidendum.*

Jeremiæ 17. 7.

 rium

rium, & voluntatem suam in Deum dicens: *Domine quid me vis facere*, quasi arbor transplantatus est, & fructum fecit centuplum.

Actor. 9.6.

*Cur hac cõversio celebretur ab Ecclesia?*

24. Meritò ergo S. Ecclesia mirabilem hanc, & prodigiosam S. Pauli Conversionem nullius verò alterius sancti particulari celebrat solemnitate, quia non mirabilis solùm sed & multùm utilis ipsi & nobis exstitit hæc conversio: ut S. Bernardus ait: *Conversus Paulus Conversionis Minister factus est universo mundo: meritò ergo conversio Doctoris gentium, ab universitate gentium festivis gaudiis hodie celebratur*. Victoria quam Christus Dominus de mũdo reportavit, anteà figurata erat, in ista quam David de gigante Goliat retulit: qui ad hunc finem prævaluit in lapide, & gladio; quorum ille de torrente, hic de latere Goliat fuerat acceptus. Vt ergo figura correspònderet figurato, ut vinceret mundum, voluit Christus Dominus uti lapide, & gladio; lapidem accepit de torrente, dum Petrum (cujus nomen petram indicat) in aquis piscantem vocavit: gladium verò arripuit dum Paulum è mundo ubi in gladio Christum ejusque fideles debellabat convertit, hocque gladio caput Goliat abscissum est; quia SS. Petrus & Paulus Romam mundi caput converterunt ad fidem. Sicut etiam gladius iste in templo asservatus fuit, quo posteà David in aliis præliis usus est, sic S. Pauli memoria continuò servatur in Ecclesia, & ejus doctrinâ ac exemplis quotidie Ecclesia novas contra hæreticos obtinet victorias.

S. Bernard. Serm. de convers. S. Pauli.

*Christus vicit mundum sicut David Goliat.*

25. Fuit præterea S. Paulus generosus ille equus quo Christus mundum pervolans universum subjugavit, ideoque à S. Evangelista Ioanne in Apocalypsi visus fuit albo insidens equo, in ore ancipitem tenens gladium, quo gentium erat debellanda superbia. Candidus autem hic equus optimè S. Paulum designat, teste divo Hieronymo qui locum illum Habacuc exponens inquit: *Viam fecisti in mari equis tuis, ascendit Christus in Apostolis, & posteà in uno equo candido, quem alium esse non puto, nisi Apostolum Paulum, super quem equitans, omnem orbem peragravit. Ascendit autem verbum Dei in equis suis, ut turbarentur aquæ multæ, hoc est populi multi, ut errorem pristinum deserentes, veluti conturbati, venientem equitem susciperent*. Quod certè S. Paulo summo honori fuit, quis enim ignorat Principi ad bellum procedenti generosissimum exornari equum? Nec minorem adipiscitur laudem quòd ipsi colorem tribuamus cãdidum, candor etenim nónne signum est innocentiæ? Quomodo ergo S. Paulo tribuitur, qui maximus fuit peccator, & Ecclesiæ

*S. Paulus mysticè Christi equus.*

Apoc. 19. 11.

S. Hieron. in exposit. Habacuc. 3. 15.

*S. Paulus cur equus candidus.*

*S. Pauli perfecta pœnitentia.*

clesiæ persecutor? Voluit (ni fallor) per hoc significare Christus S. Paulum operibus bonis ac pœnitentiâ continuâ, ità postmodum delevisse præterita crimina, ut statui restitutus videretur innocentiæ.

*Memoria Conversionis utilissima.*

26. Conversio præterea S. Pauli celebratur, (Divo Bernardo teste) propter utilitatẽ quam adfert, sic enim peccatoribus datur occasio sperandi salutem, pœnitentiam agendi, ac remissionem consequendi. Quis enim remissionem desperare poterit peccatorum Dei benignitatem considerans, & efficaciam gratiæ istius, quæ in Conversione S. Pauli relucet? Quis non stupebit in tam subitanea mutatione Sauli in Paulum, lupi in Agnum, persecutoris in prædicatorem, vasis perditionis in vas electionis, leonis ferocissimi, in canem mansuetissimum?

*Fiduciam peccatoribus ingerit.*

27. Multum certè temporis solet sagax impendere venator, ut bestiam aliquam ita edomitam, & mansuetam reddat, ut ipsi in venatione ad alias capescendas inservire possit: Sed Christus Dominus qui in hunc mundum venaturus advenerat (*ad prædam fili mi ascendisti*) silvestrem subitò ac ferocem intercepit bestiam vineam suam demolientem, ac ità continuò illam edomitam reddidit, ac obedientiæ subjecit jugo, ut ipsi in feracissima postmodum omnium venatione gentium fideliter inservierit. Hæc non alia quàm S. Paulus fuit, de quo dictum est, (teste Divo Augustino) *Benjamin lupus rapax, mane rapiet prædam, & vespere dividet escas.* Vno eodemq; die quanta videmus illum contraria exercere officia, manè prædator est ferocissimus, vesperi adeò liberalis ut se proprio privans cibo, aliis illum dividat; manè prædator, & persecutor Ecclesiæ, vesperi defensor & Doctor: manè dispergit oves Christi, vesperi easdem congregat, & protegit.

*S. Paulus venator Christi. Gen. 49. 9.*

*S. August. serm. 14. de Sanctis.*

*S. Paulus subitò mutatus.*

28. Nullus mihi afferat exiguum fuisse Sauli peccatum, nam (ut S. Bernardus ait) majus est scelus persequi animas Christi Sanguine redemptas, licet ignoranter, quàm ipsum spargere Salvatoris sanguinem: *Agnoscite* (inquit Sanctus) *dilectissimi & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum, horrendum penitùs sacrilegium, quod ipsorum videtur excedere facinus, qui Domini Majestatis manus sacrilegas injecerunt.* Augetur præterea hoc crimen S. Pauli quòd nascentem Ecclesiam eradicare velle videbatur: Sicut enim gravissimum judicatur peccatum Cain, (qui in mundi exordio occiderat Abel) quia infinitæ quodammodo posteritati ejus vitam ademisse censetur: sic dum Saulus primos Ecclesiæ per-

*Magnum peccatum Sauli.*

*S. Bernard. serm. de conversione S. Pauli.*



Digitized by Google

*S. Paulus totam Ecclesiam evertere conabatur.*

persequebatur alumnos, non solùm vitam iis quos occiderat auferebat, sed etiam posteritati spiritualem intulit mortem, semine prædicationis, & fructû conversionis ablato. Si ergo Deus non tantùm peccatū condonavit Saulo, sed & ipsum ad summum dignitatis sustulerit gradum, (Apostolatus videlicet apicem) quis desperare poterit remissionem peccatorum, aut gratiæ consecutionem?

*Conversio Pauli ad emendationem invitat.*

29. Quis igitur tantâ spe munitus, detrectet pœnitentiam? Ad primam vocationem obedientissimus fuit Paulus, quoties nos vocati sumus? Quoties à Deo tribulationibus attriti? Quoties ab expectatione nostra & spe, tamquam ex equo dejecti? Quoties de cælo illuminati? Quare ergò cum S. Paulo non respondemus; *Domine quid me vis facere?* Difficile videtur incœptam deserere viam? Multò difficilius S. Paulo videbatur, qui contrarium iter pleno tenebat cursu? Nos servi sumus licet inobedientes, ipse persecutor erat, & inimicus, & quis neget facilius servum reduci ad obedientiam, quàm inimicum persequentem? Nos intellectum jugo fidei jam submisimus, & sola voluntas aliquo modo recalcitrat: Paulus autem intellectu cæcus, praviori ferebatur affectu. Quomodo ergo nobis facilius non erit unam ad obediendum redigere potentiam, adjutorio alterius jam obedientis, quàm ambas jam repugnantes divinæ subjicere voluntati, ut S. Paulus effecit?

*A Deo vocati non respondemus.*

*Perfectè convertendi modus.*

30. Ex hac ergo Apostoli conversione perfectam ad Dominum conversionem, & nostræ voluntatis resignationem addiscere debemus; obediamus simpliciter non solùm voci ipsius, sed etiam servorum ejus, sicut Paulus Ananiæ. Notandum quoque est non dixisse Paulum: *Quid me jubes facere*, sed *quid me vis facere*, ostendendo se non solùm paratum ad exequenda mandata, sed etiam consilia, & signa, adeò ut in obediendo magis attendat velle, quàm posse, & magis moveatur amore quàm timore. Quàm pauci sunt, ait S. Bernardus, qui totaliter resignāt voluntatem, qui solùm faciant quæ divini sunt beneplaciti, & semper inquirant; *Domine quid me vis facere?* Quam multorum econtrà Deus exigere debet voluntatem, *Quid tibi vis faciam.* Sicut à cæco illo inquirebat. Ordinariè enim obedire volumus, iis quæ gustui nostro placent unde superiores aliquando cogitare debent, quæ unicuique præcipere velint, ut eà voluntariè exequantur; sic etiam Dominus servi inquirere debet voluntatem. Verè cæcus fuit iste qui non erubuit, nec confusus fuit, dum audivit Dominum se interro-

*Pauci se Deo resignant.*

Marc. 10. 51.

*Multi propriã sequuntur voluntatem.*

Digitized by Google

terrogantem quid vellet, dicere quippe debuisset, quomodo Domine à me petis quid velim, tu potiùs impera, & præcipe quæ tibi sunt placita, ita enim agendum est. Hinc colligere possumus quàm pauci post multos annos conversionis, gustum perfectionis attingant, quem noster Apostolus eadem adeptus est die, quâ primò Christum agnovit; ideoque meritò ab Ecclesia nobis proponitur imitandus particulari conversionis festivitate.

*Cur tam pauci perfectè convertantur?*

*Cur S. Paulus se abortivum appellet?*

31. Aliud tamen hic nobis restat dubium, si tam perfectè renatus fuerit, quomodo seipsum abortivum appellat? *Novissimè autem omnium tamquam abortivo visus est & mihi*; fructus abortivus imperfectus est, & acerbus ante maturitatem ex arbore decidens, & frequenter inutilis, quia aut ante tempus nascitur, aut infortunio aliquo corrumpitur. Quomodo ergo S. Paulus se abortivum appellat, qui vix natus talia dedit perfectionis signa? Possem cum S. Anselmo dicere, quòd seipsum abortivum appellet, quia violenter natus esset, jactatus scilicet in terram, aut cum S. Ambrosio quia extra tempus natus, post ascensionem nempè Domini; vel quia in nativitate sua excæcatus; vel cum Baronio asserente antiquitùs apud Romanos Senatores illos vocatos fuisse abortivos, qui supra-numerarii erant, sic ipse cùm fuerit electus post alios Apostolos tamquam supra-numerarius, abortivus vocari potest; vel denique quia conceptus & natus in uno quasi instanti, non ut alii Apostoli, paulatim in perfectione formatus.

*1. Cor. 15. 8.*

*Varia rationes istius.*

*Baronius ad ann. 44.*

32. Sed magis mihi arridet S. Ioannes Chrysostomus, qui ait Apostolum se vocare abortivum, ob singularem animi modestiam & humilitatem, quasi non fuisset dignus vocari Apostolus, sic inquit his verbis, *Vide extenuandi verbi quàm largè fit usus, visus est mihi veluti abortivo &c. neque bis est contentus, ne verbis tantùm humilis esse videretur, causas etiam & rationes adducit, quod abortivus quidem sit, quia Iesum postremus vidit, quod Apostoli nomine indignus, quia sit Ecclesiam persecutus*: S. Paulus non fecit ut quidam, qui se dicunt peccatores, sed nolunt haberi tales; ipse verò talis haberi voluit, cùm minùs abortivus & plus maturus posset dici respectu aliorum Apostolorum; ipsi enim longè post conversionem multas commisere imperfectiones. Sed S. Paulus uno instanti ex statu peccati ad culmen perfectionis ascendit, adeoque spiritualiter loquendo, perfectus de vulva videtur exiisse.

*Ejus humilitati hoc adscribendum.*

*S. Paulus se perfectè accusavit.*

33. Aliam etiam ob causam vocari potest abortivus, quia violenter quasi à matre avulsus illam summo affecit dolore; ab-

*Alia humilitatis ejus ratio.*

 orti-

ortivi quippe matribus majorem adferre solent dolorem, quia violenter quasi extracti, nec adhuc plenè perfecti, quin & aliquando mortem matribus causant: Cùm ergo S. Paulus meminisset, plurimo se dolore matrem affecisse Ecclesiam, & quasi illam interemisse, non alio videbatur dignus nomine quàm partus abortivi. Ab hoc sensu (ut mihi videtur) non longè abfuit S. Petrus Chrysologus dum dixit: *Meritò Paulus se abortivum nuncupat & miratur, qui novit se nulla conceptus tempora pertulisse; namque cùm adhuc hostis ipse cederet extrinsecùs sancta Matris uterum, & in ipso ortu, ipsa pignora veneranda collideret, repentè Sanctorum mutatur in germen; qui ipsius germinis fuerat ferocissimus persecutor.* Aliter egit Apostolus ab iis qui vix peccata confessi, ita eorum obliviscuntur, ut nihil ampliùs de illis cogitant: unde facillimè superbientes, tepidi, & vecordes efficiuntur; cumque de his nullam agant pœnitentiam, facilè in eadem, aut graviora relabuntur. Non sic S. Paulus, qui multis transactis post conversionem annis, post peccata in Baptismo perfectè deleta, post tanta ei gratiæ divinæ collata signa, post multa patrata miracula, adhuc peccata ante conversionem commissa deflebat, ex iis sibi potionem medicam & theriacum contrà tepidatis, & superbiæ venena conficiens.

Chrysolog. serm 56.

*S. Paulus semper peccata deflebat.*

34. Cùm Deus introduxisset populum Israëliticum in terram promissionis, permisit eos commixtim habitare cum Chananæo, & Philistæo, aliisque inimicis qui continuò populum affligebant. Numquid præstitisset omnes occisos fuisse, aut expulsos, ut à timore populus liberatus, Domino serviisset in pace, ac bonis suis terrâque promissionis liberè fruitus fuisset? Hoc certè Deus efficere potuisset tam propter peccata corū quàm propter quietem populi sui ne in idola deflueret: sed altissima ejus providentia utilius forè judicabat illos ita relinquere. Cujus rei pulcherrimas adducit Liranus, rationes, aliique sacræ Scripturæ interpretes. Quarum una fuit, ut dum populus Israël inimicum haberet vicinum, se exerceret ad prælium, nè ignaviâ torperet aut otio: alteram assignat Theodoretus, ut scilicet necessitate coactus dominicum adjutorium postularet; *Ut posteri* (inquit) *necessitate belli compulsi Dominum ad pugnandum secum implorarent.* Tertiam adfert Liranus, ut in mandatorum Dei observatione diligens esset, nè traderetur in manus inimici, ut illis dum Deum offendisset accidebat.

*Cur Hebræi cum inimicis adhuc permanserint.*

*Quàm utile suos habere adversarios.*

Liran. in cap. 3. Iosue, & Iudic.

Theodoretus quæstion. 7. in Judic.

35. Duas alias assignabo, prima est, ut inter se manerent uniti, nec dissidia aut bella in se mutuò exercerent: facile enim inter

*Otium malorum fomes.*

inter domesticos excitantur discordiæ; dum absque inimico externo inter se otiosè degunt, ut sæpe Romanis accidit; altera ut essent humiles, nec propriis viribus attribuerent victorias, cùm exiguos illos inimicos superare non possent. Has easdem assignat S. Gregorius ostendens cur, in hominibus perfectis, & alioquin Sanctis semper aliqui reperiantur minimi defectus per modum Philistæi, aut Iebusæi, qui illis occasionem se exercendi tribuant, nè nimis sint tepidi, sed in oratione, & divino servitio ferventiores reddantur, ut discant ad supernum confugere auxilium, ne sensus rationi repugnent, sed in seipsis sint humiles. Verba S. Gregorii sunt hæc: *Vt sese nostra intentio sollicita in certamine, semper exerceat & eò de victoriâ non superbiat, quò vivere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat.*

*Cur Deus nos tentari permittat.*

S. Gregor. lib. 4. moral. cap. 22.

36. Sed notandum hîc est, duobus modis permanere in nobis posse inimicos nostros; uno modo vivos in suo esse, altero in memoriâ; aliquibus Deus permittit, ut vivant, quibus feliciores sunt ii, quibus in memoria tantùm relinquuntur. De horum numero fuit S. Paulus, qui memoriâ retinens peccata commissa, inde haurire noverat humilitatis fructus, fervorem orationis, & spiritus renovationem. Sic nos memoriâ recolere debemus peccata præterita, ut non sit necesse Deum in nova nos peccata labi permittere, quibus humiliati in divino obsequio ferventiores reddamur.

*Peccata nostra memoriâ semper retinenda.*

G 2 IN

# IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

## DISCVRSVS QVARTVS.

### *De Humilitate, & rectitudine vitæ ejusdem.*

### Cancellus concham vacuam reperiens intrat.

### *Vacuam reperit.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*NAturam ac proprietates Cancelli, ac Cancrorum describit primis novem numeris.*

*Eas S. Matthiæ applicat n.* 10. 11.

*Meritò in locum Iudæ suffectum ostendit, num.* 12. 13. 14. 15.

*Idcirco illum Sadoch Sacerdoti fideli comparat num.* 16. 17.

*Iudæ exemplum illi multum profuisse demonstrat num.* 18. 19.

*Referens quoque Iudæ iniquorumq́; Prælatorum vitia, contrarias in S. Matthia virtutes enarrat, à num.* 20. *usque* 26.

*Ideoque illum virum secundùm cor Dei fuisse probat. n.* 27. 28. 29. 30.

*Cur autem nihil ferè de sancti Matthiæ factis descriptum reperiatur, tribus ultimis prosequitur numeris.*

*Quis & qualis Cancellus piscis.*

1. Orporis exiguitate, & ingrati saporis qualitate, omnibus ferè ignotus latet. Cancellus (minuta quædam Cancrorum species) à Græcis Pinnoteros vocatus teste Plinio. Magnitudine majorem excedens Araneam, non tamen cancros adæquans fluviatiles: non bono solet præcellere odore, quem non ex seipso, sed ex fœtidis ac derelictis quas intrat conchis acquirit. A Piscatoribus reti adhærens ut inutilis, in mare iterum dimittitur: cujus magna copia in mediterraneo mari propè Liburnum reperitur. Aristoteles tamen honestam illius mentionem facit; Cancellus (inquit) *in medio est, & participat naturam eorum animalium quæ pellem crustatam habent, & eorum quæ conchas inhabitant.* Naturâ quippè cancris assimulatur, & locustis; vacuas autem intrans conchas con-

Plin. lib. 9. cap. 31.

*Derelictas solet intrare conchas.*

Aristoteles lib. 4. hist. cap. 4.

conchyliis se similem reddit.

*Forma & corporis dispositio.*

2. Formâ dispositioneque corporea Araneis similis, sed corpore major, duo extendens cornicula rubricantia, in iisque binos habens oculos continuò prominentes, nunquam illos retrahens aut more cancrorum abscondens. Sub his os situm, multis contectum pilis: sub quo duos bifurcos habet pedes, quibus cibum arripiens, ori imponit; alios duos lateribus annectens. Pars pectoris inferior mollis est, & si aperiatur pallida. Ab ore ad ventrem unus est meatus, excrementorum autem nil reperitur; pedes & pectus duriora sunt, non tamen ut cancrorum.

*Non adhæret cōcha quam intrat.*

3. Conchæ quam inhabitat non alligatur, ut ostrea, aut limax, sed liberè exit, & intrat cùm voluerit, Aristotele teste. Generatur primò ex terrâ lutosâ, ac posteà vacuas ingrediens conchas: illasque crescendo pro opportunitate mutans secum quandoque defert. Aristoteles quoque narrat cancellos acuminatas inhabitantes conchas, sinistrum pedem dextro habere longiorem: cujus rei aliqui rationem reddentes, dicunt illos in concha lateri incumbere dextro, quod depressum non ita excrescere potest, cùm minùs nutrimenti percipiat; ac ideò latus sinistrum magis extendi. Hanc tamen rationem communis cancrorum improbat usus; nam Plinio teste, omnes sinistrum pedem longiorem habent dextro: quin imò (eodem affirmante) femellæ primum pedem duplicem habent, partem autem superiorem mobilem, inferiorem verò immobilem.

*Quomodo generetur.*

*Arist lib. 4. cap. 4.*

*Cur pedem sinistrum dextro longiorem habet.*

*Eremitæ ab aliquibus vocantur.*

4 Quibusdam in locis Eremitæ vocantur appellatione desumpta ex concharū habitatione, quasi Monacho suam inhabitanti cellam similes sint; licet indè sæpius exeant ut cibum procurent, aut suæ speciei jungantur sociis. Noctu quoque ad lumen lucernæ exire solent, sed dum terrentur, celeriter conchas repetentes tantum excitant murmur, ut sonum aliquem inde eliciant. Piscatoribus chari sunt non propter seipsos (nam in se nihil boni habent, quo homines uti possent) sed eò quòd piscibus gratissimus sit cibus: unde eos hamo annectentes, alios pisces attrahere solent. Pars posterior limacibus assimulatur, eaque se conchis affigentes. Tam crudeliter inter se pro vacua decertare solent concha, ut multi in ipso moriantur conflictū: nec id sine ratione contingit, cùm enim posteriorem partem debiliorem habeant, necessariò cooperculo indigent, ratione cujus conchis utuntur.

*Piscatoribus sunt grati.*

*Cur conchis utantur?*

*Naturam imitantur cancrorum.*

5. Refert Galenus illos cancris minoribus, aliique majoribus assimulari dicunt: credibile ergo est eos plurimum naturam imitari

tari

tari cancrorum, de quibus cum plurima notatu digna enarrentur hîc pauca referam. Primò enim symbolum prudentiæ à plerisq; haberi solent, suo quippè tempore veterem mutantes pellem, novam ut serpentes assumunt: per mare, & terras incedere norunt pedibus reptando, in mari verò ventrem vento implentes, super aquas circumferuntur. Incessus tamen terrestris multum ab aliis differt animalibus, non enim recto incedunt passu, sed à latere moventur, imò retro gradum figentes, timore agitati celerrimè (teste Plinio) properant. Ex quibus multi reperiuntur adeò cursu veloces, ut hominem antecedant; inde nomen equitum sibi asciverunt, de quibus hoc ordinariè usurpatum dictum, *Simul ante retroq;* non quod eodem tempore ante simul retroque incedant, sed utrumque æquè raptim efficiant.

*Cancri symbolum prudentia.*

*Qualis eorum incessus*

6. Præfatæ prudentiæ signum clarius in oculis eminet, quos in superiore corporis parte ita collocatos habent, ut undequaque prospicere possint; si enim ideò antiqui in signum prudentiæ Ianum fingebant bifrontem, quia illa quæ ante, & retrò erant prospiciebat. Quantò magis hanc laudem cancro attribuere possumus, qui non solùm ante, & retrò, verumetiam à latere dextro vel sinistro commodè oculos reflectere potest, & ea prospicere quæ sibi profutura, aut nocitura fuerint?

*Vndiq; prospicere possunt.*

7. Non defuere tamen qui extrinsecam attendentes formam, gulositatis, & non prudentiæ eos symbolum affirmarunt. Magnus etenim eorum venter qui totum efficit corpus, gulositatem illorum indicat qui aliud nihil intendunt, quàm ut ventri inserviant, de quibus ait Apostolus: *Quorum Deus venter est.* Pedum frequentia, promptitudinem, & velocitatem indicat gulosi quà undique convivia, compotationesque appetere solet. Bifurci pedes obvia quæque in os ingerentes, voracitatem eorum significant, qui potiùs naturalem excedunt bibendi vel comedendi modum, quam occasiones convivandi, aut compotandi omittant. Oculi sublimes in omnem partem divagantes, curiositatem demonstrant parasytorum undique lautiores inquirentium mensas. Adjungamus insuper cancros non solùm obvia quæque, verumetiam se mutuo occidere, ac devorare. Ideoque piscatores eos capientes, filo separatim annectere solent, ne si invicem tangant, se mutuo devorent. Plutarchus etiam illos adulatoribus comparat, quibus hoc dysticon appropriari inquit.

*In forma extrinseca, gulositatis sunt symbolum.*

*Omnibus membris gulosum exprimunt.*

*Obvia quaque devorãt.*

Plutarch. de deser. adulat. & am.

*Est venter omne corpus, undiq; obtuens*
*Oculus, suiq; bestia reptat dentibus.*

8. Lau-

*Inimicitiam cum serpentibus exercent.* 8. Laude tamen digni sunt propter inimicitiam quam cum serpentibus exercent: unde refert Elianus, propè Ephesum in lacu quodam cavernam esse serpentibus plenam, qui dum lacum ingredi, & in terram prosilire cupiunt, cancros habent obvios, bino aperto ore, ut illos dilanient, quo perterriti serpentes, sese rursus in cavernas recipiunt. Hoc (Eliano referente) ni fieret, jam dudum vicina Regio à serpentibus depopulata foret. Inimicitia hæc in cancris etiam mortuis non raró remanet namque præsentissimum sunt contra serpentum venena remedium. *Etiam post mortem.* Plin. lib. 9. cap. 31. Quin imò secundum aliquos, ad Solem ipsum hæc extenditur inimicitia, dum quippe sol est in cancro, serpentibus omninò contrariatur. Morsui quoque canis rabidi cancer in pulverem redactus in potu sumptus mederi solet.

*Musicâ delectantur.* 9. Eliano referente musicâ summopere delectantur, piscatores enim instrumentorum sono eos è mari allicientes, capere solent. Alius quoque capiendi modus piscatoribus usitatus hamo quippe pellem ranæ mortuæ apponentes, dum firmiter eam arripiunt ex aquis illos extrahunt, ac in rete suppositum, (dum prædam decepti derelinquere cupiunt) cadere permittunt. *Quomodo hamo à piscatoribus capiantur.* Quæ piscatio ab Habacuc Propheta descripta videtur; etenim dum homines piscibus, ac reptilibus assimulasset, de Nabuchodonosore Rege subjunxit; *Totum in hamo suo sublevavit, traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum.* Habac. 1. 14. Idem namque diabolus mundanis efficit: illos pelle alicujus demortui allicit, dignitates ostendit & divitias; quæ uni non dantur, nisi alteri auferantur, omnes enim divitiæ vel dignitates fuerunt alicuius jam defuncti. *Sic homines diabolus decipit.* Gulosus, ambitiosus, & avarus subitò illas arripit; sicque paulatim à demonio hâc escâ allectus, & in ejus quasi potestatem redactus; dum sese ex hujus mundi aquis (ex hac videlicet vitâ) eripi sentit, subitò se ab hoc hamo expedire putat; confiteri cupit, restituere, pias fundare legationes, eleemosynas elargiri: sed dum hæc timore mortis, non dolore efficiat peccatorum, parum ipsi prodesse possunt; *Pœnitentia sera raro vera.* sicque hamum effugiens in rete à demonio subtus paratum incidit. Elevati ex aquis diu vivunt cancri, si tamen moriantur, priusquam coquatur nullius sunt valoris. *Ex aquis vivunt cancri.* Colorem cocti mutant rubrum induentes.

10. Harum proprietatum plurimæ S. Matthię attribui possunt, si sunt inimici serpentibus cancri, ipse etiam eam contra infernales exercuit serpentes; multosque veneno serpentum infectos sanitati restituit. *S. Matthiæ applicantur proprietates.* Retrorsum incedere ipsi optimè convenire po-

*Ejus humilitas.* potest, quandoquidem præ nimia humilitate ad Apostolicum accedere gradum non fuerit ausus, sicque illi dictum hoc Emblematicum attribui potest *retrocedens accedit*. Magnus fuit musicæ amator, cùm summopere oratione delectabatur: singulari quoque prudentiâ præditus, hoc enim ex conditionibus quas S. Petrus in eligendo Apostolo requirebat cognoscere licet: *Maxima prudentia. Act. 1. 21.* *Oportet* (inquit ipse) *ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit, & exivit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis nobiscum fieri unum ex istis.* Volebat ergo ut fuisset vir perfectus, optimæ vitæ non levis aut omni vento mutabilis, sed qui omnibus miraculis, & prædicationi Christi perseveranter adfuisset, inde enim colligere poterat, ejus fidelitatem, prudentiam, & in bono perseverantiam. *Qualis debebat esse Apostolus?* Talis ergo fuit S. Matthias, & quidem in gradu eminenti, cum ex omnibus discipulis ut excellentissimus electus fuerit.

11. Fuit, inquam, ipse cancellus exiguus humilitate, ut enim iste vacuam occupat concham, sic S. Matthias vacuam sedem Iudæ occupavit. *Quomodo S. Matthias in locum Iudæ suffectus.* Dicet fortè quispiam hanc claudicare similitudinem, cancellus enim ex seipso vacuam intrat concham, & quandoque pro ea pugnat: at S. Matthias ad illam electus fuit. Respondeo, sicut cancellus naturâ suâ eam appetit. Sic S. Matthias divinâ instigante gratiâ ad illam est promotus. Cancellus illam naturaliter requirit: hic verò cùm locus sit supernaturalis, supernaturali indigebat motione; sicque bona est similitudo. *Divinâ gratiâ sublevatus.* Sicut etiam cancellus cùm crevit, majorem occupat concham; ita S. Matthias paulatim ad majora conscendens tandem Apostolatus dignitate ritè perfunctus, cælum petiit, unam ex derelictis apostatarum Angelorum sedem occupans.

12. Nec S. Matthiæ dedecori cedit, quòd in locum Iudæ proditoris successerit, imò auget honoré, & magnæ est sanctitatis illius argumentum. *Hoc non dedecori sed honori ejus tribuitur.* Vt enim in rebus civilibus dum Gubernator Provinciæ malè officium est executus, virtutibus cæteris præcellens exquiritur, qui damna illata repararet; sic cùm Iudas collegium Apostolicum maximè inhonorasset, opus fuit aliquem famam ejus perditam recuperare, ex vitiis ergo Iudæ, colligere licet quantus S. Matthias fuerit.

13. Quod ut clariùs eluceat, virtutibus & vitiis sibi invicem oppositis, cognoscere poterimus. *Antithesis S. Matthiæ & Iudæ.* Fuit Iudas maximè avarus, & fur unde ipsi rectè conveniebat illud Sapientis: *Avaro nihil est scelestius, quoniam in vitâ suâ projecit intima sua.* *Eccl. 10. 9.* Iudas enim scelestissimus hominum suspendio crepuit medius, effuditque *Iudas scelestissimus.*

visce-

viscera vivens. Maximum peccatum commisit Pilatus Christum tradens Iudæis, cui tamen dixit Christus; *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*; Hoc est, Iudas, ut Petrus ait, *Qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum*: nihil ergo fuit scelestius. Quem tamen cùm Christus furem esse non ignoraret, & injustum, pecuniam tamen omnem, & ea quæ expendebantur ipsi commisit; demonstrans quàm vili eam faceret, & quàm parum nobis ea curæ esse deberent; quæ homini tradantur nequissimo, qui certò illa ablaturus est; fortè etiam, ut hoc modo injustitiæ, ac iniquitati ejus satisfaceret, occasionemque majoris mali tolleret. Quantò ergo avarior & injustior fuit Iudas, tantò credendum est S. Matthiam fuisse liberaliorem, & justiorem, vendens quippe omnia sua, pauperibus est elargitus.

*Joan. 19. 30.*

*Act. 1. 17*

*Cur ei pecunia credita.*

*S. Matthias liberalis & justus.*

14. Maximus oblocutor fuit Iudas, de opere quippe adeò bono, quo S. Maria Magdalena unxit pedes Iesu, non solùm maledicebat; verùm etiam falsò asserebat danda pauperibus quæ sibi cupiebat reservare. A quibus omnibus longissimè S. Matthias abfuit; linguam siquidem suam non in vanis oblocutionibus & mendaciis, sed in sincera Domini sui confessione laudéque impendit, ut dignus fuerit resurrectionis ejus testis fieri. Iudæ peccatum non unum solum, sed multa, maximeque fuere enormia: magnos quippe Dominos ingens sequitur famulantium caterva. Cùm ergo maximum commisisset crimen tradendo Christum, plurimos in eo habuit comites: infidelitatem, injustitiam, rebellionem, crudelitatem, desperationem, ingratitudinem per consequens in S. Matthia oppositæ virtutes reperiri debuerunt; fuit enim fidelis Deo, gratus, justus, pius, & obediens, ideoque meritò in locum Iudæ suffectus, qui jam quadraginta vacaverat diebus, nec quisquam fidelium eum ambitiosè quæsierat. Tanta fuit sanctitas, & humilitas primorum fidelium, ut meritò dictum sit, *Vacuam reperit*.

*Maximus murmurator Iudas.*

*S. Matthias verus Dei laudator.*

*Plurima Iudæ peccata.*

*In S. Matthia plurimæ virtutes.*

15. Nec rectè dici potest S. Matthiam occupasse locum Iudæ, sedes enim illa Apostolica Iudæ propria non fuit, eam siquidem ut extraneus non Dominus possedit; locus quippe ipsi proprius, fuit arbor in quâ se suspendit, ut bene S. Petrus in electione S. Matthiæ demonstravit: *Ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus & Apostolatus, de quo prævaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.* Hunc locum explicans Cardinalis Cajetanus, inquit: *Abiit in locum suum, quia hactenus occupaverat alienum Apostolatus & ministerii locum.* Patibulum ergo seu arbor in qua suspendio periit proprius erat lo-

*Apostolatus non fuit Iudæ proprius.*

*Act. 1. 24.*

Cajetan. in 1. cap. Act. Apost.

*Sed patibulum ipsi proprium.*

H cus

locus Iudæ, non Apostolatus; inter locum quippe & locatum aliqua debet esse proportio, quæ in Iuda nulla fuit. S. verò Matthias dignum se exhibuit Apostolatu, ideoque ad illum meritò pervenit, nec eo umquam fuit spoliatus.

*S. Matthias fuit ut Sadoch sacerdos.*

16. Cùm ergo S. Matthiam virum perfectum & tanto honore dignum ostenderimus; verè ipsi applicare poterimus, verba quæ Deus per Prophetam de

1. Reg. 2. 35 Sadoch Sacerdote dixit: *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor, & animam meam faciet.* Sed cur potiùs dicit suscitabo, quàm creabo, aut formabo?

*Quid significet hoc verbum* suscitare.

Sciendum est, verbum *suscitare* in sacrâ Scripturâ sæpiùs idem significare ac ex loco humili, & abjecto aliquem erigere, ut David inquit:

Psal. 112. 7. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem:* quod optimè S. Matthiæ convenire potest, qui ex abjecta conditione ad tantam est elevatus dignitatem. Propriùs tamen de mortuo resuscitato dicitur, uti de La-

Ioan. 12. 1. zaro *quem suscitavit Iesus.* Verùm fuítne S. Matthias à morte ad vitam suscitatus? Pulcherrimè

*Quomodo S. Matthias in locum Iudæ suscitatus*

respondet S. Ambrosius, docens S. Matthiam resuscitatum fuisse dum in locum Iudæ jam mortui est suffectus: hocque sensu locum illum exponit Psalmi;

Psal. 40. 11. S. Ambros. in illum Psalm.

*Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me,* (dicens) *non resuscitari se petit, sed resuscitari sibi postulat Matthiam in locum Iudæ, ut Apostolicus numerus impleatur: etenim quia necesse habebat perire filium perditionis, oportet in locum ipsius resuscitari filius salutis.* Rectè quoque illa expositio proposito nostro congruit, quia in præcedenti versu fuerat facta mentio Iudæ, ubi dicitur: *Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Psal. 40. 10.

*S. Matthias resuscitavit Apostolatum Iudæ.*

Suscitatus ergo fuit S. Matthias, quia cum ipso suscitatus fuit Apostolatus jam perditus. Pari modo Sadoch Sacerdos venit in locum Heli Sacerdotis, de quo dictum est: *Quare calce abjecisti victimam meam,* quod concordat 1. Reg. 2. 29.
Salvatoris dicto de Iuda: *Levabit contra me calcaneum suum.* Joan. 13. 18.

*S. Matthias fidelissimus Christo.*

17. Sequitur in textu, *Sacerdotem fidelem*: talis fuit S. Matthias, qui non solùm Sacerdos, sed etiam Episcopus fuit, juxtà illud Davidis à S. Petro relatum, *Episcopatum ejus accipiat alter.* Act. 1. 20.
Fidelis fuit, non solùm in quantum hoc nomen derivatur à fide, pro quâ vitam, & sanguinem profudit, verumetiam in quantum à fidelitate derivatur; magistro enim suo fidelissimus fuit, prædicans ipsius doctrinam, & exequens mandata ab ipso accepta usque ad mortem. Iudas tamen illa prævaricatus est, ideoque infidelissimus Magistro suo, cum illum tradiderit morti: sicque Iudæ infidelitas, potentissimum fidelitatis

*Iudas infidelis.*

S. Mat-

S. Matthiæ fuit remedium.

*Cambyses quomodo punivit judicem.*

18. De Cambyse crudelissimo Persarum Rege memoriæ proditum est, quòd dum judex quidam falsam tulisset sententiam, non solùm ipsum interimi præcepit, verùm etiam mortuo pellem detrahi, & sedem quâ ad judicandum sederat illâ vestiri, ac filium in eadem sede, patris officium exercere voluit; sapientissimè judicando, exemplum illud & castigationem patris, potentissimum fore filio remedium, tale vitium præcavendi. Pari modo Christus Dominus privando Iudam omni honore, & vitâ; in ejus sede S. Matthiam constituit hoc exemplo eum magis ad virtutem excitans.

*Alterius punitio optimum speculum.*

*Cur Israëlitæ habitâ victoriâ timuerunt.*

19. Dum populus Israël ex Ægypto Pharaonem fugiens, ab eodem persecutus fuisset, vidit subitò divinâ urgente justitiâ, omnes in mari submersos; quod sacra Scriptura referens, ait: *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitq; populus Dominũ.* Quare timuerunt, cùm lætari debuissent, & gaudere videndo inimicos eos occidere quærẽtes, interemptos, & in mari submersos? prudenter tamen timuit populus Dominum, metuens nè sicut illos liberaverat, & inimicos submerserat, ita cum illis ageret, si mandata ejus non custodivisset. Sanctus igitur Matthias optimam habuit occasionem timendi Dominum, seque in virtute promovendi exemplo Iudæ eruditus, quem Christus è tantâ dignitate in tantas calamitates permiserat devenire.

*Exod. 14. 13.*

*Sicut inimici puniti, sic ipsi puniri potuerunt.*

20. Nec infidelitatis solùm vitio sed temeritatis & impudentiæ Iudas laboravit; eodem quippè vespere quo Dominus dixit; *Vnus vestrùm me traditurus est*, ut innocens dixit, *Numquid ego sum Rabbi?* nec hoc contentus, (sed ut in hæc verba S. Ieronymus notat) tantâ temeritate intumuit, ut *cæteris contristatis, & retrahentibus manum, ac interdicentibus cibos ori suo, Iudas temeritate & impudentiâ quâ proditurus erat Christum, etiam manum cum Magistro mittit in parophidem, ut audaciâ bonam conscientiam mentiretur.* Huic impudentiæ, & temeritati, S. Matthias maximam opposuit humilitatem, dum enim Apostoli de eligendo agentes socio, personam inquirerent dignam, qui omnibus Christi miraculis, & prædicationibus interfuisset, non seipsum exhibuit, ut Iudas fecisset, si adesse illum contigisset, sed tacuit, aliorumque expectavit judicium.

*Iudas maximè temerarius.*

Matth. 26. 22.

S. Hieron. in hunc locum.

*S. Matthias summa humilitatis.*

21. Dicet tamen quispiam S. Matthiam dignitatem hanc nõn refutasse, sed ut eâ dignum se judicantem subitò oblatam suscepisse. Respondeo eum aliorum se submisisse judicio, nec voluntati divinæ se opponere ausum, unde duas demonstravit virtutes;

*Cur S. Matthias non repudiavit hanc dignitatem?*

primò non ambiendo dignitatem Ecclesiasticam, secundò onera à Deo imposita non fugiendo. His rectè inservit epistola Divi Bernardi ad Brunonem electum Episcopum Coloniensem, qui eum in simili negotio consuluerat; cui sic respōdit: *Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat, quis audeat dissuadere? forsan non vocat, quis appropinquare præsumat?* Verùm hac nostra tempestate nullus se oneri imparem judicat, quin potiùs ambitioso famulatu cuncti illud sibi assumere studet. Quos meritò increpat S. Bernardus scribens ad Eugenium Papam; *Importuni ut accipiant, inquieti donec acceperint, & ingrati ubi acceperint.* Non onera sed honorem tales attendunt; non pondus sed reditus, non spiritualem subditorum utilitatem sed temporale lucrum: non subditorum sed propria sectantur commoda. Hoc pulchrâ hîc exhibebimus similitudine.

S. Bernard. Epist. 8.

*Hujus seculi ambitio.*

S. Bernard. lib. de consideration.

*Lucrum corporis, non animarum desiderant.*

22. Quando fratres Ioseph in Ægyptum venerunt, præscripsit eis modum quo Pharaonem alloquerentur. *Cumq; vocaverit vos, & dixerit quod est opus vestrum? Respondebitis viri pastores sumus servi tui.* Quid opus erat tale illis suggerere consilium, si tales erant, si verò non erant, quomodo hoc poterant asserere? Sciendum est multos filiorum Iacob magni se facientes aliter potuisse respondere, Iudas etenim vir sapiens, fuerat aliquando judex: Simon & Levi, milites potiùs feroces quàm pastores videbantur, invaserant quippe terram Sichem & omnes in eo habitantes occiderant. Vt ergo hoc præcaveret malum: *Extremos fratrum suorum quinque viros constituit coram Rege.* Sed qua ratione, pastores eos nominari præcepit? cur eos majoribus dignitatibus non cumulavit, cùm pastorum exercitium apud Ægyptios vilissimum foret? Nunquid familiæ consulturus dignioribus eos extulisset titulis, non dignitates Ioseph sed commoda respexit. Vnde dixit: *Hæc autem dicetis ut habitare possitis in terra Gessen.* Hæc erat pinguissima totius Ægyptii regio, quam ut acciperet, non renuerunt pastores nuncupari & vilipendi ab Ægyptiis. Quot hodie ambiunt pastoratus, non ut officio fungantur, non ut animarum lucra quærant, sed ut habitare possint in terra Gessen: Vt pinguissimis fruantur reditibus, ut honore prælationis gaudeant, ut sua commoda, non lucra sectentur animarum: licet enim eousque sese negotiis sæcularibus, imò etiam militaribus implicuerint, libenter tamen cassidem in mytram, hastam in pedum pastorale, & vestem militarem in purpuram commutant, qui utinam simul animum cum veste permutent.

Gen. 46. 34.

*Cur fratres Ioseph se pastores dixerint?*

Gen. 47. 2.

*Vt optimam acciperent terram.*

*Dignitates accipiuntur propter lucra.*

23. Non fuit ea mens Divi Petri dicentis. *Oportet ex his viris qui nobis-*

Act. 1. 21.

*Quales debeant esse Prælati.*

*nobiscum congregati sunt in omni tempore quo intravit, & exivit inter nos Dominus Iesus, &c.* Non assumpsit ad fidem recenter conversum, non aulicum, non à longè vocatum, non amicum aut familiarem, non nobilem aut divitem, sed Christi discipulum in ipsius servitio perseverantem, talem quippe Christi gregi præponi decebat.

*Cur filius prodigus se saturare non poterat.*

24. In parabola filii prodigi mirabile quid (præcedenti inserviens propositio) scriptum reperio; Illum nempe tempore famis in villam missum ut pasceret porcos ibique tantâ inediâ cruciatum, ut ingens æstimasset beneficium, si porcorum cibis vesci potuisset: *Cupiebat* (inquit Christus in Evang) *implere ventrem suum de siliquis porcorum, & nemo illi dabat.* Non miror, juvenem optimæ familiæ præ fame eò devenisse, ut glandes porcorum more manducare cuperet, cùm multos ad pejora redegerit fames; sed cùm porcos pascere, illorum cibis vesci non potuisse. Num siquidem illa animalia quæ custodiebat, & nutriebat, cibo illo carebant? Nunquid eis de cibo providebat? in dubium revocari nequit, ideo quippe in villam missus fuerat; quid ergo illum impedivit, ventrem iisdem implere? Admirandum sanè hoc nobis videtur, sed ecce in promptu ratio adest. Iam constitutus fuerat porcorum custos, susceperat curam illos pascendi, ideo grande æstimasset scelus, seipsum cibo porcis destinato pascere, fame potiùs perire volebat, quàm hoc exequi, *Ego autem hic fame pereo.* Ita ut ille qui nihili fecerat deserere patrem, adhærere meretricibus, prodigere omnia sua, aliaque perpetrare scelera, angebatur scrupulis & summum judicasset piaculum, seipsum in tanta necessitate cibis porcorum reficere. Sed unde tam scrupulosa ipsi conscientia? Hoc quantum arbitror, partim tribulationi, eum prementi, tribuendum, quæ præ oculis miserum vitæ statum exhibebat, sicque stimulante conscientiâ, delictorum pœnitebat in prosperitate commissorum, partim officio tribuendum, cognoscebat enim non exiguum fore delictum illis debitum subtrahere alimentum, quibus alendis destinatus erat. Qualis ergo nostra erit confusio, si nos qui ad dominicum alendum gregem positi, in nostris commodis insumamus, quæ beneficio pauperum erant destinata; si splendidè vivamus, pauperes verò quorum usui ea servire debuerant, fame pereant? nostra sanè, Evangelici epulonis confusionem superabit.

*Luc. 15. 16.*

*Quia cibos subditorum arripere nolebat.*

*Tribulatio bonam parit conscientiam.*

*Pastores seipsos pascere non debent.*

25 Ampliùs ambitionis vitium detestemur, considerantes Pharisæos Christi Domini pretium à Iuda relatum renuisse recipere, dicentes: *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.*

*Matth. 27. 6.*

Sanguinis justi vel injusti, humani aut divini, non meminere, sed absolutè *sanguinis*, scelus reputantes tali pretio velle ditescere. Multi tamen nequiores modò reperiuntur Ecclesiastici qui proventibus Ecclesiæ, quæ sunt pretium sanguinis Christi (cùm à fidelibus Christi amore, ut meritorum Sanguinis Christi participes fiant, oblata sint) thesauros cumulare non verentur. Cùm tales certè lucro solùm temporali intendant, quid mirum si ambiant Ecclesiasticas dignitates? S. autē Matthias onus dignitatis, non ignorans, terrena fastidiens, ne in minimo iis se oblectari demonstrabat. Nec respuere ausus est, quod voluntati divinæ conformie cognoscebat, sors enim non fortuitò super illum cecidit, sed divinâ disponente providentiâ. Quæ autem hæc sors fuerit, à varijs sæpe disputatum est doctoribus; S. Dionysius Areopagita, dicit signum fuisse visibile, vel splendorem aliquem divinum, supra illum descendentem, vel aliud quodvis notabile indicium. Istis quippe temporibus qui acceptabant Apostolatum, continuis se exponebant laboribus, & mille vitæ periculis, unde generoso ipsius animo, amore inflammato divino, & non ambitioni hæc adscribenda sunt.

*Non licet ditescere ex proventibus Ecclesiæ.*

*S. Matthias terrenarum rerum cupidus non fuit.*

*Qualis mittebatur sors?*

S.Ant. p.1. t.6. cap. 2.

26. Quod autem tribulationis tempore nemo facilè dignitates desideret, alió probemus exemplo; veteris testamenti arcam à Philistæis captam dum reduceretur, nemo apud se retinere audebat, omnes enim ad quos eam venire contingebat occidebantur. Ideò Accaronitæ cùm ad illorum deferreretur civitatem, exclamabant; *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, ut interficiat nos, & populum nostrum:* Cùm autem benedictionibus, & divitiis augeret, illam omnes in domum suam recipere cupiebant, Davidque magno gaudio eam in suam jussit introduci civitatem. Pari modò cùm dignitatem Episcopalem labores & pericula comitarentur, pauci illam ambiebant; at modò cùm dignitates, cum ingētibus divitiis sint conjunctæ innumeri illas ambiunt & requirunt. Maximâ proinde laude dignus est S. Matthias, qui primitivæ Ecclesiæ tempore Apostolicam non renuit dignitatem.

*Tempore tribulationis nullus dignitates ambit.*

1.Reg.5.10

2.Reg.6.12

*S. Matthias in tribulatione dignitatem adeptus.*

27. Sancto igitur Matthiæ meritò convenire potest quod Deus de Sadoch Sacerdote protulit: *Iuxta cor meum, & animam meam faciet*: quid verò per animam, & cor Dei intelligemus? Liranus hunc locum litteraliter exponens dicit, per animam, & cor Dei intelligi Salomonem, ut sit sensus; Sadoch Sacerdos faciet omnia quæ Salomoni placebunt, qui à Deo amabitur ut cor & anima Dei. Quod melius de Christo intelligi potest, cujus typus Salomon fuit, & qui plus quam Salomon

*Vir fuit secundum cor Dei.*

1. Reg. 2. 35.

Liranus in hunc locum.

*Cor Dei Salomon intelligitur.*

mon ab æterno patre amabatur. Hæc autem summa est S. Matthiæ laus eum omnia secundùm Dei beneplacitum operatum fuisse.

*Cor Dei sacra Scriptura est.*

28. Aliter exponit S. Gregorius Papa, per cor, & animam Dei, Scripturam sacram intelligens: *Quid* (inquit) *per cor & animam Dei aliud quàm Scripturam sacram accipimus? nam corde cogitamus ad deliberationem, animâ verò afficimur ad amorem; quia verò in sacro eloquio consilia omnipotentis Dei agnoscimus, ibiq; amorem quo hominum genus dilexit invenimus, ipsum eloquium cor & animam ejus rationabiliter designant.* De Sadoch ergo litteraliter intelligendo, secundùm hanc expositionem dicitur, ipsum omnes suas operationes directurum juxta sacram Scripturam, cujus non solùm erit fidelis interpres, sed etiam diligens observator. Quod rectè Sacerdotibus convenit, & mysticè in eo S. Matthias laudatur, qui non solùm ferventissimus fuit divinæ legis concionator; sed etiam promptissimus mandatorũ ipsius executor.

*S. Matthias omnia Dei mandata executus.*

29. Vltima ergo communior est S. Augustini expositio aliorumque Patrum, per cor & animam Dei metaphoricè intelligi divinam voluntatem. Laudatur igitur Sadoch litteraliter; mysticè verò S. Matthias, qui in omnibus se divinæ conformabat voluntati, quæ perfectissima est operationum nostrarum Regula. Ego tamen in hujus expositione loci, judicarem pluris esse; *Secundum cor, & animam meam faciet,* quàm *secundum voluntatem meam faciet.* Ratio est, quia nomen voluntatis demonstrat imperium, & firmum propositum; qui enim firmam non habet voluntatem, velleitatem habere dicitur. Cùm autem additur secundum cor, non voluntas solùm significatur, sed gustus, & amor; dicendo ergo secundum voluntatem meam faciet, idem est, ac omnia quæ præcipio exequetur. Sed si ultra hoc mihi quoque particulariter complacere studebit, omniaque exequi quæ mihi arridere conspiciet, tunc verè potest dici secundum cor meum operari: ita ut respectu Dei iste juxtà divinam dicatur operari voluntatem, qui præcepta ejus observat; Secundùm autem cor Dei dicetur operari, qui non solùm præcepta, sed & consilia exequetur. Hoc tamen paucis attribui potest Sanctis, in eo quippè particularis denotatur excellentia, quâ homo se ita divinæ conformis reddit voluntati, ut in omnibus ipsi placeat & conformetur. Ideò S. Matthiæ meritò hęc laus tribuitur quòd fuerit vir secundum voluntatem & cor Dei, quid ampliùs ipsi tribuere possemus.

*S. Aug. lib. 7. de civit. Dei, cap. 5. S. Greg. in primo cõment.*

*Cor Dei voluntas ejus est.*

*Plus est juxta cor Dei operari, quàm juxta voluntatem.*

*Per cor Dei intelligitur amor & gustus.*

*S. Matthias ex præcipuis habetur Sanctis.*

30. Hæc cum divina voluntate conformitas, non invenustâ similitudine demonstratur: Si sigillum

*Cor Dei perfectissimum sigillum.*

sigillum ceræ imprimas, tam perfecta erit sigilli impressio quàm figura incisa fuerit. Sed quod sigillum corde divino perfectius? Hanc impressionis imaginem admirabatur Propheta David dicens: *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis, non est qui similis sit tibi.* Omnia videlicet quæ fecisti Deus mirabilia sunt, sed nihil cogitationibus cordis tui assimilari potest: hæc enim tam perfecta est sigilli impressio ut perfectior reperiri nequeat. Homo ergo secundum cor Dei cera est, cui hoc imprimitur sigillum, proinde perfectissimus esse debet: Ad hanc acquirendam perfectionem exhortabatur Christus sponsam suam dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum:* Textus autem græcus pro signaculo sigillum ponit, verbum quoque hebraicum, propriè significat annulum quo singula sigillantur. Quæ omnia pulcherrimè prosequitur Guilielmus Abbas dicens: *Imprimere mihi quasi signaculo per amorem fortiter adhærendo, ut à me quasi signaculo formam accipias, uel mea subtili impressione similitudinem trahas. Quanta enim fuerit impressio amoris, tanta erit & expressio similitudinis.* Felix anima, quę amoroso hoc sigillo non ut dura petra, sed ut mollis cera unitur, dulciter amorosi similitudinem capiendo signi. Talis fuit S. Matthiæ anima: Vnde quis dicere poterit, quantæ sanctitatis quantæ excellentiæ, quantæque pulchritudinis fuerint actiones & opera hujus Sanctissimi Apostoli, quorum multa oblivionis, ac obscuritatis tenebris obruta jacent, quæ ab ipso heroicè perpetrata fuerunt?

Psal. 39.6.

*Homo cera cui hoc imprimitur.*

Cant. 8. 6.

Guilliel. Abbas in hunc locum Cant.

*S. Matthiæ anima perfectissima.*

31. Sed cur Deus hæc adeò præclara facta silentio potiùs obvolui quàm ad tanti viri laudem fidelibus suis manifestari decrevit? Vt fortè hoc exemplo edocti, gloriam humanam despicere, ac laudes hominum effugere discamus, cùm videamus gentiles quosque Dei inimicos, laudibus extolli humanis & charissimos sanctissimosque viros oblivioni perpetuæ tradi? fortè ut humilitatem amplectamur, & opera nostra non in hominum conspectu, sed Dei omnia intuentis agere discamus? fortè etiam sicut princeps aliquis dum solemniter quosdam excipere parat, absconditas tenet magni valoris gemmas, vel ditissima aulæa, ut illo die majori ab omnibus admiratione contemplentur ac gaudio? Sic Deus actiones Sanctorum honorificas absconditas tenet, ut suo tempore majori cum admiratione demonstret.

*Cur Deus facta Sanctorum occultet.*

*Variæ rationes istius.*

32. Dicamus etiam ipsum hoc efficere ut in alterâ vitâ majoribus eos afficiat præmiis, dum hîc nullis ferè extolluntur encomiis. Vel potiùs Deum voluisse fidem nostram exercere, dum etiam

*Deus abscondit ea ut in alterâ vitâ magis extollat.*

istos

istos credimus Sanctos, quorum virtuosa ignoramus opera; Vel cùm illa tam honorificè reperiantur facta, ut nullâ linguâ laudari sufficiant, silentio potiùs detegat, quàm insufficienti extollat encomio Potuit etiam Deus voluntati Sanctorum satisfecisse, dum præ humilitate opera sua abscondi petebant, ut virtutes, & benefacta illorum non agnoscerentur: prout de S. Catharina Senensi, & Beata Maria Magdalena de Pazzi legimus, quæ hoc unicè à Deo postularunt.

*In abundantiâ, minima non æstimantur.*

33. Vel tandem hoc fieri potest, sicut in maximâ rerum contingit abundantiâ, ubi si quid minimum deperierit pro nihilo habetur cùm plurima supersint. Pari modo Deus optimus maximus multas permittit Sanctorum ignorari actiones, ut ostendat eos in tantum illis abundare, ut licet plurima silentio tegantur, multò tamen plura superabundant, quibus sponsa sua Ecclesia ditari possit. Sive tamen isto sive alio hoc Deus permisit modo, dubitare minimè possumus, quin summâ providentiâ hoc permiserit, nec idcircò minori sunt Sancti digni honore, & reverentia à nobis colendi.

IN

# IN FESTO
# S. IOSEPH.
## DISCVRSVS QVINTVS.
### *De summa dignitate & praeeminentia ejusdem.*
### Vitis fructifera baculo innixa.
### *Onus leve.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*IEsum, Mariam, Ioseph hoc emblemate recte figurari ostendit 3. primis numeris.*

*S. Iosephum conversatione, & oratione Beatæ Virginis dignum ejus sponsum effectum, declarat num. 4. 5.*

*Quam dotem ei attulerit Maria. num. 6. 7.*

*Conversationem ejus refert num. 8.*

*Paternitatem Christi maximam dignitatem attulisse probat. num. 9. 10. 11. 12.*

*Excellentiam S. Ioseph describit. num. 13. 14. 15.*

*Virtutes ejus numerat. num. 16. 17. 18.*

*Iesus, Maria, Ioseph in hoc emblemate repræsentati.*

1. Res personæ dignissimæ quæ umquam carne mortali cinctæ fuerunt, Iesus, Maria, Ioseph, hoc in emblemate repræsentantur; in fructu Iesus, de quo dictum: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*; In vite Maria, de qua Sapiens: *ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*; In sicco baculo S. Ioseph juxta dictum Prophetæ, *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum* Quæ omnia in exploratoribus terræ promissionis rectè figurata; de iis quippe dicitur: *portaverunt palmitem cum uvâ suâ in vecte* Per *palmitem* B. Virgo, per *uvam* puer Iesus, *in vecte* S. Ioseph adumbratus. Iesus verè arbor vitę, quia venit dare vitam mundo, *ego sum via, veritas, & vita*, Maria paradisus terrestris ubi hæc arbor nata; *emissiones tuæ paradisus*, Ioseph ut Cherubim ad custodiam deputatus: Cherubim quidem amore flagrans, S. Ioseph nescio an frigidus fuerit, vel omnino ardens; frigidus propter castitatem, ardens propter amorem; hoc quidem dicere possum Cherubim custodire paradisum ne quis de fructu

Cant. 1. 13. — Eccl. 24. 23. — Isaiæ 56. 3. — Num. 13. 24. — Ioan. 14. 6. — Cant. 4. 13. — *S. Ioseph ut Cherubim.*

ctu ejus accipiat & comedat, ſicque in æternum vivat; Ioſeph verò cuſtodire ut omnes inde accipere, & vitam æternam conſequi poſſint.

*Lilium ſymbolum harum perſonarum.* Cant.2.1. Iſaiæ 11.1. Actor.9.15. *Ieſus ſol, Maria Aurora, Ioſeph ſtella matutina.* Ioan.8.12. Cant.6.9. Eccl.50.6. Matth.13.44. *Ieſus theſaurus, Maria ager, Ioſeph inventor.* Ibidem. Matt.1.18. Matt.13.45. *Ieſus gēma, Maria corona, Ioſeph caput.*

2. Hujus ſanctæ unionis clariſſimum ſymbolum eſt lilium, in quo folia argentea humanitatem Chriſti, & aurea fila divinitatem ejus indicant; *Ego flos campi, & lilium convallium.* Maria virga viridis & erecta in qua creſcit hoc lilium: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Ioſeph vas electum tali flori dignum, cui attribui poteſt; *vas electionis eſt mihi iſte.* Ieſus ſplendidiſſimi inſtar ſolis, de cujus auratis radiis ſplendorem, & vitam mundus recipit. *Ego ſum lux mundi;* Maria rutilans aurora toti mundo lætitiam afferens; *quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens;* Ioſeph ſtella matutina auroram comitans, de quo dictum; *quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.* Ieſus theſaurus pretioſiſſimus; *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito;* Maria ager in quo theſaurus abſconditus; Ioſeph theſauri inventor, & emptor; *vendidit omnia ſua & comparavit eum. Inventa eſt* ecce inventorem, *in utero habens,* ecce campum, *de Spiritu ſancto,* ecce theſaurum. Ieſus pulcherrima gemma; *ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa una pretioſa; &c.* Maria corona in qua hæc gemma collocata; Ioſeph caput cui hæc corona imponenda, quia *mulier diligens, corona eſt viro ſuo.* Ieſus Agnus manſuetus, *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Maria innocens ovis & mater Agni; Ioſeph cuſtos & paſtor, Ieſus propitiatorium aureum; *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris;* Maria Arca Myſtica teſtamenti, *Fœderis Arca;* Ioſeph velum operiens propitiatorium, caſtitatem nempe Mariæ, & divinitatem Chriſti; *Vt partus ejus celaretur diabolo.* Tribus coloribus hoc velum in textum erat, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto; in S. Ioſeph hi colores optimè reſplendent, hyacinthinus propter puritatem, purpureus propter amorem, coccineus bis tinctus propter ſummam patientiam, & perſeverantiam. Dicamus meliùs colorem hyacinthinum cæleſtem pulchritudinem; purpureum ex Mari deſumptum, Marinas divitias; & coccineum ex terra provenientem fructus terreſtres ſignificare. S. Ioſeph ut velum hujus templi in ſeipſo recludit quidquid in terra, mari, & cælo pretioſum reperitur; in cælo, quia fuit pater Dei, in mari, quia ſponſus Mariæ, in terra, quia filius Davidis & juſtus erat. Imò S. Trinitas ſingulari privilegio proprios titulos favoreſque particulares ei tribuiſſe videtur. Proprium quippe eſt primæ perſonæ eſſe patrem æterni verbi, & hoc S. Ioſepho tributum, qui Pater æterni verbi appellari meruit. Secunda perſona Filius Davidis vocatur *Fili David miſerere mei,* & ju-

Prov.12.4. Ioan.1.29. *Ieſus propitiatorium Maria Arca, Ioſeph velum operiens.* 1.Joan.2.2. S. Ieron. lib.1.comment. in cap.1. Matth. *S. Ioſeph in ſe omnia terrena & cæleſtia includit.* Lucæ 18.39.

Isaiæ 62.1. & justus dicitur, *donec egredietur & splendor justus ejus*; S. Ioseph ab Angelo filius Davidis; *Ioseph fili David noli timere*, & ab Evangelista justus nominatur, *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus*. Tertia persona Sponsus Virginis nuncupatus; S. Ioseph meritò sponsus Beatissimæ Virginis appellatus. Matt.1.20.

*Tribus modis S. Ioseph considerari potest.*

3. Tribus igitur modis S. Ioseph considerari potest, ut sponsus Beatiss. Virginis, pater putativus Christi & in seipso; primo modo est baculus sustinens vitem, secundo sustinens uvam, tertio baculus siccus, & aridus; & in tribus hisce modis, mirabilis emblematis hujus excellentia resplendet. Primò, quia licet intimè baculus viti conjungitur, non tamen ad generationem uvæ aut vitis concurrit; pariter S. Ioseph, licet maritali vinculo intimè Beatiss. Virgini copulatus fuerit, ad filii tamen generationem nullo modo concurrit. Secúdò baculus frondibus suis vitem non adumbrat, cum nullos habeat frondes: S. Ioseph Beatiss. Virginem non adumbravit, quia nullum gratiæ cælestis aut virginitatis impedimentum attulit. Sicut baculus nutrimento vitis non obest, ita S. Ioseph operibus bonis Beatiss. Virginis in nullo obfuit; ut baculus vitem sustinet; ita S. Ioseph Beatiss. Virginem opere manuum suarum sustentabat. Fuit ergo sponsus Virginis; quis hanc dignitatem explicare poterit? Inter Sponsum & Sponsam paritas requiritur, juxta commune dictum; *Si vis nubere, nube pari*: quod Deus Adamo consortem assignando approbavit; *Faciamus ei adjutorium simile sibi*. Si tamen hæc sponsa Adamo adjutorium præbere debet, nónne viribus, & nobilitate præcellere oporteret? Meliùs quippe à potentiore auxilium expectamus. quàm ab æquali. Pro responsione adducere possemus præceptum militare, auxiliatorem non debere superare vires ejus cui auxilium præbet, alioquin ab ipso ut ab inimico metuendum, nec ipse tibi sed tu ipsi inservire debebis. Cùm hic tamen de sponsalitio fit sermo, rectè dicitur: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*; etenim inter sponsum & sponsam paritas esse debet. Ioseph ergo cùm sponsus fuerit Beatiss. Virginis, si inter eos æqualitas non fuerit, ad minùs proportio & similitudo conveniens reperiri debuit: cumque in terris nullus Beatiss. Virgini æqualis existeret, minùs inæqualis sponsus assignari debuit.

*Ioseph ut baculus siccus.*

*Inter sponsū & sponsam paritas requiritur.* Gen.2.18. Ibidem.

4. Ad jungendum insuper quod licet S. Ioseph nulla sanctitate fuisset insignis, ex consortio tamen Reginę cęlorum sanctus evasisset; conjunctio quippe viri & mulieris tanta est, ut impossibile videatur virum bonum, posse mulierem habere malam, & è contra: quod Apostolo teste clariùs patebit, *sanctificatur vir infidelis, per mulierem fidelem*. Idem affirmat S. Petrus; *qui non credunt verbo, per mulierum conversa-*

*S. Ioseph conversatione B.V. sanctior factus.* 1. Cor.7.14. 1. Petr.3.1.

*versationem sine verbo lucrifiant*. Qui nimirum prædicatione Apostolica converti non possunt, mulierum consortio ad bonam frugem reducantur. Ita S. Cæcilia, S. Tiburtium, S. Monica virum suum Patricium; Quomodo ergo B. Virgo omniũ sanctissima sponsum suum non reddidisset asnctum? Cùm tamen Ioseph sanctus fuerit non ipsi sanctitatem concessit; sed eandem adauxit. Si enim Elisabeth sanctificata fuerit cum filio in utero per salutationem B. Virginis; quidni Ioseph toties ab ipsa salutatus & divinis colloquijs assuetus sanctior evadet; cùm ad gratiam divinam (ab ore ejusdem Virginis procedentẽ) recipiendam, maximè fuerit dispositus? Credibile ergo est gratias & dona per conversationem Beatissimæ Virginis S. Ioseph concessa fuisse infinita.

*S. Ioseph gratiâ divinâ infinitè adauctus.*

5. Quid de orationibus pro ipso effusis referam? Scimus quippe has plurimum potuisse efficere; quid enim negabit filius matri pro marito postulanti? Cũq; amor Virginis perfectissimus fuerit, juxta illud Cant. *ordinavit in me charitatem*; & regulæ perfecti amoris præcipiant mulierem plus cæteris maritum diligere oportere; quidni S. Ioseph plus aliis à Beatissima Virgine dilectus fuit, si magis amatus, majus ipsi bonum desideratum, si desideratum, ergo obtentum; non enim aliquid desiderabat, quin à filio obtineret. Si aliæ mulieres in pœnam peccati maritis subjectæ fuerint, ut dictum Evæ; *sub viri potestate eris*; Beatissimæ Virgini non ad pœnam sed ad solatium Ioseph concessus, S. Bernardo teste. *Quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutricium, solum denique in terris magni consilij adjutorem fidelissimum*. Tanta ergo est differentia inter S. Iosephum, & alios maritos, quanta inter consolationem, & pœnam. Nec dici potest S. Iosephum indignum fuisse sponsum Mariæ, ut sæpe in aliis accidit, qui propter inæqualitatem tali sponsâ dicuntur indigni, alioquin in pœnam & non in consolationem illi datus fuisset. Nec Maria talem sponsum recipere dedignatur, nec Deus talem patrem, ad quod notandũ Evangelistas sponsalitium Mariæ & Ioseph describentes, honoratiores titulos Mariæ tribuere; *Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria, Ioseph*; non enim dicunt absolutè Maria, sed eam Matrem Iesu vocant, cùm necdum genuisset. In genealogia quoque Salvatoris dicitur, *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ*, & statim adjungitur, *de qua natus est Iesus*; ad quid ista referre? Quia Deus non non dedignatur S. Iosephum habere patrem. Si filia nobilis amore seducta ignobili nubit, præ verecundiâ nolunt eam parentes agnoscere aut nuptias celebrare, vel ad alias partes mittunt. Cùm verò matrimonium cum nobiliore initur, ipsimet annuntiant, & gaudent se tali familiæ associatos. Talis S.

*Oratio Mariæ S. Ioseph profuit.*

Cant. 2. 4.

Gen. 3. 16. *Ipsi ad solatium datus.*

S. Bernard. serm. 2. super Missus est.

*S. Ioseph dignus Mariæ sponsus.*

Matt. 1. 18.

Matt. 1. 16. *Christus talem patrem non dedignatur.*

Ioseph excellentia, cùm esset ipsi desponsata Mater Dei, & Regina cælorum. Noluit hoc Deus silentio tegi, sed ab omnibus cognosci, se talem non dedignari parentem.

*Per Mariam Ioseph Dominus universi constitutus.*

6. Quid de dote Mariæ referam? dici potest Dominium universi mundi ei attulisse: ut hoc intelligamus notanda est lex illa *ff. de ventre in possess. admittendo.* Mortuo rege absque hærede reginâ tamen gravidâ relictâ, manet illa Domina regni, quia hæredem ventre gestat. Cùm ergo Maria Iosepho desponsata erat, ipsique tradita; dubium esse poterat, si gravida esset an non; licet enim dicatur Angelus missus *ad Virginem desponsatam*; hoc tamen à SS. Bernardo, Basilio, aliisque intelligitur fuisse sponsam ejus, necdum tamen ad domum ejus adductam, sic quod gravida eò perrexerit filium utero gestans, & per consequens juxtà citatam legem Dominium universi in dotem sponso suo afferens. Nec mihi quis objiciat non bene succedere matrimonium, si mulier ditior fuerit, vel nobilior marito; unde enim aliæ mulieres occasionem superbiendi arripiunt, hæc occasionem humiliandi potiùs accepit: mulier ut pax servetur mutua, inferior vel æqualis debet esse marito, hæc (ut humilitas adæquetur meritis) superior est, non tamen extollitur.

Lucæ 1. 27.

*Maria se totaliter Iosepho subdidit.*

*Rex fuit S. Ioseph.*

7. Rex ergo fuit S. Ioseph ratione dotis uxoris, & adeò magnus, ut respectu illius alii reges hoc nomine indigni censeantur. Quod fortè voluit significare Angelus dicens: *Ioseph fili David*; non sine mysterio eum tali nomine appellans cùm non filius David, sed Iacob esset. Vocat igitur illum filium Davidis, quia non solùm ab ipso descendebat, verùm etiam ipsi simillimus erat cùm de ipso idem quod Deus de Davide dixerat, affirmari poterat; *Inveni David filium Iesse virum secundum cor meum qui faciet omnes voluntates meas.* Filium Davidis vocat, ut in memoriam revocet promissa Davidi facta, quod ex stirpe ejus nasciturus esset salvator. Notandum quoque aliis vicibus Davidem vocari regem, hîc autem non; *Iesse autem genuit David regem, David autem rex genuit Salomonem.* In præsentia Iosephi regis excellentioris, tacetur nomen regis minoris; ideo David non dicitur rex. Pari modo Evangelista Magorum adorationem referens, dicit: *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus & adoraverunt eum.* Non illum nomine Salvatoris appellat, de Iosepho tamen loquens, non solùm dicit sponsum esse matris pueri, sed adjungit *qui vocatur Christus*. Ratio hujus esse potest, ut cognoscamus Deum plus facere Iosephum quàm omnes mundi monarchas. Cùm enim à Regibus adoratur, puer vocatur, *Invenerunt puerum*: de sponsalitio autem S. Iosephloquens, titulo honoratiore decoratur quàm si ab omnibus mundi regibus adoratus esset. Talis er-

Matt. 1. 20.

*Cur filius David appellatus?*

Actor. 13. 22.

Matt. 1. 5.

*Deus pluris facit Iosephum quàm omnes reges mundi.*

Matt. 2. 11.

Matt. 1. 16.

lis ergo fuit S.Ioſeph, quia ſponſus Virginis.

*Converſatio ejus cum B. Virgine.* Chryſol. ſerm.137.

8. Quid de converſatione ejus cum B. Virgine referam? S. Petrus Chryſologus eum, *virum conſcientiæ Mariæ* dicit, ipſa enim animi ſui ſecreta ſecundum capacitatem ejus illi manifeſtabat. Andreas Ieroſol. *Tutorem Virginis* appellat, qui omnia ejus opera regebat. Dicet ergo quiſpiam quomodo Beata Virgo non illi altiſſimum Incarnationis myſterium indicavit? fortè ad ipſum non pertinebat, certè ita; cùm enim eſſet caput familiæ, & Dominus ſuæ ſponſæ, ipſius honori cedebat cognoſcere qualiter gravida effecta eſſet: quomodo ergo ipſi hoc abſconditum? Reſpondeo, id providentiâ divinâ geſtum, ad majorem ipſius excellentiam; ſilentium quippe Mariæ occaſio fuit Angelum è cælo deſcendere ad Ioſephum ut ipſi hoc intimaret. Numquid majus erat Reginam Angelorum alloqui, quàm Angelum? omnino, ſed eo tempore favor iſte non magni fiebat, quia Virgo Maria omnes alloquebatur. Ut ergo S. Ioſeph particulari privilegio fuiſſet decoratus, venit Angelus de cælo illum alloqui, & hoc revelare myſterium. Cur in ſomno, nónne potiùs de die ut illum alloquens facie ad faciem contemplari poſſet? Reſpondeo eo modo obedientiam ejus & promptam voluntatem Deo ſerviendi meliùs fuiſſe cognitam: dum enim quis illibenter aliquid exequitur, excuſationes, & impedimenta quærit ne opus impoſitum exequatur; ſi autem libenter id efficiat minimum ſignum ſufficit, quam animi promptitudinem ut oſtendamus dicere ſolemus, ſomniare ſufficit. Pari modo S. Ioſeph tali flagrabat deſiderio voluntatem Dei exequendi, ut ſufficeret in ſomnis eam intelligere. Hoc ſilentio animi rectitudo S.Ioſephi clarè patet, ubi enim de de honore Dei agebatur, nullam reverebatur perſonam; ideo de uxore ſua quid ſuſpicatus; *Voluit occultè dimittere eam.* O animi magnitudo, ergóne Ioſeph ſine chariſſima conſorte vivere poteris? Pretioſo illo theſauro te poteris privare? Non reſpicies vitæ ſanctitatem, ſanguinis nobilitatem, & morum integritatem? Reſpondere poſſet, dum de honore Dei agitur, quivis alius reſpectus ceſſare debet; ut autem ſciremus illum non indignatione, ſed zelo Dei hæc agere; notat Evangeliſta illum non cogitaſſe offendere virginem, in perſona vel honore; ſed ſolùm ſeipſum præſervare à peccato, ideo, *voluit occultè dimittere eam.*

Andreas Ieroſ.ſerm de Annunt.B. Virg.

*Cur non cognoverit myſterium Incarnationis.*

*Cur Angelus ei in ſomno apparuit.*

*Animi ejus rectitudo.* Matt.1.19.

Ubi ſuprà

*Maxima dignitas patris Chriſti.*

9. Quod hucuſque diximus, parum eſſe videtur, reſpectu tituli illius Patris Chriſti & Dei; quid amplius dici poſſet? Hæc dignitas tanta eſt, ut incommunicabilis ſit alicui creaturæ; cùm enim mundi Salvator amplificare vellet dignitatem illorum, qui voluntatem patris ſui exequerentur, dixit; *quicumque ſe-*

Matt.2.50. *que fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* Sed nullam mentionem fecit patris, hic tamen titulus proposito congruere videbatur, agebatur enim de illis qui patris voluntatẽ exequerentur, ideo ratione istius titulum ejus usurpare poterant; tanta tamen est patris dignitas ut nec illis qui ejusdem sunt voluntatis cum patre, communicari possit; licet de spirituali solùm agatur communicatione, non de reali. Pluris ergo facit Deus titulum patris, quàm matris; quia proprium est patris effectivè ad prolem concurrere, eamque sua auctoritate regere, ideoque primæ personæ in Trinitate tribuitur. Mirandum ergo S. Iosephum titulo adeò honorato & soli Deo servato hîc decorari. Quomodo Ioseph pater Christi esse poterat? Nónne virtute Spiritus Sancti conceptus & generatus fuit? nónne Beata Virgo illum absque humana ope produxit? omnino; Sed advertendum in lege antiqua non omnes steriles titulo patris privatos extitisse, si enim fratrẽ fœcundum haberent, filius inde natus huic attribuebatur, sicque pater dicebatur istius filii. S. Ioseph voto virginitatis sterilis erat, nec fratrem habebat qui filium ipsi suscitaret, & ecce Spiritus Sanctus, fratris officium executus, filium ipsi suscitat, vultque ut ei hic tribuatur, ut ita pater vocari possit. S. Iustinus martyr, hoc egregiè probans, dicit, S. Iosephum in Evangelio vocari filium duorum patrum, à S. Matthæo filium Iacobi, à S. Lucâ filium Heli, filius naturalis istius, legalis hujus, ut faciliùs crederemus Christum etiam duos patres habuisse, unum cælestem ex quo ab æterno generatus, terrestrem alterum cui sine generatione attributus, sic inquiens: *Ita rem moderata est divina gratia, ut virgo desponderetur viro, qui duos patres habuerat, unum secundum naturam ex connubiali congressu, alterum secundum legem sine connubiali congressu: in illius generatione adumbrans Christi generationem, qui ex Spiritu Sancto natus est filius Deo, ex uxore autem Iosephi, filius Iosepho.*

*Quomodo Ioseph pater Christi erat?*

*S. Ioseph duorum patrum filius.*

Justin. mart. q. 66. ad orthodox.

10. Fuit ergo Christus filius Iosephi, non per naturam, sed per attributionem, vel per adoptionem ut S. Augustinus vult. Quis fuit adoptans, & adoptatus, inter homines pater solet adoptare filium, illumque hæredem bonorum constituere; hic tamen contrarium accidit, filius adoptat patrem, Christus Iosephum, illumque hæredem cælestis thesauri constituit. Pater fuit, quia princeps cælorum ei obedire non recusat, *erat subditus illis;* pater fuit, quia gubernator familię Beatæ Virginis constitutus, teste S. Bernardo, ita ut ipsi conveniant verba antiquitus Iosepho Ægyptio attributa; *Constituit eum Dominum domus suæ, principem omnis possessionis suæ.* Pater fuit, quia S. Bernardo referente; *constituit eum Dominus suæ matris*

*Filius Ioseph per adoptionem.*

S. Aug. de consensu Evangel. lib. 2. c. 1.

Lucæ 2. 51.

S. Bern. ho. 3. super Missus est.

Ps. 104. 21.

*S. Ioseph pater Christi.*

S.Bernard. serm.2.super Missus Oseæ 11.3. *matris solatium, suæ carnis nutritium* & sicut olim Deus hominis nutritius vocatus, *ego nutritius Ephraim*, sic homo jam Dei nutritius dicitur. Pater vocatur dicit S. Epiphanius, ratione possessionis, quia fons in horto natus, procul dubio ad Dominum horti pertinet; *quod in alieno solo nascitur, sub illius dominium cadit, cujus est solum*; fons est Christus, *fons hortorum*, hortus Beata Virgo, *hortus conclusus soror mea sponsa*: hujus horti Dominus S. Ioseph, quia *mulier sui corporis potestatem non habet sed vir*. Pater vocatur, quia patrinus ejus fuit, cùm in circumcisione quæ instar baptismi erat, illi nomen imposuit ut Angelus ipsi jusserat, *vocabis nomen ejus Iesum*. Pater vocatur, quia ut talis ab omnibus honoratus & æstimatus; Aman dicitur adeò honoratus fuisse, *ut pater noster vocaretur* quod melius S. Iosepho respectu Christi convenit.

Cant. 4.15. Ibid. 12. 1. Cor. 7.4. Luc. 1.31. Ester 16. 11.

11. Angelus custos ratione tutelæ clienti præstitæ, ejus pater vocari potest, teste S. Anselmo in illa verba: *ex quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur*. Christus verò cum nullum habuerit Angelum custodem, quia omnes illi erant ministri; S. Ioseph hoc officium fideliter exequebatur, ideoque meritò pater ejus appellatus. Supra modum quoque S. Ioseph puerum Iesum diligebat, ipsumque ut pater regebat & fovebat; si ergo curam habuit paternam, cur non etiam nomen & honorem patris obtinebat? Ioseph quoque à puero Iesu pater vocatus, cùm enim se aliis infantibus accommodaret, illisque proprium sit loquelam matris imitari (ideo namque natura mulieribus multam tribuit loquendi facultatem, ut infantes inde verborum copiam accipere possint) dum audiret matrem Iosephum vocare patrem; *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, necesse fuit ut inde tali nomine eum insigniret, nec vana spes nominis sed dignitas paterna communicata fuit.

S. Ansel. in hunc locũ. Ad Ephes. 3.15. *Angelus custos fuit Christi.* Luc. 2.48.

12. Sponsus denique Virginis fuit omniaque ejus sua erant; non ergo negandum filium ejus ad Iosephum pertinere. Quantum hoc privilegium! Patriarcha Ioseph ut amorem Domini sui erga se ostenderet dicit: *Omnia mihi tradidit præter te*; Sed major hic amor erga Iosephum, cui omnia tradidit nec quidquam reservare voluit. Cùm hic Patriarcha patrem suum Iacobum jam moribundum visitaret, dicit S. Paulus quod Iacob *adoravit fastigium virgæ ejus*; quomodo Iacob præ senio insanierat, ut vellet osculari summitatem baculi filii sui. Iacob futura prævidens, cognovit in sceptro illo sive baculo (quod in summitate ut graves referunt auctores florẽ habebat) Mariam Virginem & filium ejus præfigurari, de qua Isaias vaticinatus; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de ra-*

*Sponsus fuit Beata Virg.* Gen. 39.9. Ad Hebræos 11. 21. Isaiæ 11.1.

*de radice ejus ascendet* : Ioseph quoque illud manu tenens, figura fuit Iosephi sponsi Beatiss. Virginis, in cujus manibus, sive custodia, Deus Mariam, & Iesum constituit.

*S. Ioseph Christo simillimus.*

13. Hinc mirabilem S. Ioseph excellentiam colligere possumus ipsum nimium Christo in vultu & moribus simillimum fuisse: quia Christus ad honorem suæ gloriosissimæ matris voluit ab omnibus filius Ioseph haberi: & quis ignorat si filius non assimuletur patri vel matri illum alienum reputari, & per consequens matrem ejus si non corpore, saltem animo adulteram fuisse, eamque plus corde dilexisse alienum quàm proprium maritum. Vt ergo nulla suspicio de Beata Virgine oriretur, conveniens fuit, Iosephum Christo simillimum esse debuisse, cumque Christus pulcherrimus esset, pari modo S. Ioseph pulchritudine ipsi assimulari debuit. Vt melius dignitatem & excellentiam S. Ioseph intelligamus, notanda hîc est doctrina Philosophorum; quando plura sunt genera & ordines rerum, infimum superioris generis perfectius est supremo inferioris generis, sic viventia cùm sint superiora mixtis inanimatis, infimum & vilissimum vivens nobilius est quolibet non vivente, ita ut (S. Augustino teste) formica nobilior sit auro, argento ac ipsomet cælo, sicque de aliis. Supra

*Maxima S. Iosephi dignitas.*

*Ratione philosophica probatur.*

hoc fundamentum procedendo notandum Theologicè loquendo, quatuor esse ordines rerum; primò ordinem naturæ, in quo sunt elementa, mixta omnia, viventia, animalia, homines, Angeli, quantum ad esse naturale; 2. Ordinem gratiæ, in quo sunt omnes justi & sancti. 3. Ordinem gloriæ, in quo sunt omnes Sancti; 4. Ordinem unionis hypostaticæ, in quo solùm Christus directè ponitur; indirectè autem & reductivè Beata Virgo, & S. Ioseph: prout in prædicamentis aliqua entia ponuntur in rectâ lineâ, alia in lineâ collaterali.

*Quatuor sunt ordines rerum.*

14. Ex hac doctrinâ colligere possumus infimum justum perfectiorem & nobiliorem esse, omni alio in donis naturalibus præcellente, imò ipsomet mundo, Apostolo attestante, *quibus dignus non erat mundus*; Infimus Sanctus regni cælestis est in altiori perfectionis gradu, quàm maximus justus mundi: quod Christus affirmare videtur de S. Ioanne *qui minor est in regno cælorum, major est illo*, de eo tamen dixerat; *Inter natos mulierum non surrexit major*. Qui verò ad ordinem unionis hypostaticæ pertinent omnes excedunt, ut de Christo asserit S. Paulus: *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Ratione quoque idem confirmare possumus; res omnes tantò sunt perfectiores, quantò viciniores suo principio quod est Deus, res naturales uniuntur Deo, ut es-

*Infimus justus perfectior est supremo in naturalibus.*

Ad Hebr. 11. 38.

Matt. 11. 11.

Ad Rom. 8. 29.

ut effectus causæ quæ minima conjunctio; justi ut amans amatæ, quæ metaphorica; Sancti ut potentia objecto, quæ intentionalis; sed unio hypostatica intima & & realis fuit, ideo maxima. Alii ordines per participationem esse divinum habent, sed unio hypostatica per communicationem: illi paulatim perfici possunt; hæc verò nullam perfectionem recipit. S. Ioseph igitur & Maria ad ordinem unionis hypostaticæ licet reductivè pertinent, S. Bernardo asserente: *Solum denique in terris magni consilij adjutorem fidelissimum*. Licet enim Angelus ut legatus, & Apostoli ut prædicatores, & annuntiatores huic mysterio operam cōtulisse videntur, extrinsecè solùm hoc fuit; Soli S. Ioseph & Maria intrinseci coadjutores hujus sanctissimi mysterii fuerunt, quia illum simul nutrierunt, & patri æterno pro nostra salute obtulerunt. Licet ergo S. Ioseph hîc teneat ultimum locum, attamen juxta axioma philosophicum perfectior erit supremis in aliis ordinibus. Adjungamus insuper Christum dicere: *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*. Quam ergo mercedem S. Ioseph recipiet, qui non solùm Prophetam, sed omnium Prophetarum Magistrum & dominum, ac mundi redemptorem in domo sua recepit, & tamdiu aluit, & custodivit; superabundantem, credo mercedem recepisse, omnes Prophetas & Sanctos superans, ac Christo & matri ejus vicinior effectus. Sed hoc absolutè asserere, in præjudicium videretur cedere aliorum Sanctorum, cùm solus Deus cognoscat quis reliquos Sanctos in meritis superet vel adæquet: veruntamen esse arbitror, S. Iosephum in ratione paternitatis Christi, omnes Sanctos excedere, licet alii in meritis ipsum adæquare vel superare possint. Sufficit ergo nobis S. Iosephum hoc titulo majorem omnium dici posse.

*Ratione idem probatur.*

*Maria & Ioseph ad supremum ordinem pertinent.*

S. Bernard. homil. 2. super missus.

Matt. 10. 41.

*Magnam mercedem Ioseph à Christo recipiet.*

15. Quid de favoribus & privilegiis referam ratione hujus tituli concessis. Magnum S. Ioannis æstimatum privilegium in ultimâ cœnâ supra pectus Christi recubuisse: sed majus S. Iosephi, supra cujus pectus Christus sæpiùs recubuit; sicut magis æstimatur si aliquis à Principe visitetur in domo propriâ, quàm si iste visitet Principem in domo suâ. Magnum fuit privilegium S. Ioannis Baptistæ Christum baptizare, & digito aliis ostendere; sed majus S. Iosephi, qui digito vel signo aliquo demonstrato Christo imperabat. *Erat q. subditus illi*. Virginibus in paradiso cælesti singulare videtur concessum privilegium quod *sequuntur Agnum quocunque ierit*; S. Ioseph non Agnum sequitur, sed Agnus ipsum. Magna dignitas S. Petro tributa illis verbis. *Pasce oves meas*; major

*S. Ioseph maximus in privilegiis.*

Luc. 2. 51.

*Omnes sanctos excedit.*

Apoc. 14. 4.

Ioan. 21. 17.

*Majori consolatione abundavit.*

S. Iosepho, cui ipsimet pastor (qui amore nostri se Agnum constituerat) traditus fuit custodiendus? Maria Magdalena quia semel Christi pedes tetigit sanctificata fuit; Simon justus Christum in ulnis recipiens consolatione superabundavit: qualis ergo gratia, sanctitas, & consolatio erit S. Iosepho, qui Christum toties amplexus, osculatus, & brachiis gestavit. O quanta felicitas, & felix jucunditas!

*Meritò ipsi hoc emblema tributum.* Matth. 11. 30.

16. Meritò proindè in dicto emblematis nostri dicitur, *Onus leve.* Licet enim pondus ingens sustinere videretur, quia ut Atlas non cælum solùm gestabat, sed eum *sub quo curvantur qui portant orbem*, & à quo conculcantur & confringuntur omnes, *triturabitur Moab sub eo*, & S. Iob licet fortissimus dicat: *Pondus ejus ferre non potui*: S. Iosepho tamen non solùm leve videbatur, quia tot gratiis, & privilegiis cumulatus, verùm etiam suave, cùm pondus illud ferentem ferat, & in cælum elevet supra quem incumbit. Rectè quoque lignum aridum, sed durum, & rectum dicitur, quia numquam sensualitatis humorem, aut concupiscentiæ ardorem in se expertus fuit, ita ut graves affirment auctores, ipsum in ventre matris sanctificatum; durus fuit, quia nec austro prosperitatis, nec Aquilone adversitatis umquam commoveri potuit; rectus fuit, quia, justus, teste Evangelista: *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus*: de quibus plurima mihi essent dicēda, sed unum hîc notandum, in quatuor Iosephis quorum Sacra Scriptura laudabiliter meminit, quatuor virtutes Cardinales repræsentatas. Ioseph Patriarcha prudentiâ excelluit, quia Ægyptum maximâ fame laborantem, suâ prudenti dispositione aluit; fortitudine Ioseph ab Arimathea Discipulus Christi claruit, quia cæteris fugientibus post mortem Salvatoris, *audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu*: justitiâ præcelluit Ioseph qui vocabatur Barsabbas & cum S. Matthiâ ad Apostolatum electus erat; temperantiâ enituit S. Ioseph sponsus Virginis Mariæ, quia ut lignum aridum nullum humorem, aut calorem libidinis sensit.

Iob 9. 13. — Isaiæ 25. 10 — Job 31. 23. — *Maximum pondus S. Josepho leve videtur.* — *S. Ioseph nullis passionibus movetur.* — Matt. 1. 19. — *Quatuor Iosephi, quatuor virtutes Cardinales repræsentãt.* — Marc. 15. 43.

*Omnes hæ virtutes in S. Iosepho unita.*

17. Omnes hæ virtutes in S. Iosepho sponso Virginis mirabiliter unitæ fuerunt; si primus toti Ægypto cibum subministravit, hic toti mundo cibum providit, quia cibum Angelorum & hominum pavit, si enim Christus de carne suâ inquit: *panis enim Dei est qui de cælo descendit*; cælum debuit esse S. Ioseph, cùm caro Christi, per nutritionem S. Ioseph accreverit; si secundus Ioseph redemerit corpus Christi à Pilato, & hic corpus Christi ab Herodis persecutione eripuit: si tertius justus vocatus fuerit, & hic divino testimonio

Ioan. 6. 33. — Matt. 1. 19.

nio justus dictus: *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus*. Illa ergo differentia inter hunc Iosephum & alios esse videtur, quæ est inter Sanctos primæ Hierarchiæ & ultimæ: S. Thomas docet, aliquos Angelos esse assistentes, semper faciem divinam contemplantes qui numquam ab illa recedunt, & hi supremi dicuntur: alios verò ministrantes qui in terram ad custodiam hominum & gubernationem mundi mittuntur, & ultimi sunt ordinis. Ita in Hierarchiâ Ecclesiasticâ (quæ figura cælestis est) eadem reperiuntur officia, Apostoli licet maximi Sancti, mitti tamen dicuntur, quia *Apostolus* idem est quod *Missus*; S. Ioannes Baptista etiam mittitur, quia *fuit homo missus à Deo*: ceteri Sancti à Deo missi; Solus Ioseph & Beatiss. Virgo Maria assistentes sunt divinâ præsentiâ continuò gaudentes, & supremæ Hierarchiæ, in qua sunt Throni, Cherubim, & Seraphim; Throni sunt, quia summâ consolatione illum sæpiùs sinu portant, Cherubim, & Seraphim, quia illum medium ut propitiatorium continent, & charitate divina maximè in flammati continuò illum laudant, & adorant: sicut etiam inter astra cælestia primò Creatorem suum laudare dicuntur Sol & Luna, ob excellentiam pulchritudinis: sic inter Angelos qui stellæ dicuntur à S. Iob: *Cùm me laudarent astra matutina*; S. Ioseph & Maria sunt ut Sol & Luna. Hoc egregiè S. Ambrosius affirmat, dum probare cupiens puerum Iesum, à Iosepho & Maria adoratum adducit hunc locum Psalmi: *Laudate eum Sol & Luna*. per solem S. Iosephum intelligens, per lunam Beatam Virginem; non quia hæc minor erat, sed quia Ioseph maritus, & illa sponsa, quæ sicut luna à sole sic illa à marito recipiebat influxum.

*Diversitas Angelorum.*

*Ioan. 1. 6.*

*Ioseph & Maria semper assistunt Deo.*

*Continuò illum laudat.* Iob. 38. 7.

Psalm. 148. 3.

18. Dicere tamen aliquis posset, S. Ioseph tantus sanctus, cur Ecclesia nullo solemni festo eum ut alios sanctos colit? fortè quis responderet Ecclesiam quoque colere particulari festo S. Michaelem & Angelum Custodem; non tamen aliquem Cherubim aut Seraphim, non quia hi minores sint, sed quia hominibus non immediatè inserviunt ut isti; sic de S. Josepho minor celebratur festivitas, non qua dignitate minor, sed quia servitio hominum non deputatus fuit. Mihi tamen potiùs videtur dicendum Ecclesiam hoc permittere, quia sanctitas ejus infinitè excedit alios. Quomodo hoc? An quia aliquis summa dignitate fulget minùs honorari debet? Si honor ille in præjudicium alicujus cederet, tunc quidem verum esset; quia non ergo defuerunt hæretici qui affirmarunt S. Josephum pa-

*Cur Ecclesia non solemnius S. Iosephum colat.*

*Ne hæreticis occasionem erroris præberet.*

trem naturalem Christi fuisse, sic Ecclesia ne illum festo celebriori colendo erroris istius majorem daret occasionem, festo minori colere instituit. Pariter, Crux Christi cultu latriæ adoratur, quia membra Salvatoris tetigit non tamen Beata Virgo Maria, quia hîc est periculum ne Dea credatur, ibi nullum tale subest periculum. His tamen temporibus in quibus ab errore illo alienati sumus; devotio S. Ioseph indies augeri conspicitur, & gloria ejus maximè dilatari, cum fructu eorum qui se illi commendant: quandoquidem Beata Virgo Theresa asserat se nullam à Deo gratiam per intercessionem S. Ioseph petiisse, quin illam obtinuerit.

IN

# IN FESTO RESVRRECTIONIS DOMINI.

## DISCVRSVS SEXTVS.

### *De Christo gloriosè Resurgente ac universali mundi lætitiâ.*

### Scopulus à mari concussus non confractus.

### *Siluerunt fluctus.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*DE Scopulis earumq; agit proprietatibus primis 7. num.*

*Christum verè scopulum in Passione concussum & Resurrectione fulgentem ostendit. num. 8. 9. 10. 11 12.*

*Vniversalem ab omnibus exhibitam lætitiam, 14. sequentibus demonstrat numeris.*

*Dominum Christo in omnes traditum creaturas gloriamq; quâ passione superatâ refulsit, describit. num. 27. 28. 29. 30.*

*Tandem victoriam triumphumque ejus à num. 31. ad finem usque prosequitur.*

*Ex Dei providentia terra super aquis eminens.*

1. NAturæ ordo, & elementorum expostulabat qualitas, ut terra infimum tenente locum, aqua undique emineret; sed divina providente clementia (quæ in hominum utilitatem universa disponit) effectum est, ut aqua juri suo aliquantulum cedens, non solùm maximam terræ partem detectam relinqueret, verùm etiam mutabili vicissitudine, quasi cum ipsa ludendo terra, nunc in medio ipsius exurgeret, nunc ipsam sinu suo amplecteretur. Hinc in terra maximi apparent lacus, in mari verò insulæ fluctuant; in terra flumina, in mari peninsulæ; in terra paludes, in mari sicca terra sæpe reperitur, in terra portus, in mari promontoria; in terra puteī aquatiles, in mari scopuli altissimi extant: quorum firmitatem in medio

*Terra & mare sibi invicem commixta.*

*Quomodo scopuli in mari firmentur?*

dio fluctuantium undarum non pauci admirantur; dicunt enim in terra montes exsurgere altissimos, & suo firmari pondere, ac stabili permanere fundamento, tanti non est faciendum. Sed quod in turbulento maris sinu, & mobili fundamento scopuli firmentur altissimi, prorsus incredibile appareret, nisi certa in nobis experientia fides confirmaretur. Hi tamen scopuli, cùm non super aquis, sed in ipsa terra radicem figant, non magis id mirum est, quàm si columna altissima in medio erigatur aëris.

*Cur ab aquis oppugnati non moveantur vel deficiãt.*

2. Admiratione tamen dignum est scopulos istos in tanto impulsu, ac concussione undarum, firmos æquè ac immobiles permanere. Si enim parvula ex alto cadens gutta lapidem cavet? Quomodo marini scopuli tanto oppugnati aquarum impetu, in minimo non moventur, vel minuuntur? An fortè aqua decidens majorem vim habet, quàm à latere impugnans? Vel gutta subtilis majorem habet penetrandi virtutem, quàm undarum integra ingluvies latè percutiens? An fortè scopulis aqua damnum parit, quod propter materiæ conformitatem in ipsis non cognoscitur? Tali tamen sunt scopuli formati materiâ, ut fluctus rumpentes ipsis vim auferant, & absque ulla læsione sui undis resistant.

3. Quomodocumque hoc fieri dicatur; non sine admiratione David in Psalmis dicit, *qui firmavit terram super aquas*: qui locus cùm multis admirationem attulerit, non abs re fore credo, si hîc illum paululum perscrutemur. Dicunt aliqui sub terra reperiri aquam cui terra adhæreat, & firmetur, hocque esse quod David admiratur, falsum tamen esse puto terram fundari super aquis, sic enim continuum daretur miraculum, cùm terra gravissima in aquis nataret, & aqua levior terræ subderetur. Verum quidem est Plinium juniorem insularum mentionem facere, quæ in lacu vadimonio provinciæ Tuscanæ reperiuntur, quas frater Leander Alberti in Italiæ descriptione vocari dicit lacum de Bassanello, confirmans quæ Plinius de hoc lacu retulit: Quarum etiam Plinius senior, aliarumque fluctuantium insularum meminit, ut etiam frater Leander in descriptione Spoleti, idem quoque Hector Boëtius de Insula nomine Leumand in lacu Scotiæ fluctuante enarrat: ex quibus certissimum firmari videtur argumentum has omnes absque fundamento aquis supernatare. Hoc tamẽ si bene inspiciatur, non miraculo, sed rationi naturali adscribendum videtur, cùm enim istarum insularum terra sit latissima, & exiguæ profunditatis, fieri potest ut aquis supernatent: tali quippe modo ferrum in tenuissimas largissimasque deductum laminas super aquis natare potest. Poris quoque terra illa referta aëre ipsam undique penetrante:

Psalm. 135. 6.

*Vtrum terra super aquis fundata.*

Plin. Epist. ad Gallic. lib. ult.

*Cur aliqua Insulæ in mari fluctuent?*

Plin. lib. 2. cap. 97.

*Rationi naturali hoc adscribendum.*

trante: fluctuare potest, maximè si in ea nullum pondus aut ædificium emineat.

*Cur aqua sub terra reperiatur.*

4. Dicet fortè quispiam, quotidianâ patere experientiâ, subtus terram effossam aquam apparere, taliterq; puteos effici? Respõdeo non ubique reperiri aquam, quæ tamen reperta, terram non sustinet, sed per varios currendo terræ meatus ad humilem aliquem deflectit locum. Sunt qui hanc particulam *super* non localiter, sed comparativè intelligi volunt, quod nimirum Deus firmiorem, & stabiliorem terram præ aquis posuerit, sed hæc interpretatio abjecta nimis esse videtur, quis enim non videt terram esse aquâ firmiorem? melius ergo respondent alii, hanc particulam *super* pro altitudine exponentes: licet enim terra juxta naturæ suæ ordinem, debeat esse aquis inferior, in hominum tamen commoditatem, illam multis locis altiorem esse, decrevit omnipotens.

*Explicatio particulæ* super.

*Super significat* juxta.

5. Sensus ergo litteralis communior est hanc particulã *super*, *juxta* significare posse, sic enim frequenter in sacra scriptura reperitur expressa: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus*: id est ad ripã fluminis, nam flumini supersedere impossibile erat; alibi quoque dicitur, *non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*: hoc est, non relinquet Dominus hæreditatem peccatoris juxta possessionem justi. Divinam ergo providentiam, his verbis psalmista celebrat, quæ talem terræ attribuit stabilitatem, ut aquis circumdata, & undique concussa, nunquam tamen absorbeatur, aut confringatur, quod in scopulis maximè verum apparet.

Psalm. 136. 1.

Psalm. 124. 3.

*Divinâ providentiâ terra super aquis manet.*

*Cur Deus scopulos in mari esse voluit.*

6. Cur quæso Deus scopulos in mari esse voluit, cùm potiùs damno, quàm utilitati servire videantur? famosus (ne dicam infamis) inter alios est scopulus ille Siciliæ, Scylla dictus, de quo hoc fertur proverbium, *Incidit in Scillam cupiens vitare Charybdim*: Charybdis enim non scopulus sed vortex, aut vorago in mari est, ad quam naves accedentes, in gyrum actæ, subitò in profundum abripiuntur undarum. Nautæ ergo Charybdim vitare cupientes, in in Scillam incidunt, sicq; miserè pereunt. Quare ergo Deus scopulos in mari esse voluit? Ad reprimendam fortè aviditatem humanam, quæ terreno non contenta dominio, mari quoque cupit dominari? Aut ad hominis excolendum ingenium? vel etiam ut mundus hac varietate terræ & aquæ, pulchrior evadat? fortè in signum invictæ Dei omnipotentiæ? vel ut miseros protegerent contra piratarum insultus? aut ut naufragantium essent refugium, dum brachiorum vi littus natando attingere nequirent, magni faciunt, invenire scopulum

*Varia istius opiniones.*

Matt.2.50. *que fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* Sed nullam mentionem fecit patris, hic tamen titulus proposito congruere videbatur, agebatur enim de illis qui patris voluntatẽ exequerentur, ideo ratione istius titulum ejus usurpare poterant; tanta tamen est patris dignitas ut nec illis qui ejusdem sunt voluntatis cum patre, communicari possit; licet de spirituali solùm agatur communicatione, non de reali. Pluris ergo facit Deus titulum patris, quàm matris; quia proprium est patris effectivè ad prolem concurrere, eamque sua auctoritate regere, ideoque primæ personæ in Trinitate tribuitur. Mirandum ergo S. Iosephum titulo adeò honorato & soli Deo servato hîc decorari. Quomodo Ioseph pater Christi esse poterat? Nónne virtute Spiritus Sancti conceptus & generatus fuit? nónne Beata Virgo illum absque humana ope produxit? omnino; Sed advertendum in lege antiqua non omnes steriles titulo patris privatos extitisse, si enim fratrẽ fœcundum haberent, filius inde natus huic attribuebatur, sicque pater dicebatur istius filii. S. Ioseph voto virginitatis sterilis erat, nec fratrem habebat qui filium ipsi suscitaret, & ecce Spiritus Sanctus, fratris officium executus, filium ipsi suscitat, vultque ut ei hic tribuatur, ut ita pater vocari possit. S. Iustinus martyr, hoc egregiè probans, dicit, S. Iosephum in Evangelio vocari filium duorum patrum, à S. Matthæo filium Iacobi, à S. Lucâ filium Heli, filius naturalis istius, legalis hujus, ut faciliùs crederemus Christum etiam duos patres habuisse, unum cælestem ex quo ab æterno generatus, terrestrem alterum cui sine generatione attributus, sic inquiens: *Ita rem moderata est divina gratia, ut virgo desponderetur viro, qui duos patres habuerat, unum secundum naturam ex connubiali congressu, alterum secundum legem sine connubiali congressu: in illius generatione adumbrans Christi generationem, qui ex Spiritu Sancto natus est filius Deo, ex uxore autem Iosephi, filius Iosepho.*

*Quomodo Ioseph pater Christi erat?*

*S. Ioseph duorum patrum filius.*

Justin. mart. q. 66. ad orthodox.

10. Fuit ergo Christus filius Iosephi, non per naturam, sed per attributionem, vel per adoptionem ut S. Augustinus vult. Quis fuit adoptans, & adoptatus, inter homines pater solet adoptare filium, illumque hæredem bonorum constituere; hic tamen contrarium accidit, filius adoptat patrem, Christus Iosephum, illumque hæredem cælestis thesauri constituit. Pater fuit, quia princeps cælorum ei obedire non recusat, *erat subditus illis;* Lucæ 2.51. pater fuit, quia gubernator familiæ Beatæ Virginis constitutus, teste S. Bernardo, ita ut ipsi conveniant verba antiquitus Iosepho Ægyptio attributa; *Constituit eum Dominum domus suæ, principem omnis possessionis suæ.* Pater fuit, quia S. Bernardo referente; *constituit eum Dominus suæ matris*

*Filius Ioseph per adoptionem.*

S. Aug. de consensu Evangel. lib. 2. c. 1.

S. Bern. ho. 3. super Missus est.

Ps. 104. 21.

*S. Ioseph pater Christi.*

S.Bernard. serm.2.super Missus *matris solatium, suæ carnis nutritium* & sicut olim Deus hominis nutritius vocatus, *ego nutritius Ephraim,* Oseæ 11.3. sic homo jam Dei nutritius dicitur. Pater vocatur dicit S. Epiphanius, ratione possessionis, quia fons in horto natus, procul dubio ad Dominum horti pertinet; *quod* Cant. 4.15. *in alieno solo nascitur, sub illius dominium cadit, cujus est solum*; fons est Ibid.12. Christus, *fons hortorum*, hortus Beata Virgo, *hortus conclusus soror mea sponsa*: hujus horti Dominus S. Ioseph, quia *mulier sui corporis pote-* 1. Cor.7.4. *statem non habet sed vir*. Pater vocatur, quia patrinus ejus fuit, cùm in circumcisione quæ instar baptismi erat, illi nomen imposuit ut Luc.1.31. Angelus ipsi jusserat, *vocabis nomen ejus Iesum*. Pater vocatur, quia ut talis ab omnibus honoratus & æstimatus; Aman dicitur Ester 16.11. adeò honoratus fuisse, *ut pater noster vocaretur* quod melius S. Iosepho respectu Christi convenit.

11. Angelus custos ratione tu- S.Ansel.in hunc locũ. telæ clienti præstitæ, ejus pater vocari potest, teste S. Anselmo Ad Ephes. 3.15. in illa verba: *ex quo omnis paternitas in cælis & in terris nominatur*. *Angelus custos fuit Christi.* Christus verò cum nullum habuerit Angelum custodem, quia omnes illi erant ministri; S. Ioseph hoc officium fideliter exequebatur, ideoque meritò pater ejus appellatus. Supra modum quoque S. Ioseph puerum Iesum diligebat, ipsumque ut pater regebat & fovebat; si ergo curam habuit paternam, cur non etiam nomen & honorem patris obtinebat? Ioseph quoque à puero Iesu pater vocatus, cùm enim se aliis infantibus accommodaret, illisque proprium sit loquelam matris imitari (ideo namque natura mulieribus multam tribuit loquendi facultatem, ut infantes inde verborum copiam accipere possint) dum audiret matrem Iosephum vocare patrem; *Pater* Luc.2.48. *tuus & ego dolentes quærebamus te*, necesse fuit ut inde tali nomine eum insigniret, nec vana spes nominis sed dignitas paterna communicata fuit.

12. Sponsus denique Virginis fuit omniaque ejus sua erant; non ergo negandum filium ejus ad Iosephum pertinere. Quantum *Sponsus fuit Beata Virg.* hoc privilegium! Patriarcha Ioseph ut amorem Domini sui erga se ostenderet dicit: *Omnia mihi* Gen.39.9. *tradidit præter te*; Sed major hic amor erga Iosephum, cui omnia tradidit nec quidquam reservare voluit. Cùm hic Patriarcha patrem suum Iacobum jam moribundum visitaret, dicit S. Paulus quod Iacob *adoravit fastigium vir-* Ad Hebræos 11.21. *gæ ejus*; quomodo Iacob præ senio insanierat, ut vellet osculari summitatem baculi filii sui. Iacob futura prævidens, cognovit in sceptro illo sive baculo (quod in summitate ut graves referunt auctores florẽ habebat) Mariam Virginem & filium ejus præfigurari, de qua Isaias vaticinatus; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos* Isaiæ 11.1. *de ra-*

ut effectus causæ quæ minima conjunctio; justi ut amans amatæ quæ metaphorica; Sancti ut potentia objecto, quæ intentionalis; sed unio hypostatica intima & & realis fuit, ideo maxima. Alii ordines per participationem esse divinum habent, sed unio hypostatica per communicationem: illi paulatim perfici possunt; hæc verò nullam perfectionem recipit. S. Ioseph igitur & Maria ad ordinem unionis hypostaticæ licet reductivè pertinent, S. Bernardo asserente: *Solum denique in terris magni consilij adjutorem fidelissimum*. Licet enim Angelus ut legatus, & Apostoli ut prædicatores, & annuntiatores huic mysterio operam cōtulisse videntur, extrinsecè solùm hoc fuit; Soli S. Ioseph & Maria intrinseci coadjutores hujus sanctissimi mysterii fuerunt, quia illum simul nutrierunt, & patri æterno pro nostra salute obtulerunt. Licet ergo S. Ioseph hîc teneat ultimum locum, attamen juxta axioma philosophicum perfectior erit supremis in aliis ordinibus. Adjungamus insuper Christum dicere: *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*. Quam ergo mercedem S. Ioseph recipiet, qui non solùm Prophetam, sed omnium Prophetarum Magistrum, & dominum, ac mundi redemptorem in domo sua recepit, & tamdiu aluit, & custodivit; superabundantem, credo mercedem recepisse, omnes Prophetas & Sanctos superans, ac Christo & matri ejus vicinior effectus. Sed hoc absolutè asserere, in præjudicium videretur cedere aliorum Sanctorum, cùm solus Deus cognoscat quis reliquos Sanctos in meritis superet vel adæquet: veruntamen esse arbitror, S. Iosephum in ratione paternitatis Christi, omnes Sanctos excedere, licet alii in meritis ipsum adæquare vel superare possint. Sufficit ergo nobis S. Iosephum hoc titulo majorem omnium dici posse.

*Ratione idem probatur.*

*Maria & Ioseph ad supremum ordinem pertinent.*

S. Bernard. homil. 2. super missus.

Matt. 10. 41.

*Magnam mercedem Ioseph à Christo recipiet.*

15. Quid de favoribus & privilegiis referam ratione hujus tituli concessis. Magnum S. Ioannis æstimatum privilegium in ultimâ cœnâ supra pectus Christi recubuisse: sed majus S. Iosephi, supra cujus pectus Christus sæpiùs recubuit; sicut magis æstimatur si aliquis à Principe visitetur in domo propriâ, quàm si iste visitet Principem in domo suâ. Magnum fuit privilegium S. Ioannis Baptistæ Christum baptizare, & digito aliis ostendere; sed majus S. Iosephi, qui digito vel signo aliquo demonstrato Christo imperabat. *Erat q. subditus illi*. Virginibus in paradiso celesti singulare videtur concessum privilegium quod *sequuntur Agnum quocunque ierit*; S. Ioseph non Agnum sequitur, sed Agnus ipsum. Magna dignitas S. Petro tributa illis verbis. *Pasce oves meas*; major

*S. Ioseph maximus in privilegiis.*

Luc. 2. 51. *Omnes sanctos excedit.*

Apoc. 14. 4.

Ioan. 21. 17.

S. Ioſepho, cui ipſimet paſtor (qui amore noſtri ſe Agnum conſtituerat) traditus fuit cuſtodiendus? Maria Magdalena quia ſemel Chriſti pedes tetigit ſanctificata fuit; Simon juſtus Chriſtum in ulnis recipiens conſolatione ſuperabundavit: qualis ergo gratia, ſanctitas, & conſolatio erit S. Ioſepho, qui Chriſtum toties amplexus, oſculatus, & brachiis geſtavit. O quanta felicitas, & felix jucunditas!

*Majori conſolatione abundavit.*

*Meritò ipſi hoc emblema tributum.*

Matth. 11. 30.

Iob 9. 13.

Iſaiæ 25, 10

Job 31. 23.

16. Meritò proindè in dicto emblematis noſtri dicitur, *Onus leve.* Licet enim pondus ingens ſuſtinere videretur, quia ut Atlas non cælum ſolùm geſtabat, ſed eum *ſub quo curvantur qui portant orbem*, & à quo conculcantur & confringuntur omnes, *triturabitur Moab ſub eo*, & S. Iob licet fortiſſimus dicat: *Pondus ejus ferre non potui*: S. Ioſepho tamen non ſolùm leve videbatur, quia tot gratiis, & privilegiis cumulatus, verùm etiam ſuave, cùm pondus illud ferentem ferat, & in cælum elevet ſupra quem incumbit. Rectè quoque lignum aridum, ſed durum, & rectum dicitur, quia numquam ſenſualitatis humorem, aut concupiſcentiæ ardorem in ſe expertus fuit, ita ut graves affirment auctores, ipſum in ventre matris ſanctificatum; durus fuit, quia nec auſtro proſperitatis, nec Aquilone adverſitatis umquam commoveri potuit; rectus fuit, quia, juſtus, teſte Evangeliſta: *Ioſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus*: de quibus plurima mihi eſſent dicẽda, ſed unum hîc notandum, in quatuor Ioſephis quorum Sacra Scriptura laudabiliter meminit, quatuor virtutes Cardinales repræſentatas. Ioſeph Patriarcha prudentiâ excelluit, quia Ægyptum maximâ fame laborantem, ſuâ prudenti diſpoſitione aluit; fortitudine Ioſeph ab Arimathea Diſcipulus Chriſti claruit, quia cæteris fugientibus poſt mortem Salvatoris, *audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu*: juſtitiâ præcelluit Ioſeph qui vocabatur Barſabbas & cum S. Matthiâ ad Apoſtolatum electus erat; temperantiâ enituit S. Ioſeph ſponſus Virginis Mariæ, quia ut lignum aridum nullum humorem, aut calorem libidinis ſenſit.

*Maximum pondus S. Joſepho leve videtur.*

*S. Ioſeph nullis paſſionibus movetur.*

Matt. 1. 19.

*Quatuor Ioſephi, quatuor virtutes Cardinales repræſentât.*

Marc. 15. 43.

17. Omnes hæ virtutes in S. Ioſepho ſponſo Virginis mirabiliter unitæ fuerunt; ſi primus toti Ægypto cibum ſubminiſtravit, hic toti mundo cibum providit, quia cibum Angelorum & hominum pavit, ſi enim Chriſtus de carne ſua inquit: *panis enim Dei eſt qui de cælo deſcendit*; cælum debuit eſſe S. Ioſeph, cùm caro Chriſti, per nutritionem S. Ioſeph accreverit; ſi ſecundus Ioſeph redemerit corpus Chriſti à Pilato; & hic corpus Chriſti ab Herodis perſecutione eripuit: ſi tertius juſtus vocatus fuerit, & hic divino teſtimonio

*Omnes hæ virtutes in S. Ioſepho unitæ.*

Ioan. 6. 33.

Matt. 1. 19.

nio justus dictus: *Ioseph autem vir ejus cùm esset justus*. Illa ergo differentia inter hunc Iosephum & alios esse videtur, quæ est inter Sanctos primæ Hierarchiæ & ultimæ: S. Thomas docet, aliquos Angelos esse assistentes, semper faciem divinam contemplantes qui numquam ab illa recedunt, & hi supremi dicuntur: alios verò ministrantes qui in terram ad custodiam hominum & gubernationem mundi mittuntur, & ultimi sunt ordinis. Ita in Hierarchiâ Ecclesiasticâ (quæ figura cælestis est) eadem reperiuntur officia, Apostoli licet maximi Sancti, mitti tamen dicuntur, quia *Apostolus* idem est quod *Missus*; S. Ioannes Baptista etiam mittitur, quia *fuit homo missus à Deo*: ceteri Sancti à Deo missi; Solus Ioseph & Beatiss. Virgo Maria assistentes sunt divinâ præsentiâ continuò gaudentes, & supremæ Hierarchiæ, in qua sunt Throni, Cherubim, & Seraphim; Throni sunt, quia summâ consolatione illum sæpiùs sinu portant, Cherubim, & Seraphim, quia illum medium ut propitiatorium continent, & charitate divina maximè in flammati continuò illum laudant, & adorant: sicut etiam inter astra cælestia primò Creatorem suum laudare dicuntur Sol & Luna, ob excellentiam pulchritudinis: sic inter Angelos qui stellæ dicuntur à S. Iob: *Cùm me laudarent astra matutina*; S. Ioseph & Maria sunt ut Sol & Luna. Hoc egregiè S. Ambrosius affirmat, dum probare cupiens puerum Iesum, à Iosepho & Maria adoratum adducit hunc locum Psalmi: *Laudate eum Sol & Luna*. per solem S. Iosephum intelligens, per lunam Beatam Virginem; non quia hæc minor erat, sed quia Ioseph maritus, & illa sponsa, quæ sicut luna à sole sic illa à marito recipiebat influxum.

*Diversitas Angelorum.*

Joan. 1. 6.

*Ioseph & Maria semper assistunt Deo.*

*Continuò illum laudāt.* Job. 38, 7.

Psalm. 148. 3.

18. Dicere tamen aliquis posset, S. Ioseph tantus sanctus, cur Ecclesia nullo solemni festo eum ut alios sanctos colit? fortè quis responderet Ecclesiam quoque colere particulari festo S. Michaelem & Angelum Custodem; non tamen aliquem Cherubim aut Seraphim, non quia hi minores sint, sed quia hominibus non immediatè inserviunt ut isti; sic de S. Josepho minor celebratur festivitas, non qua dignitate minor, sed quia servitio hominum non deputatus fuit. Mihi tamen potiùs videtur dicendum Ecclesiam hoc permittere, quia sanctitas ejus infinitè excedit alios. Quomodo hoc? An quia aliquis summa dignitate fulget minùs honorari debet? Si honor ille in præjudicium alicujus cederet, tunc quidem verum esset; quia non ergo defuerunt hæretici qui affirmarunt S. Josephum patrem

*Cur Ecclesia non solemnius S. Iosephum colat.*

*Ne hæreticis occasionem erroris præberet.*

trem naturalem Christi fuisse, sic Ecclesia ne illum festo celebriori colendo erroris istius majorem daret occasionem, festo minori colere instituit. Pariter, Crux Christi cultu latriæ adoratur, quia membra Salvatoris tetigit non tamen Beata Virgo Maria, quia hîc est periculum ne Dea credatur, ibi nullum tale subest periculum. His tamen temporibus in quibus ab errore illo alienati sumus; devotio S. Ioseph indies augeri conspicitur, & gloria ejus maximè dilatari, cum fructu eorum qui se illi commendant: quandoquidem Beata Virgo Theresa asserat se nullam à Deo gratiam per intercessionem S. Ioseph petiisse, quin illam obtinuerit.

IN

# IN FESTO RESVRRECTIONIS DOMINI.

## DISCVRSVS SEXTVS.

## *De Christo gloriosè Resurgente ac universali mundi lætitiâ.*

## Scopulus à mari concussus non confractus.

## *Siluerunt fluctus.*

### *SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*DE Scopulis earumq; agit proprietatibus primis 7. num.*

*Christum verè scopulum in Passione concussum & Resurrectione fulgentem ostendit. num. 8. 9. 10. 11. 12.*

*Vniversalem ab omnibus exhibitam lætitiam, 14. sequentibus demonstrat numeris.*

*Dominum Christo in omnes traditum creaturas gloriamq; quâ passione superatâ refulsit, describit. num. 27. 28. 29. 30.*

*Tandem victoriam triumphumque ejus à num. 31. ad finem usque prosequitur.*

*Ex Dei providentia terra super aquis emines.*

1. NAturæ ordo, & elementorum expostulabat qualitas, ut terra infimum tenente locum, aqua undique emineret; sed divina providente clementia (quæ in hominum utilitatem universa disponit) effectum est, ut aqua juri suo aliquantulum cedens, non solum maximam terræ partem detectam relinqueret, verum etiam mutabili vicissitudine, quasi cum ipsa ludendo terra, nunc in medio ipsius exurgeret, nunc ipsam sinu suo amplecteretur. Hinc in terra maximi apparent lacus, in mari verò insulæ fluctuant; in terra flumina, in mari peninsulæ; in terra paludes, in mari sicca terra sæpe reperitur, in terra portus, in mari promontoria; in terra putei aquatiles, in mari scopuli altissimi extant: quorum firmitatem in medio

*Terra & mare sibi invicem commixta.*

trante: fluctuare potest, maximè si in ea nullum pondus aut ædificium emineat.

*Cur aqua sub terra reperiatur.*

4. Dicet fortè quispiam, quotidianâ patere experientiâ, subtus terram effossam aquam apparere, taliterq; puteos effici? Respõdeo non ubique reperiri aquam, quæ tamen reperta, terram non sustinet, sed per varios currendo terræ meatus ad humilem aliquem deflectit locum. Sunt qui hanc particulam *super* non localiter, sed comparativè intelligi volunt, quod nimirum Deus firmiorem, & stabiliorem terram præ aquis posuerit, sed hæc interpretatio abjecta nimis esse videtur, quis enim non videt terram esse aquâ firmiorem? melius ergo respondent alii, hanc particulam *super* pro altitudine exponentes: licet enim terra juxta naturæ suæ ordinem, debeat esse aquis inferior, in hominum tamen commoditatem, illam multis locis altiorem esse, decrevit omnipotens.

*Explicatio particulæ super.*

*Super significat juxta.*

5. Sensus ergo litteralis communior est hanc particulã *super*, *juxta* significare posse, sic enim frequenter in sacra scriptura reperitur expressa: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus*: id est ad ripã fluminis, nam flumini supersedere impossibile erat; alibi quoque dicitur, *non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*: hoc est, non relinquet Dominus hæreditatem peccatoris juxta possessionem justi. Divinam ergo providentiam, his verbis psalmista celebrat, quæ talem terræ attribuit stabilitatem, ut aquis circumdata, & undique concussa, nunquam tamen absorbeatur, aut confringatur, quod in scopulis maximè verum apparet.

Psalm. 136. 1.

Psalm. 124. 3.

*Divinâ providentiâ terra super aquis manet.*

*Cur Deus scopulos in mari esse voluit.*

6. Cur quæso Deus scopulos in mari esse voluit, cùm potiùs damno, quàm utilitati servire videantur? famosus (ne dicam infamis) inter alios est scopulus ille Siciliæ, Scylla dictus, de quo hoc fertur proverbium, *Incidit in Scillam cupiens vitare Charybdim*: Charybdis enim non scopulus sed vortex, aut vorago in mari est, ad quam naves accedentes, in gyrum actæ, subitò in profundum abripiuntur undarum. Nautæ ergo Charybdim vitare cupientes, in Scillam incidunt, sicq; miserè pereunt. Quare ergo Deus scopulos in mari esse voluit? Ad reprimendam fortè aviditatem humanam, quæ terreno non contenta dominio, mari quoque cupit dominari? Aut ad hominis excolendum ingenium? vel etiam ut mundus hac varietate terræ & aquæ, pulchrior evadat? fortè in signum invictæ Dei omnipotentiæ? vel ut miseros protegerent contra piratarum insultus? aut ut naufragantium essent refugium, dum brachiorum vi littus natando attingere nequirent, magni faciunt, invenire scopulum

*Varia istius opiniones.*



pulum

pulum cui pedem figant: vel ut navigantibus essent in signum, sicuti in aperto campo turres erigi solent, aut maximi lapidum acervi extolluntur? Ad oppugnationem fortè aut monstrorum marinorum defensionem? Aut denique voluit Deus, in omnibus commoda incommodis cõmisceri; prosperos eventus & pericula, sicuti terra suos habet montes, & valles, fossas & rupes, sic mare voragines, & scopulos? Quantum ergo ad esse naturale, flocci fiunt scopuli, in esse tamen symbolico, à multis honorantur, cùm animi constantiam in adversis, & in virtute perseverantiam indicent. Vnde à multis emblematicè cum variis inscriptionibus usurpari solent prout unicuique placuerit.

*Pro varietate sunt scopuli in mari.*

*Scopuli animi constantiam indicant.*

7. Nos illum pro scopo discursus nostri assumentes, inscripsimus illi: *Siluerunt fluctus*, sumptum ex Davidico Psalmo. Vbi notandum verbum *siluerunt*, non metaphoricè solùm significare tempestatem sedatam, ac undarum impetum esse repressum: Verùm etiam scopuli fortitudine devictum. Illud enim verbum in sacra scriptura vim habet hoc exprimendi: ut patet in primo Machabæorum libro, ubi de Alexandro Macedone dicitur; *Siluit terra in conspectu ejus*, se victam videlicet ac ipsi subjectam agnovit. Habacuc similiter inquit: *Sileat à facie ejus omnis terra*: Non audeat nimirum contradicere Deo suo, sed ut Dominum benignè recipiat. Optimè ergo ad propositum Emblematis nostri facit, quòd sicut scopulus prominens in mari, ab undis undique oppugnatus, & quasi à fluctibus depressus, tempestate tamen sedata, cælo sereno, ac recedentibus undis caput efferens, candidior apparet, ac nitidior; ita ut blandiente aurâ ac sole ipsum splendentibus illustrante radiis, à piscibus undique ac cæli volucribus tamquam victori applaudentibus cingatur.

*Cur scopulum cum hoc dicto posuerimus.*
Psalm. 106. 29.

*Explicatio verbi* siluit.
1. Mach. 1. 3.
Habac. 2. 20.

8. Sic Christus Dominus licet acerbissima passionis suæ tempestate, quasi tot dolorum, ac pœnarum oppressus fuerit fluctibus, dicente ipsomet per Prophetam: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: & alibi: *omnes fluctus tuos induxisti super me*. Cumque cælum nube peccatorum nostrorum obductum paternam Dei benignitatem nobis occluserat, unde in fine exclamavit vitæ, *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me*. Venti quoque diabolicæ, & aëreæ potestatis contra Redemptorem nostrum, impiissima Iudæorum commoverant corda, ideoque illis dicebat; *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Diutiùs tamen hæc permanere non potuit tempestas: Cælestis quippe pater oblatione unigeniti placatus, malignorum spirituum depulsis tempestatibus (de quibus dictum

*Christus optimè dicitur scopulus.*
Psalm. 68. 3.
Psal. 87. 8.
*Sicut scopulus in passione concussus.*
Matth. 27. 46.
Luc. 22. 53.

Joan.12,31 dictum est, *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*) cælum redditum est serenum, & tunc fluctibus tribulationum cessantibus, Redemptor noster gloriosè resurgens clariori resplenduit luce, sicque mœsti antea Discipuli, ac animæ Sanctorum Patrum in limbo præ lætitiâ exultantes, cum cælestibus spiritibus victori triumphanti lætum canebant hymnum.

*In resurrectione splendidior evasit.*

9. Mirum fortè cuipiam videri posset, nos divinissimum illud verbum pro salute humana incarnatum, scopulo comparare, qui in mari solet esse naufragii occasio, si tamen benè inspiciamus hanc similitudinem optimè convenire reperiemus. Si enim petra est scopulus? & Petra fuit Christus, si scopulus continuis agitetur maris fluctibus, Christus in hac vita continuis oppressus fuit tribulationibus. Si solidus semper ac firmus maneat scopulus: scopulo fortior fuit Christus: si scopulus denique signum navigantium, occasio, & refugium solet esse naufragantium; de Christo Domino prædictum fuit: *Ecce positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël.* Luc.2, 24.

*Non videtur Christus dicendus scopulus?*

*Scopuli natura ipsi rectè convenit.*

10. Advertendum tamen est, duo esse scopulorum genera, alios aquis totaliter tectos, qui periculosissimi navigantibus, alios verò ex aquis undiq; prominentes, qui à navigantibus vitari possunt, in quos culpâ suâ nautæ incidũt. Secundi generis scopulus fuit Christus, cùm enim in cruce fuerit exaltatus, & infinitis miraculis à patre clarificatus, nemo ab ejus potest excusari cognitione, eiq; soli ruinã minatur vel naufragiũ, qui cæca libidine in illum impingit.

*Duo sunt scopulorum genera.*

*Qualis Christus scopulus.*

11. Denique quòd Resurrectio Christi benè figuretur in scopulo extra aquas posito; colligitur ex illis Salvatoris verbis ad filios Zebedæi, quorum respondens petitioni ait: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo quo ego baptizor baptizari?* Marc. 10, 38. Cur quæso passionem suam baptismum vocat? Tanta passio, tam atrocia tormenta, mors denique acerbissima, simplex fortè ipsi ablutio fuit? Possem dicere tam ardentem ejus fuisse amorem, tam immensum pro nobis patiendi desiderium, ut suavi metaphora ac dulci sermone acerbissimam suam explicaret passionem; ipse enim calicem eam appellat, quam psalmista impetuosum vocat torrentem: *de torrente in via bibet.* Psal.109.7. Spontaneũ vocat progressum; (*Ego vado*) cum Propheta dixerit: *sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Isaiæ.53.7. Baptismum illam nominat, cùm tamen Propheta dicat: *Veni in altitudinem maris, & tẽpestas demersit me.* Psal.68.3.

*Resurrectio in scopulo benè figurata.*

*Passio Christi baptismus dicitur.*

12. Potuit etiam prædictis uti metaphoris ut ardens indicaret desiderium patiendi pro nobis: sicut enim qui in ferventi æstatis calore, ingenti opprimitur siti,

*Cur dicatur baptismus.*

non interiores solùm partes haustu frigido, verùm etiam externas lotione aquæ aut immersione refrigerat. Pari modo Salvator noster cùm tam ardenti stimularetur patiendi desiderio, non contentus interiùs pati extremos dolores voluit exteriùs quoque pœnis & calamitatibus affligi; sicque illos calicis expressit nomine, quia viscera penetrabant, hos verò baptismi appellavit vocabulo, quia exterius totum perfundebant corpus. Abundantiam quoque respicere potuit sanguinis, quem è toto effundere debebat corpore; aut universitatem attendere dolorum, quos per omnia membra in passione sustinere debebat: sicut enim qui corpus lavat integrum, omnia lavet membra necesse est, sic in passione sua Christus omnia doloribus repleta habuit membra. Hęc quidem omnia Christi Passioni applicari possent, nisi magis proposito nostro inserviret S. Ioannes Chrysost. qui illa resurgēdi facilitati applicare videtur dum dicit: *Qui baptizantur ex aqua multa cum facilitate ascendunt, ab aquarum naturâ nihil impediti, sic & ille cùm in mortem descendisset multa cum facilitate ascendit.*

*Vt indicetur ardens patiendi desiderium.*

*Resurrectio potiùs baptismus dicendus.*

Chrysost. serm. de petitione filior. Zebedæi.

13. Sicut denique optata serenitas, placida maris quies, & ventorum cessatio, signum est scopulos ab undis coopertos, subito navigantium exhibendos conspectui, quibus visis summâ perfunduntur lætitiâ: sic resurgente Christo in gloriâ ac æterno patre vultu sereno apparente divinæ cessant justitiæ fluctus, turbo confringitur infernalium ventorum, & omnes meritò creaturæ, cum Ecclesiâ Catholicâ lætantes concinunt: *Hæc est dies quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea.* Sed cur hunc diem Propheta à Domino factum asserit. Nunquid omnes fecit qui dixit: *Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem?* Non fuit iste motu causatus solis ut cæteri, cùm sine ipso factum sit nihil? His tamen non obstantibus, credendum est non vacare mysterio, hunc diem particulariter dici factum à Domino, quare præ reliquis privilegio gaudet.

*Christo resurgente omnia placata sunt.*

Psal. 117. 24.

*Cur hæc dies à Domino factus dicitur.*

Psal. 73. 16.

14. In mundi creatione rem non modica admiratione dignam reperio; cùm enim cuncta à Domino facta dicantur, de solo die (quasi à seipso natus esset) dicitur; *Factum est vespere & mane dies unus?* Quid hoc sibi vult? nónne etiam ipse à Deo factus? de toto id affirmare nequeo, cùm enim ibi fiat mentio diei naturalis ex luce & tenebris compositi, ideoque dictum sit, *factum est vespere, & mane dies unus:* Tenebræ autem cùm meræ sint privationes, non est harum auctor Deus, unde bene legimus, *fiat lux*, sed nunquam *fiant tenebræ*: de quibus ante mundi creationem dicitur; *Tenebræ autem erant super faciem abyssi.*

*Cur alii dies non dicantur à Deo facti.*

Genes. 1. 5.

*Deus non creavit tenebras.*

Genes. 1. 3.

*abyssi.* Cùm igitur omnes isti dies ex luce & tenebris dicuntur compositi, ut de primo dicitur die; Istorum meritò non dicitur factor Deus, sicque consequenter dicendo: *Hæc est dies quam fecit Dominus*, affirmare possumus hunc diem tenebris, & nocte caruisse totumque fuisse lucidum, quod acutè solitâ suâ eloquentiâ in hæc verba, *vespere autem Sabbathi quæ lucescit in prima Sabbati* explicat S. Petrus Chrysologus: *Hoc nescit dies sæculi, hoc non habet mundi usus, vesper finit, non inchoat diem, tenebrescit vesper, non lucescit, non in auroram vertitur, quia lucis ignorat ortum: vespera mater noctis parturit diem, mutat ordinem, dum agnoscit auctorem.* Ergo juxta ejus mentem hic dies nocte caruit, non enim dies fuit sæculi, non dies ordinarius, sed dies qui cognovit auctorem suum, ideoque meritò dicitur, *Hæc est dies quam fecit Dominus.*

*Dies resurrectionis caruit tenebris.* Matt. 28. 1. Chrysol. serm. 74. *Cur hoc?*

15 S. Mater Ecclesia, multos in anno festivos celebrat dies quibus Salvatoris recolit mysteria, Nativitatem, Circumcisionem, Epiphaniam, Ascensionem & alios, in quibus licet maxima resplendeat lætitia, & lux oculos irradiet, semper tamen aliquid mixtum est doloris, & tenebrarum. In Nativitate tenellus infans frigus, nuditatem, paupertatem perpetitur: In Circumcisione fundit Sanguinem & lacrymatur: In Epiphaniâ turbatur Herodes natumque persequitur: In Ascensione Apostoli remanent orphani, mœrore confecti carentes consolatore: hic verò totus lætus, totus festivus est dies, absque dolore, & tenebris, unde meritò de ipso non de alio dicitur; *Hæc est dies quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in eâ.* Non solùm in homines hæc lætitia diffunditur. Sed & in creaturas omnes Deo non rebelles, quæ in cælo sunt, vel in abysso. Cujus tanti gaudii ratio facilè reddi potest, si hujus & aliorum dierum attendatur creatio: cùm enim cæteros dies sol efficiat motu suo ab oriente in occidentem; ad cælum tamen empyreum, aut infernales cavernas lumen suum extendere non potest: hic autem dies cùm propriè sit à Deo cuncta conspiciente formatus, in omnes etiam creaturas lucem suam pariterque lætitiam potest diffundere.

*Reliqua festa dolore sunt mixta.* *Hoc festum solum est gaudij.* Psalm. 117. 24. *Omnibus nunc lætandum.* *Dies hæc omnibus illuxit creaturis.*

16. Exordiamur ergo hanc enarrare lætitiam à supremis illis spiritibus cæli incolis, nullus enim in dubium revocare potest, quin summa eorum fuerit exultatio. Cùm læti in natali Domini intonuerint, *Gloria in altissimis Deo, &c.* Sed aliter in Resurrectione (quæ nova, & gloriosa Nativitas dici potest) exultantes canebant: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* Quod Sanctus Paulus ab æterno Patre de hoc die dictum affirmat. Resurrectionem quippe

*Angeli maximè exultarunt.* Luc. 2. 14. Ad Hebr. 1. 5. *Resurrectio Christi nova nativitas.*

ejus novam fuisse nativitatem, exinde probare possumus, quòd omnia quæ in nativitate contingunt, Resurrectioni attribuere possimus. Si enim ventrem desideres, in quo natus esse dicatur, ecce sepulchrum ejus gloriosum, de quo ipsemet loquens ait: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ*: Sicut etiam sanctissima mater ejus Maria, Virgo fuit ante partum, in partu, & post partum, sic ejus sepulchrum Virgo quodammodo semper fuit: ait quippe S. Lucas: *Posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat*, in Resurrectione mansit virgo, quia clauso exiit sepulchro, post Resurrectionem quoque permansit; quia S. Hieronymo teste; *Nec antea quis, nec postea positus est.* Nec defuit in hac nativitate matris terræ commotio, quia *terræ motus factus est magnus*: Non defuit miraculum, ut sine dolore Virgo pareret, venit quippe *solutis doloribus inferni*, non defuit qui puerum è terra levaret, *Deus enim exaltavit illum*, nec qui infanti nomen imponeret, quia *dedit ei nomen quod est super omne nomen*, non defuere fasciæ quibus stringeretur, *amictus* quippe *lumine sicut vestimento*, non cibus ætati conveniens, sicut enim Propheta Isaias de alia prædixit nativitate, *butyrum, & mel comedet*, sic Christus post Resurrectionem suam favum comedit mellis, cum Discipulis, quod eum antea numquam fecisse legimus: sicut denique in ventre matris infans vitam acquirit, & postea nascitur, ita novam in sepulchro Christus acquisivit vitam, & denuò natus fuit: quod egregiè S. Petrus Chrysologus prosequitur dicens: *Mortem non mortuum devoravit hoc sepulchrum, domus mortis mansio fit vitalis, uteri nova forma mortuum concipit, parit vivum.*

Math. 12. 40.

*Omnia quæ in nativitate requiruntur, in resurrectione sunt.*

Luc. 23. 53.

S. Hieron. Epist. adv. Jovinian.

Math. 28. 2.

Act. 2. 24.

Ad Philip. 2. 9.

Psalm. 103. 2.

Isaiæ 7. 15.

*Christus ex sepulchro denuò natus.*

S. Petrus Chrysol. serm. 74.

17. Nec vivum solummodo reddidit, sed gloriosum, & immortalem, unde S. Augustinus hanc nativitatem sepulchri, nativitati ex utero præferens ait: *materno de utero homo erit mortalis, de sepulchro immortalis, gloriosior est ista quàm illa nativitas, illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale; post illam nativitatem ad inferos descendit, post hanc remeavit ad cælos*: similiter S. Petrus Chrysologus: *Si divinum est*, ait *quod ex Virgine nascitur Christus: quantò divinius, quod à mortuis resurgat.* Si denique prima nativitate singularis fuit lætitia, & undique terra commota, in hac etiam maximum fuit gaudium, & totius orbis exultatio, cucurrerunt Apostoli, & Mariæ summo diluculo videre sepulchrum.

*Resurrectio nativitate gloriosior.*

S. Aug. sermon. 133. de temp.

Chrysol. serm. 74.

18. Lætitiam hanc, egregiâ generosi militis explicemus comparatione; etenim cùm dux quidam locum intrat certaminis ut cum hoste solus de victoriâ certet: plurimi

*Comparatio militis gloriosè de prælio revertentis.*

plurimi generosi milites ipsum comitari solent; sonitusque buccinarum ac tympanorum longissimè personat; si verò victoriâ adeptâ gloriosè revertatur, quis nescit majorem omnium fore lætitiam, hilarioremque omnium occursum ipsum honorificè excipientium, ac singulari gaudio festivas ad cælum exultantium voces. Eandem mihi videtur inter natalem Domini, & Resurrectionem fuisse differentiam. In nativitate mundum intravit cum diabolo præliaturus, mortali indutus carne, magna Angelorum exultantium comitante caterva, ut S. Lucas testatur: *Facta est cum Angelo multitudo cælestis exercitus cantantium, & laudantium Deum.* In Resurrectione autem cùm gloriosè de morte, peccato, & diabolo triumphavit, non multitudo solùm Angelorum, sed omnes quotquot erant cùm SS. Patribus in limbo summâ lætitiâ illi obviam processerunt: ut bene S. Paulus advertit dicens: *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit:* notate quid sibi velit, *iterum*, cùm scilicet secundò Christus est introductus, quod esse debuit in Resurrectione, tunc enim dicit: *Adorent eum omnes Angeli ejus*; In nativitate multitudo solùm advenerat Angelorum, hîc autem omnes venire coguntur, nullius recipitur excusatio, universalis fit omnium applausus, ut gloriosissimè triumphantem excipiant.

*Christus gloriosior victoriâ adeptâ.*

Lucæ 2.13.

*In Resurrectione omnes Sancti Christo obviam facti.*

Ad Hebr. 1.6.

Ad Heb. 1.7.

19. Hanc Angelorum lætitiam pulchrè admodum in S. Mariâ Magdalenâ considerare possumus, dum enim illa Angelos sepulchro astantes alloqueretur, retrospiciens (ut S. inquit Ioannes) vidit Christum gloriosè sibi apparentem, licet eum non cognoverit. Quare autem mulier optimis ornata moribus, Angelos reverenter alloquens, subitò se vertit quasi nihili illos faciat? Argutè ad hoc respondet Sanctus Ioannes Chrysostomus, cùm enim Christus appareret, talem ei Angeli exhibuere reverentiam, ut meritò Magdalena respexerit, videre cupiens eum cui tantus ab Angelis honor deferebatur: unde illum Dominum appellans ait: *Domine si tu sustulisti eum dicito mihi.*

*Cur Maria Magdalena Angelis loquens se verterit?*

Ioan. 20. 12.

Ioan. 20. 15.

20. Prosequamur Angelorum lætitiam: Res non modicâ admiratione digna videtur, quod Evangelista Angelos sedentes, non potiùs succinctos, vel ambulantes (ut in lege veteri) retulerit? hoc fortè modo exprimere voluit, in lege veteri iter ad cælum fuisse difficillimum, ideoque oportuisse Angelos continuò peregrinari, ut homines ad cælum ascenderent: Nunc verò adeò facilem redditam esse viam, sicque confractos diaboli vires, ut quiescendo, ac sedendo omnia sua peragere possint, nec tantâ opus sit illorum diligentiâ vel ut doceret

*Cur Angeli in sepulchro sedeant.*

doceret illos antiquitùs noluisse cum hominibus agere, utpotè multò ipsis inferioribus, modo verò cùm homo illorum declaratus sit Rex, libenter cum ipso & familiariter conversantur, idcirco sedentes apparent? Hanc Angelorum liberam cum hominibus communicationem, S. Athanasius inter fructus crucis enumerat, *Crux*, inquit, *Angelos hominibus consociavit & interpres conciliatrixq; eorum amicitiæ fuit*. S. quoque Petrus Chrysol. ejusdem sententiæ fuisse videtur, dum ait: *Resurgente Christo pereunte morte, terrenis redditur cæleste commercium, & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale concilium, cum Angelo colloquium fit vitale*. Aliam quoque ipse reddidit rationem, cur Angelus sederet: *Angelo* (inquit) *quæ causa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo? sed sedebat ut fidei doctor, ut resurrectionis magister, sedebat supra petram, ut soliditas sedis, daret credentibus firmitatem*.

*Angeli post resurrectionem hominum socii.*

S. Athan. in orat. de Paschat. & cruce.

Chrysol. serm. 74.

21. Angelorum lætitiæ succedat Apostolorum gaudium, quod tantum fuit, ut omnes videretur excedere limites. Vnde enim credetis natam fuisse difficultatem credendi Christi resurrectionem? Ab infidelitate? Minimè, sed ex abundanti ut arbitror gaudio; sicut enim mater quæ dudum mortuum planxit filium, dum repentè illi obviam prodit sanus, & incolumis, tanto perfunditur gaudio, ut quem videt, sibi præsentem esse imaginari nequeat. Cur ita accidit? ne excessiva lætitia obruta (ut multis evenit) vitam cum morte commutet. Pari modo Apostolis accidit, dum illis resuscitatus apparuit Christus, nimiâ quippè lætitiâ affecti, non subitò credere vel exultare sunt ausi. Ideò S. Lucas ait; *Adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio*: Ecce admirationis effectum.

*Gaudium Apostolorum maximum.*

*Cur Apostoli post resurrectionem increduli.*

*Quia præ gaudio dubitarunt.*

Luc. 24. 41.

22. Denique ut uno verbo dicam, omnes (ut arbitror) creaturæ hujus fuere participes lætitiæ. Hodie cælum deductis nubibus, plus solito resplenduit, depositaq; lugubri veste quâ hoc triduo se obtexerat dum *tenebræ factæ sunt super universam terram*: Cærulæis auro intextis se pannis cooperuit. Hodie plus solito Mare quiescens, dum crispantibus undis teneras amplectitur arenas, placido susurro lætitiæ edebat sonos. Hodie plus solito leviter decurrerunt flumina, & argenteis aquis soli aureas exhibentes arenas, quasi in speculo lucidissimè fulserunt. Hodie plus solito aër sereno resplendens vultu, ac suavi abundans fragrantiâ, admirabili omnes cum haurientes replebat lætitiâ. Hodie plus solito modulabantur volucres, gratiori spirabant herbæ odore, alacriori animalia se agitabant cursu, lætaque ridebant prata virentia. Hodie plùs solito dulci agitatæ zephyro frondosas quatiebant

*Lætitia omnium creaturarum.*

Matth. 27. 45.

*Suo modo singula lætantur.*

bant arbores comas, & sonoris foliorum linguis internum gestiebant edere jubilum.

*Qualiter sol lætitiam exhibuerit.* 23. Sed quid de nobili illo cælestis Regionis Principe, Oculo mundi dextro, Dei in naturalibus vicario, universi luminis fonte, sole, inquam proferam? Non videris illum hodie majori coruscasse splendore auricomis circumamictum radiis ut Regalem sponsum, cunctis suum exhibuisse fulgorem? Hodie nox ipsa communis lætitiæ avida, dum nil præter tenebras se possidere videt, ut splendidiori luce hunc diem nocte carentem, illustrare posset, quæ tribus præteritis diebus communem testata mœstitiam, diei mutuas tradiderat tenebras; modò ab eo vicem sibi rependi postulat, luceque ejus vestiri cupit, ut solitâ eloquentiâ S. Petrus Chrysologus inquit: *Qui propter horam ut Domino compateretur abscesserat, claritate cùm resurgeret Dominus, ante tempus occurrit; & qui ut suo commoreretur auctori, ipsam meridianam suam claritatem mortificaverat ut resurgeret auctori suo, evictis tenebris antelucanis erupit, & qui ante noctem prævenit fugaturus, ut reddat luci nox horas quas terror Dominicæ passionis invaserat.*

*Quam exhibuerit nox lætitiam?*

*Nox solis luce illustrata.* S. Chrysol. serm. 82.

*Terra exultatio.* 24. Si denique in hoc communi jubilo de alicujus dubitari poterat lætitia, de hoc infimo & omnium gravissimo terræ elemento dubitari potuisset, quæ anteà nimium ditata & exaltata, pretiosum in se concludens thesaurum (sacrum videlicet Dominicum corpus) nunc subitò illo remanserat spoliata. Sed huic occurrit dubio Evangelista Matthæus, qui de terrâ loquens ait: *Et ecce terræ motus factus est magnus,* Matt. 28. 2. quasi terra exultando præ lætitiâ, commune bonum suo proprio prætulisset. Dies ergo hæc est solemnior cunctis diebus, dies gaudii, dies lætitiæ cũctis creaturis cælestibus & terrestribus, visibilibus & invisibilibus, Angelicis & humanis; aliis quippè diebus dum cælum ridet, terra dolet propter commissa in creatorem scelera; at hodie, dies lætitiæ est cælo, & terræ, dies exultationis, dies convivii cunctis creaturis, unde meritò canit Ecclesia; *In resurrectione tuâ Christe cæli & terra lætantur.*

*Dies hæc solemnior cunctis.*

*Mulierum unguenta symbolum lætitiæ.* 25. Hujus lætitiæ symbolum, mulierum fuerunt unguenta, juxta illud propheticum dictum, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ:* Psal. 44. 8. Notandum autem hîc est mulieres hæc non emisse unguenta, ut seipsas ungerent, sed ut ungerent Iesum; *Mulieres emerunt aromata ut venientes ungerent Iesum;* Marc. 16. 1. Lætari debemus, non quòd quadragesimalia expleta sint jejunia, hoc enim esset seipsum ungere; sed quia Christus gloriosè de suis triumphavit inimicis, sicque cum mulieribus Christum ungere poterimus. Quis enim non

*Qualis debeat esse nostra lætitia.*

non consideret quàm ingens nobis lætitiæ pateat campus? Etenim si de gloria loquamur, quæ in essentiæ divinæ consistit contemplatione, illa numquam à primo conceptionis instanti Salvatoris animæ defuit, quin-imò tanta fuit, ut augeri nequiverit: licet extensivè quoad corporis passiones (dolorem nimirum, & tristitiam jam superatam) augeri potuerit. Quantum verò ad gloriam accidentalem cordis, & animæ Christi attinet, illam vel ex eo colligere poterimus, quòd voluntatem adimpleverit Patris opus Redemptionis perficiendo, portas aperiendo Paradisi, mortem devincendo, infernum subjugando, animas Sanctorum Patrum è limbo liberando, prophetias omnes adimplendo, ac denique universum mundum suo subjiciendo dominio.

*Christus ab initio semper beatus.*

*Gloria ejus accidentalis*

26. Tanta profectò cordis Christi lætitia erat, ut vix eam capiens foras eruperit, ut amicis suis illam communicaret. Quàm diligentis pastoris parabolâ, ovem unam perditam magnâ requirentis diligentiâ, sufficienter expressit. Quis enim nesciat Christum Dominum bonum hunc esse pastorem, hominemq; perditam ovem, quam tantis tormẽtis ac doloribus quæsivit, invẽtamq; maximo jubilo in Resurrectione ad caulam reduxit. Fuit verò adeò nobili hic pastor præditus animo, ut in pœnis nullum assumẽs socium, solus omnia pertulerit, ove autem perditâ recuperatâ: amicis hanc cõmunicare voluit lætitiam, *Congratulamini mihi, quia inveni ovem quam perdideram.* Sed cur renuit in dolore non in justitiâ consortium? ut se fidelem demonstraret amicum, qui afflictiones sibi reservans, lætitiam cum aliis dispensat? Bene quidem, sed meliùs, ni fallor, hoc modo dicemus, communicare amicis animi affectiones nihil aliud est quàm opem efflagitare ut pondus illarum sustinere possimus; dum enim quis gravi oppressus pondere ab alio adjuvatur, alleviari se sentit; sic dum amicis cõmunicas dolores leviores & tolerabiliores reddis. Christus ergo in doloribus gravissimis, neminem voluit adjutorem, lætitiæ autem tantus fuit excessus, tanta gaudiorum copia, ut illam solus ferre non sustinens, amicos in auxiliũ vocare debuerit dicens: *Congaudete mecũ, & congratulamini*, quasi diceret, venite, accipite partem gaudii mei, hoc me exonerate pondere.

*Maxima cordis Christi lætitia.*

*Probatur simili. udine boni Pastoris.*

*In pœnis nullum voluit socium, sed in gaudio.*

Luc. 15. 6.

*Communicare animi affectus, est petere subsidium.*

*Abundantia gaudii Christi.*

27. Tanto usque nunc considerato gaudio, dominium ejus in universam terram inspiciamus, non enim sine mysterio Evangelista dixit: mulieres vidisse sublatum lapidem; ad quem, putatis finem? ut Salvatorem jam surrexisse cognoscerent, sepulchrum reperientes vacuum? Bene quidem; sed aliter dicamus, hoc

*Cur mulieres viderunt revolutum lapidem.*

hoc factum fuisse, ut demonstraretur nullo termino ejus concludendum imperium. Antiquitùs si quidem moris erat, & hodie in multis usurpatur locis, ut possessionum confinia prægrandibus distinguantur lapidibus, cùm autem unius efficiebatur possessio, lapides tollebātur. Ante Christi Resurrectionem, divisum videbatur mundi imperium, solaque Iudæorum terra Christo videbatur subjici, reliquam verò mundi partem diabolus, & mors sibi falsò usurpabant proindè termini erant constituti. Postquam verò Christus resurrexit, sublatus est lapis ille, termini dilatati sunt, ita ut veraciter dicere potuerit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*

*Christus post resurrectionem omnium effectus Dominus.*

Matt. 28. 18.

18. Dicet fortè quispiam, nónne Christus ante Resurrectionem universale habuit dominium? Non diffiteor, sed certo modo videbatur impeditum; exemplis reserit clarior; Nobilis quidam innumeras possidens divitias, multis gravatur debitis, quare creditores ut citiùs solutionem recipiant, intercipiūt redditus, donec omnibus exoneratus, liberas terras recipiat. Sic Christus rerum omnium abundantissimus, se debitorem pro nobis constituerat, grave assumpserat peccatorum pondus; ideoque ut tantis satisfaceret debitis, multis fuit spoliatus divitiis: gloriâ videlicet corporis, & gaudio accidentali quod anima inde capere deberet. Sed cùm

*Ante resurrectionem restrictum erat ejus Dominium.*

*Post satisfactionem passionis ei redditum.*

in passione sua omnibus satisfecisset, statim omnia ei sunt reddita, unde meritò dicere potuit patri; *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, hæreditatē vocat, quia ipsam jure hęreditario possidebat. Psal. 15. 5.

29. Nec vacat mysterio, quod alius Evangelista ait: *Viderunt revolutum lapidem*, cur enim Angelum lapidem revoluisse, Evangelista referret, nisi mysterium aliquod subesse videretur? fuit ergo revolutus lapis, quia Christus Dominus qui vera est petra, per passionem ab uno transivit in aliud extremum. De hac mysticâ petrâ ait Zacharias; *Super lapidem istum septem sunt oculi*: in quo septem adumbratæ sunt excellentiæ, quas Christus Dominus in sua habuit Resurrectione, oppositæ septem angustiis passionis ejus. In passione corpus ipsius plenum fuit doloribus, *desideravimus eum virum dolorum*, sed in Resurrectione gloriosum & impassibile, in passione anima repleta est tristitiâ, *tristis est anima mea usque ad mortem*, in Resurrectione superabundavit lætitiâ & gaudio; In Passione fuit ab omnibus contemptus, *tamquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me*, in Resurrectione sua exaltatum est nomen ejus, quia *dedit illi* Deus *nomen super omne nomen, &c.* In Passione maximè humiliatus fuit, *desideravimus illum novissimum virorum*, in Resurrectione, *exaltavit illum Deus super omnes principatus, & potestates*: in Pas-

Marc. 16. 4.

*Revolutio lapidis sepulchri absolutum indicat dominium.*

Zach. 3. 9.

Isaiæ 13. 2.

*Septem passionis angustiæ opposita septem excellentiis resurrectionis.*

Marc. 14. 34.

Matth. 26. 55.

Ad Philip. 2. 9.

Isaiæ. 53. 3.

Passione ut reus injustè fuit punitus, *& cum iniquis reputatus est*, in Resurrectione, *constitutus est judex vivorum & mortuorum*: In Passione omnibus spoliatus fuit bonis, *diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, in Resurrectione factus est Dominus omnium, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: In Passione Christus apparuit difformis ut leprosus, *non est species ei, neque decor*, in Resurrectione non solùm proprium retinuit decorem, verùm etiam supernaturalis adjuncta est gloria corporis, ad quam videtur respexisse Regius Propheta dicens: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua intende prosperè procede & regna.*

Isaiæ 53. 12. Marc. 15. 28. Matt. 27. 59. Matth. 28. 18. Isaiæ 53. 2. *Christus resurgens novum acquisivit splendorem.* Psal. 44. 4.

30. Christus mortali indutus carne, dici potest cum suis inimicis pugnasse non evaginato gladio sed in vagina posito quasi ludendo non impugnando; In morte verò gladium è vagina educens animam à corpore divisit, ac inimicos interemit: in Resurrectione tamen iterum vaginæ imposuit, numquam educendum, quo monstravit se non ampliùs ferro aut viribus, sed amore ac benevolentiâ mundum superaturum. Ad quod alludens Propheta inquit: *Dominus regnavit decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se*: Non solùm dicere voluit, indutum pulchritudine, & fortitudine, verùm etiam gladio præcinctum fuisse. Cùm vestem statim deponendam assumimus, eam non præcingimus nec corpori aptamus, dum autem illam diu gestare volumus aptè componimus. Eodem modo (ut mihi videtur) dicere voluit Propheta Christum in Nativitate indutum splendore, sed non præcinctum, quia in morte vestem illam depositurus erat, in Resurrectione tamen præcinxit se, nolens eam ampliùs dimittere. Quod benè expressit S. Epiphanius inquiens: *Quemadmodum enim is qui super lumbos præcinctus est, adstringit indumentum ad lumbos, superfluam speciem formans, sic primum decorem propter indumentum in carne, deinde fortitudinem induit, ubi resurrexit ex mortuis non ampliùs ad passionem humanitas ejus venit.*

*Christus ante resurrectionem fictè cum inimicis pugnabat.* *Post resurrectionem amore eos divicit.* Psal. 92. 1. *Similitudo vestis leviter assumpta.* Epiphan. lib. contra hæreses.

31. Scopulum unde digressi sumus repetamus; refert Ioannes Leo in Africæ descriptione, in littore maris Oceani juxta civitatem Messam non raró balenas reperiri mortuas, quod habitatores loci templo cuidam tribuunt, in honorem Ionæ Prophetæ (qui in isto littore à Balena evomitus dicitur) ædificato, quotiescúmque enim Balena illud pertransit littus emoritur. Cujus rei causam Iudæus Ioanni Leoni aperuit dicens, in mari duobus à littore milliaribus scopulos esse acutissimos, quos contingẽtes Balenæ tempestate exorta confringuntur, ac in littore mortuæ ejiciuntur. Eodem

Ioannes Leo in descriptione Africæ. *Balenæ à scopulis occiduntur.*

modo

modo diabolo, & morti accidit, dum enim Salvatorem nostrum in turbulento passionis mari superare tentant, non solùm superantur, sed confractis viribus, omnique amissâ dominandi potestate, triumphatori cedere coguntur. Pulchrè illum Habacuc exhibet triumphum. *Operuit* (inquit) *cælos gloriâ ejus, & laudis ejus plena est terra, ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.* Quare mors, & diabolus Christum præcedunt. An honorationes ipso sunt? minimè, sed præeunt more antiquorum triumphantium, qui devictos præire compellebant. Aliud tamen hîc occurrit dubium, cur Christus illos devictos non subitò occiderit, mundum ab eorum tyrannide liberans? Ad quod respondeo, antiqui devictos hostes interimere solùm peracto triumpho consueverunt. Ita Salvator noster non subitò diabolum & mortem interemit, sed ad diem judicii de eis triumphans reservat, tunc quippe *præcipitabit Dominus mortem in sempiternum, & diabolus mittetur in stagnum ignis.*

*Mors & diabolus à Christo occisi.*

Habac. 3. 4.

*Cur mors & diabolus Christum præcedant.*

*Hostes suos in triumphum adducit.*

Isaiæ. 25. 8. Apoc. 20. 8.

32. Si ergo mors & diabolus fuerint, à Christo triumphante devicti, quare eos metuimus? Benè inquis, si Christum semper in humilitate sequaris, ipsiusque vestigiis inhærere desideres, nihil tibi timendum, quia Christus te ab eis proteget; si autem superbiâ elatus illum præcedere tentes verendum est ne à morte, & diabolo quibus jam appropinquare ausus es, devoreris. Hujus rei pulcherrimũ in S. Petro reperies exemplũ, dixerat ei Christus *sequere me*, ille præceptum magistri mente non retinẽs ut generosus miles Christum præcedere gestiens; *Si*, inquit, *oportuerit me mori tecum non te negabo*, at miser serò fragilitatem agnoscens, in manus incidit diaboli, ab illoque victus, & occisus fuit; ter quippe magistrum (quem tanto amore dilexerat, & tanto honore confessus fuerat) turpissimè negavit. Idcircò post Resurrectionem Christus ei denuò injunxit, *sequere me significans qua morte clarificaturus esset Deum*, quasi diceret, cave ne ultra mihi præeas, non enim tempus est pro me modò moriendi, sed illud obtinebis humilitate sequens; quamdiu enim ego diabolum & mortem ante me devinctos teneo, tibi nocere nequeunt, si me sequaris.

*Si Christum sequamur diabolus non est timendus.*

*Si Christũ præcedamus diabolus timendus.*

Matt. 26. 35

*Cur Petrus Christum negavit.*

Ioan. 21. 19.

33. In pugna Salvatoris cum diabolo, & morte idem quod Apibus accidit, evenit: quæ licet parvo corpore sint præditæ, suâ tamen feritate, & superbiâ, non carent; aculeo quippe à naturâ sibi concesso, utuntur modò, quasi proboscide, ut succum è floribus extrahant, modò ut tubâ timorem incutientes, clangorem edant, modò ut gladio se contra inimicos tueantur. Sed quali credis eas in prælio procedere feritate?

*Apes diminutivum landunt moriuntur.*



Digitized by Google

ritate? si corpus mortuum suo pungant aculeo, illud facilè pungunt, si autem vivo infigunt corpori, ac aculeum, eum cum vita amittunt. Ita mors fera, admodum & superba esse solebat, nemini parcebat, cunctis terrorem incutiebat, nullus acutissimum ejus aculeum evadere poterat, cùm enim humanum genus mortifera infectum erat peste, omnes promiscuè feriendo, numquam perdebat vigorem; at Christum aggredi ausa, carnem repetiens vivam, subitò aculeum perdidit, gloriamq; tantis antea adeptam victoriis in momento amisit. Quare S. Paulus non solùm ipsam non timuit; verùm etiam quasi deridendo allocutus est, *Ubi est mors stimulus tuus, ubi est mors victoria tua? absorpta est mors in victoria*; vincere sperans devicta es, omnibusque spoliata armis in perpetuam es redacta captivitatem.

*Mors superbissima ante Christum.*

*Diabolus Christum aggrediens superatus est.*

1. Corinth. 15. 55.

34. Mortem igitur & infernum Christus superavit, & nisi à nobis os eorum denuò aperiatur, perpetuò clausum manebit. Non aliter modò quam olim Romanis accidit, dum enim in almæ urbis medio quidam ingens pateret terræ hiatus tantæ profunditatis, ut meritò os inferni credi potuisset, nec umquam immensæ quantitatis injectâ terrâ ullum dedisset saturitatis vestigium, ut toti civitati portendere videretur exitium; nobilis quidam adolescens Curtius nomine, vitam mortalem cum immortali fama cupiens commutare patriæque amorem vitæ propriæ præferens, equum conscendit vanæ gloriæ stimulis agitatus, seq; in illum præcipitem dedit, unde diabolus adeò nobili cibo satiatus, vastissimum illud os ita occlusit, ut nullum ejus remaneret vestigium. Sic antequam Christus morte suâ nos redimeret, qualiter infernus os suum dilataverat? videbatur totus mundus ab eo degluttiendus, & licet quotidie tot recipiebat animarum millia, nullum tamen umquam signum saturitatis dabat; ideoque Isaias stupendo clamabat; *propterea dilatavit infernus animam suam; & aperuit os suum absque ullo termino, & descendent fortes, & sublimes, gloriosiq; ejus ad eum*. Non poterat hoc clariùs exprimi. Ita dominium infernus dilataverat ante Christi adventum ut omnis generis homines quantumvis sublimes, & excelsos nemini parcens susciperet. Christus ergo ut huic malo mederetur, non stimulatus ambitione gloriæ, sed incensus amore, seipsum in illam præcipitavit voraginem, *descendit ad inferos*: taliterq; inferni os conclusit, ut secum etiam claves abstulerit portarum: Id pulchrè nobis insinuat S. Ioannes Evangelista qui de Christo loquens inquit: *fui mortuus, & ecce sum vivens, & habeo claves mortis & inferni*: mortem & infernum, devictos ne timeas in signum victoriæ mecum attuli

*Mors & diabolus à Christo planè subjugati.*

*Sicut Curtius Romam liberavit.*

*Sic Christus mundum.*

Isaiæ 5. 14.

*Christus infernum penitus clausit.*

attuli claves portarum, ita ut nemini nisi me permittente pateat accessus.

*Mors & infernus meritò devictus.*

35. Merito ergo (inquit S. Petrus Chrysologus) infernus sua auctoritate spoliatus fuit, quam contra dominum & judicem suum usurpare volebat; *Adducitur* (ait) *mors quæ in reos tendens incurrit in judicem, dominata servis, exarsit in dominum, sæviens in homines prosilivit in Deum, meritò ergo perit lex tartari, remota sunt inferni jura, potestas mortis ablata est.* Maxima proinde se offert occasio gaudii, tam propter gloriosam Christi Domini Resurrectionem, quàm propter victoriam de inimicis reportatam; ita ut non solùm propter ejus amorem, verùm etiam propter utilitatem nostram exultare possimus. Nostræ siquidem resurrectionis, & à peccatis resuscitationis, ipsius resurrectio causa fuit & exemplar, nobisque vires pro superandis hostibus addidit. Lætemur igitur hodie cum Redemptore nostro, ipsiusque gloriosam imitari studeamus Resurrectionem, exuamus vitiosos affectus inimicisque devictis strenuè resistamus, nec patiamur nos ab illis subjugari, quos Christus sua virtute prostravit aliquando cum ipso gloriosè triumphaturi.

*Gaudendum est omnibus hodie.*

IN

# IN FESTO
# S. MARCI EVANGELISTÆ.
## DISCURSUS SEPTIMUS.
### De insigni pietate & virtutibus ejusdem.
### Hortus amœnus pluviâ irrigatus.
*Germinans germinabit.*

SUMMARIUM DISCURSUS.

*Varios refert hortos eorumq; delicias, primis 9. num.*

*Ægyptum à S. Marco cælesti irrigatam doctrinâ describit. num. 10. 11.*

*Fidelem S. Petri interpretem ostendit, num. 12. 13. 14.*

*Miracula passionemq; ejus enarrat num. 15. 16. 17. 18. 19.*

*Cur S. Marco Leo tribuatur. num. 20. 21. 22.*

*Aquilæ, & homini assimulatus. n. 23. 24. 25. 26.*

*Ut hortus floribus, sic virtutibus ornatus. num. 27. 28. 29. 30. 31. 32.*

*Fervorem zelus ipsius explicat num. 33. 34.*

*Descriptio horti amœni.*

1. Inter omnia humanorum sensuum objectamenta quæ à mundo ad delectationem admirationemque proponuntur, non infimum tenet locum hortus amœnus. In quo concurrentibus simul & concertantibus naturâ arte & elementis, quasi brevi compendio concludunt, quidquid deliciarum variis objectis tamquam in lautissima mensa natura sensibus exhibet. Illic enim plusquam alibi læta terra hilariter parturit, & variis ornata coloribus, quasi aureis intexta pannis, tota pulchra, & florida apparens, ipsum cælum in amorem sui rapere videtur. Quod modò mille & centum oculis, modò uno aliis occlusis, tam zelosè ipsum intuetur, & custodit, ut splendentibus radiis quasi tot amoris sagittis advenientes quosque vulnerare desideret. Hic dulcis aqua limpidissimis distincta rivulis inargentatos pisces crystallino concludens sinu, suavi murmure inter saxosa vada mille gyris lentum inflectens cursum, se mirantibus

*Continet omnes ac præcipuas delicias.*

*Aqua susurro aures oblectat.*

bus speculum præbet, ac transeuntibus, dulci susurro aures oblectat. Hic lenis dulciter spirans aura, nunc undis ludens, nunc folia concutiens, suavi fragrantiâ gratos naribus exhibet odores. Hic teneræ mirabili varietate herbæ, aliæ versus cælum se erigunt, ac nubes ipsas contingere gestiunt; aliæ humili contentæ loco, vix ab ipsa recedunt terra; aliæ propriæ debilitatis consciæ, modò truncis, modò arboribus reptando se affigunt. Hîc arbores fructibus fœcundæ liberali dono viatoribus se offerunt; aliæ frondoso capite solaribus ut scutum se opponentes radiis, spirante Zephyro dulce exhibent refrigerium. Hîc diversis terra floribus, variisque decora coloribus, quasi ditissimo contegitur pallio. Hîc Rosa pulcherrima ut florum Regina purpurâ auroque fulgens, in altam elata sepem, velut regali throno, pungentibus undique armata spinis, sese ab injuria defendit. Hîc varii flores odoriferum exhibentes sinum, vel adhuc viridantibus inclusi foliis miro elaborati artificio, vario se offerentes spectandi colore (prout supremo illi placuit pictorum magistro) insatiabili voluptate animum simul & oculos pascunt. Nec hîc dulcisonæ desunt volucres, quæ de ramo in ramum salientes, suavi modulamine vocis ad divinas laudes cunctos invitare videntur.

*Terra contegitur variis floribus.*

2. Hîc mirabilis naturæ suas veluti opes explicantis industria, & arte ipsam quasi naturam superante, non majores solùm arbores, arbustaque ordinans vario disponit modo, & gratioso præbet aspectu; verùm etiam in parva ludendo myrto nunc navem format, nunc peregrinas efficit feras, nunc mille circulis varias connectens figuras, se transeuntibus mirandam præbet. Quid ludos jocosque referam, quos aquis se intermiscentibus, ac ex medio summitateq; ipsius exsurgentibus, modò in sinum recidentes, modò à latere impugnantes, à tergo quoque incautos adortæ recreant, & decipiunt. Vt verbo denique dicam, nullus est in homine sensus, qui non summam percipit delectationem in amœnissimo horto. Iucundissimæ siquidem amœnitatis prospectus, non oculos solùm animumque rapit; verùm etiam decurrentes rivuli volucrumque concentus gracili murmure, quasi perpetuo harmoniæ sono aures oblectat. Naribus grata inest odorum fragrantia, gustui placet fructuum suavitas; ac membris omnibus quibus sensus inest, nulla dulcior quies, quàm in gremio tenerrimæ floribus fœcundæ herbæ ad rivos sedere dulcissimæ aquæ. O quàm breve omnium deliciarum compendium, hortus apparet amœnus. Nec mirandum

*Natura & ars suas exhibent opes.*

*Omnis in homine sensus reficitur.*

*Dulcis in herbis requies.*

talem esse ejus excellentiam, cùm domorum, civitatum, aliorumq; locorum fundatores fuerint homines mortales: hortorum tamen prima plantatio divina manu peracta fuit; factaque felix hominis habitatio, nisi divinis resistens mandatis se indignum pręstitisset. Vnde legimus in primâ mundi creatione; *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio in quo posuit hominem quem formaverat.*

*Primus hortus à Deo plantatus.*

Genes. 2. 8.

3. Verùm quidem est hoc horto manu divinâ consito, multò inferiores esse hortos à nobis plantatos, paradisus quippè ex seipso ea omnia producebat, quæ nos magno labore acquirere debemus; nulla ibi herba venenosa, nulla nociva, nil quod hominem læderet, aut offenderet, cum nostri subitò horti urticis & zizaniâ sint pleni: ver ibi erat perpetuum, autumnus continuus, arbores fructibus ac floribus semper abundantes: cùm nostri varietati stationum, frigori & æstui semper sint expositi, modò folia decidunt, modò fructus marcescunt. A ventis quoque, tempestate, nocivisque animalibus liber erat iste; nostri verò mille temporum injuriis ac feris ubique expositi. Duabus denique arboribus insignis fuit Paradisus (arbore scilicet vitæ, & scientiæ boni ac mali) ubi nostri mortiferis potiùs ac malis scatent.

*Paradisus excellentior aliis hortis.*

*Nostri horti malis herbis pleni, paradisus bonis abundat.*

4. His tamen non obstantibus Regio Pentapolis à sacra Scriptura paradiso assimulata fuit, antequam divinæ ultionis infernalis ignis in illam descenderet. Sic enim dicit sacer Textus: *Quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut Paradisus Domini.* Quantum verò ad illud quòd Paradisus habebat flores & fructus simul, aëris intemperiei non subjectos; ei assimulari possunt aliquæ modo Regiones, maximèque sub equinoctio sitæ. Franciscus Alvarez Regionem Æthiopiæ vocatam Corcoram de Angotta refert esse adeò fœcundam, ut omni anni tempore grana jam matura in ea metant, viridia jamque crescentia adhuc relinquentes.

*Sodoma primà valde amœna.*

Gen. 13. 10.

Alvares in descript. Æthiopiæ.

5. Majorj admiratione dignum est, quod de Regione quadam Africæ propè civitatem Tagastem refert Plinius. Ait enim illam tantâ præcellere fertilitate, ut sub altissima quadam palma olivam nutriat, sub oliva ficum, sub ficu malogranatum, sub hoc vitem, sub vite frumentum, sub quo olera aliasque herbas, ita ut quovis anni tempore semper aliquos inde colligas fructus, ac unusquisque umbra alterius à nimio defenditur estu. Nec possunt homines fertilitatem hujus evincere Regionis; in exiguo siquidem terræ loco, ampliorem referunt fructum quàm nos in agro

*Fertilitas Africa.*

Plin lib. 18. cap. 22.

*In parvo spatio omnia crescunt.*

agro integro toto anni tempore possimus colligere. Radices in terrâ se invicem non impediunt, frondes in aëre se mutuo non offendunt, unus omnibus terræ sufficit humor, ac parvum cæli spatium sufficienter omnibus influit: tam benigna hîc natura & liberalis præ aliis exstitit.

*Babylonij horti pensiles.*

6. Arte quoque mirabiles Babylonii fuere horti pensiles dicti, eò quòd in montibus artificiosè columnis, & fornicibus elevati fabricati essent, optimeque exculti, quæ columnæ cum intus repletæ essent terrâ, in se arborum recipiebant radices. Ad horum quoque similitudinem amœnissimi illi Regis Hungariæ horti fabricati erant, ut refert Bonfinius.

Bonfinius lib. 5. dec. 4. de rebus Hungariæ

*Hortus Mahometis Paradisus fictus.*

7. Sed nullus umquam (meo judicio) deliciosos magis, ac voluptatibus uberiores effinxit hortos, quàm Mahometes ille, qui excepta varietate florum, ac multitudine fructuum, palatiis etiam superbissimis illos circumdedit, ac per canales quosdam inde deductos, suavissimos vini, lactis ac mellis exhibebat liquores, speciosissimique juvenes variis jocis, cantibus, & symphoniis ingredientes ad bibendum exhilarandumque invitabant. Sed hujus introitus horti fortissimo castro præmunitus erat: in quem cùm aliquando dormientem deferri jussisset, ad credendum inducebat eum in paradiso fuisse, quem post mortem adepturus erat. Quo errore deceptus (nam dormiens indè eductus) libenter vitam pro Mahomete fundebat, ut iisdem deliciis post mortem perfrui posset.

*Italiæ horti deliciosissimi.*

8. Hortos omitto Hesperios pomis aureis refertos, à Dracone custoditos, cùm omnium Poëtarum versibus celebrentur. Nec minùs hortos Italicos, Genuenses, Florentinos, Tiburtinos, Tusculanos, Romanos, aliosque pulcherrimos narratione prosequi cupio, cùm scribendi finem in his vix possem invenire; Etenim natura & arte hîc inter se quasi certante, & in aliam atque aliam (ne contemplantium fastidiat aspectus) transferente venustatem, quædam montibus extulit, alia in planiciem deduxit, universa porrò in tantam redegit amœnitatis perfectionem, ut jucundissimæ appareat viriditatis imago. Summopere quoque mirandum est, omni anni tempore fructus floresque nunquam deesse; & ne quid perfectæ desit venustati, limpidissimi fontes per varia collium rupiumq; decurrentes declivia non solùm oculos ac animum rapiunt; verùm etiam mirabili industriâ volucres cantare, organa sonare, tibicines inflari, statuas moveri, variaque artis miracula brevi conspicies effici spatio. Nec ad oblectationem solùm amœnitatemque horti, sed ad utilitatem

*Venustas eorum describitur.*

*Utiles sunt horti.*

N 2 fru-

fructumque serviunt, flores enim & herbæ sua non carent virtute, nec sapore fructus, mala aurea, & citrea hortorum dilitiæ, lautissimis apponuntur conviviis, infirmisque solatium præbent & medicinam: sicque cæteri flores fructus & herbæ omnibus utiles, suis usibus deputantur.

*In hortis desideratur perpetuum ver.*

9. Sola ergo in hortis desiderari videtur stabilitas, cùm enim tota pulchritudo à floribus dependeat, quibus nihil est fragilius, ita diu consistere non potest. Licet enim multitudine & varietate referti, variis anni temporibus integri conserventur, ab hiemali tamen frigore difficilè proteguntur. Borealem ventum non sustinent, nimioque solis ardore languescunt, nisi aquis quotidie irrigentur, quæ idcirco jure meritò horti anima possunt nuncupari; nullâ enim in re magis hortulani apparet industria quàm ut suo tempore herbis floribusque abundantes undas ministret, si crebrò pluvia è cælo non cadat; quæ Plinio teste lymphis haustis & fontibus est utilior.

*Aqua plurimum necessaria.*

*Cur Emblemati hoc dictum appositum.*

10. Hinc Emblemati nostro inscripsimus *Germinans germinabit*: quibus verbis Isaias Propheta felicitatem sanctæ Ecclesiæ designat. Ægyptum quoque particulariter respexisse videtur, ubi variæ adorabantur bestiarum figuræ, ait enim: *In cubilibus in quibus dracones habitabant, orietur viror calami & junci.* Ibi Ecclesia plurimum floruit, ubi primi fideles adeò sanctè vitam traduxerunt, ut odore bonæ famæ totam Regionem replerent, Philone Iudæo teste. Septuaginta duo interpretes pro verbis *Germinans germinabit*, vertunt *efflorebunt*, campi videlicet, in quibus extraordinaria pulchritudo, & fœcunditas apparebit. Severus Sulpitius legit *lata sylvescent* arbores videlicet, quæ in tanta erunt quantitate ut sylvam esse videantur.

*Isaiæ 35. 2.*

*Ibidem 7.*

*In Ægypto Ecclesia floridissima.*

11. Sed numquid melius essent horti amœni quàm sylvæ? Arbores domesticæ quàm silvestres? Respondeo quantùm ad multitudinem arborum erunt sylvæ, quantùm ad amœnitatem horti, arbores silvestres quantùm ad altitudinem, domesticæ quantùm ad utilitatem. Quod bene Ægypto convenit, in qua tot floruerunt Eremitæ virique solitarii, ut arbores silvestres vocari possint; propter utilitatem tamen & fructuosam vitam domesticæ dici possunt. Vnde S. Marco qui totam illam Regionem cælestis suæ doctrinæ imbre irrigavit, attribui potest illud Prophetæ dictum; *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum*, licet enim applicetur B. Virgini quæ Christum in Ægyptum ex Iudęa transtulit; potest tamen S. Marco applicari, qui fidem & cognitionem nominis Christi eò detulit. Nubes proinde le-

*S. Marcus Ægyptum illustravit.*

de levis rectè vocari potest, quia non terrenis gravatus affectibus, at levi Spiritus sancti vento in varias mundi partes delatus fuit. Vtpotè qui in tribus mundi partibus Evangelium fideliter prędicavit; in Asia, quia in Iudęa, in Africa, quia in Ægypto; in Europa, quia Romæ & Aquileiæ fidem seminavit.

*Vbiq; fidem prædicavit.*

12 Sed quis hujus mysticę nubis suavitatem ac fœcunditatem sufficienter exprimet? à S. Hieronymo vocatus fuit interpres Petri: Quod mirum profectò omnibus apparere potest, cùm S. Petrus donum habuerit linguarum, si ergo omnibus loquebatur linguis, quomodo indigebat interprete? uterque Iudęus fuit, quomodo ergo Romanis interpretabatur Petri sermonem? Explicatione hic locus S. Hieron. indiget. Duo nimirum sunt genera interpretum, alii grammaticales, alii philosophales, isti interpretantur sermonem, hi verò rem significatam: isti verba referunt aliâ linguâ absque mutatione sensus, hi eâdem linguâ clariùs explicant ab aliis obscurius relata, primi generis fuerunt septuaginta duo interpretes, & alii qui sacram Scripturam alio transtulerunt sermone: secundi generis fuerunt sancti Patres Hieronymus, Augustinus, &c. cùm ergo dicitur sanctum Marcum fuisse interpretem S. Petri, non intelligitur primo modo, sed secundo, quod meliùs exemplo clarissimo percipietis.

S. Hieron. in libro de Scriptor. Ecclesiast.

*Fidelis S. Petri interpres.*

*Duo genera interpretum.*

13. In scholis ubi frequens est discipulorum numerus, aliqui semper doctiores aliis evadunt, unde minùs docti dum lectionem à magistro audientes non bene percipiunt doctiores consulunt, ut meliùs sensum percipere possint. Sic credo accidisse Romæ ubi S. Petrus prędicabat magnâ populi concurrente frequentiâ, cùm enim nullus ibi doctior in fide S. Marco reperiretur, obscurè in prędicatione à S. Petro dicta interpretabatur, difficultates solvens, & mysteria fidei omnibus facilia exhibens, cujus doctrina velut imber murmure carens corda audientium penetrabat.

*Clariùs dicta S. Petri explicabat.*

14. Solent interpretes ut meliùs intelligantur, accomodare actiones sermonibus; sic qui mathesim docent, figuras in tabulis formant, aut signis & exemplis auditoribus intimant quid dicere velint. Non aliter S. Marcus à S. Petro edocta, vivis exemplis, & exercitio virtutum auditoribus persuadebat; quomodo charitatem exercerent, humilitatem amplecterentur, & orationi incumberent. Dicebat enim, ô discipuli mei, subveniendum est necessitatibus egentium, ut charitas adimpleatur; aliis non se pręferre decet, sed submittere, sic humilitas exerceetur; à Deo gratia, & mise-

*Doctrina mores accommodabat.*

*Alios in bonis operibus exercebat.*

 ricor-

sericordia petenda, sic orationi insistitur. Nec signis solùm & scriptis Evangelicis quæ S. Petrus approbabat & legenda Ecclesiis dabat; sed vitæ quoque exemplo aliis prælucens salutis iter demonstrabat. Quæ exempla ut S. Hieronymus refert, adeò fuêre efficacia, ut omnes ad imitationem sui attraheret. Quod profectò admirandum videri debet: etenim si Princeps aliquis suâ auctoritate, gratiâ, & favore multos ad se alliciat, admiratione dignum non est, cùm unusquisque speret honoribus, dignitate & amicitiâ ab eo remunerari, nam:

S. Hieron. ubi supra.

*Suo exemplò omnes ad imitationem provocabat.*

*Regis ad exemplum, totus componitur orbis.*

Sed quòd extraneus quispiam pauper & abjectus, sine adminiculo favorum aut gratiarum mundanarum, sine extrinseco adjutorio, solo exemplo auditores moveat, & ad imitationem sui attrahat, non oblectamentis, aut voluptatibus, sed asperitatibus, & pœnitentiis, magni est faciendum.

15. Si de miraculis loquamur nulla ipsum in Ægypto fecisse reperio: credibile tamen est eum multa edidisse, quibus doctrinam suam confirmaret, hæc enim cùm supernaturalis esset, ipseque in Evangelio suo dicat Christum promisisse discipulis operationem miraculorum; miraculis quoque confirmari debuit. Sed licet nulla perpetrasset miracula, satis magnum fuisset miraculum tot animas Christo lucrari, & ad tantam vitæ perfectionem reducere ut legimus primos illos Christianos Alexandriæ fuisse.

*Miracula nulla reperiuntur descripta.*

Marc. 16.

16. De Passione ejus & sanguinis effusione dicere possumus, quod sicut doctrina ipsius fuit instar imbris cælestis; sic sanguis ejus quasi tot rivuli currentium undarum; etenim non contenti persecutores uno passionis modo, ipsum per varia trahentes loca sanguine ejus diversas terras irrigarunt; sicut enim unda ducitur ad irrigandos hortos, & prata, sanguis ejus ad irriganda loca sparsus fuit; vel sicut malefactores dum diversis in locis gravia commiserunt delicta in iisdem acriter puniuntur, sic S. Marcus quia diversis in locis fidem Christi disseminaverat, quod gentiles maximum crimen reputabant, diversis in locis eum trucidarunt. Dicebant enim, nónne hoc in loco fidem suam prędicavit? nónne illic discipulos collegit? nónne ubique reliquit suæ impietatis, & falsi dogmatis signa? Nónne Deos nostros destruxit, & evertit? Non debet ergo uno in loco solùm, sed in diversis puniri: propterea fune ad collum alligato, per omnes urbis partes, & plateas ipsum trahamus, ut ibi sanguinem fundat ubi documenta tradiderat.

*Sanguine suo irrigavit totam civitatem.*

*Diversis in locis graviter afflictus*

17. Non

*Cur non in altari occisus.*

17. Non in altari occidatur ubi quotidie divina celebrabat, quia nimia ei foret consolatio, ibi effundere sanguinem, & quasi victimam seipsum offerre, ubi quotidie Deo suo hostiam salutarem offerebat, & lætissima ac expectata ipsi videretur mors si cum Dei sui sanguine suum commisceret, fune ergo ad collum alligato ab altari eum avellamus, & longè distrahamus, ut majorem sentiat mortis dolorem, ac discipuli ejus adeò ignominiosam videntes mortem, magis timeant, & inimici crudeliùs sæviant, ac lætentur, dum vident Deorum suorum hostem ignominiosa, & crudeli morte ibi vitam finire, ubi antea Deorum abstulerat honorem, sicque quodammodo honor ipsis restitutus videatur.

*Quæ intentio persecutorum?*

*Deus hoc martyrio Alexandriam sanctificavit.*

18. Hæc ergo fuit intentio, & perversa ipsorum nequitia: sed Deus omnipotens aliter sibi in hoc providit, ad majorem videlicet exaltationē servorum suorum, & ut sanguine tanti Martyris tota Alexandrina civitas perfusa sanctificaretur, & fœcundaretur. Etenim, ut Plinius ait, nihil melius agros fœcundat sanguine humano, sic primitiva Ecclesia sanguine Martyrum fundari debebat: unde de S. Marco meritò S. Hieronymus refert (si tamen ipse est auctor commentarii in S. Marcum) *Marcus Evangelista seminat post Matthæum, fremit ut Leo, volat ut Aquila, discit ut homo, immolat ut Sacerdos, irrigat ut flumen, florescit ut ager, fervet ut vinum. Seminat post Matthæum,* quia post ipsum primus scripsit Evangelium latinè, ut S. Matthæus Syriacè ediderat. Sicut ergo prędicatio ipsius pluviæ, ita Evangelium semini comparatum, quod multo tempore in terrâ remanet, prædicatio quippe solùm præsenti populo utilis est, Scriptura autem sacra etiam posteris reservatur. Cùm ergo S. Marcus prędicationem, & Evangelium habeat, de ipso illud Isaiæ Prophetæ optimè verificari potest, *Beati qui seminatis super aquas,* videlicet post aquas prædicationis, relinquitis semen doctrinæ scriptæ, ut magis inhæreat memoriæ, posterisque majorem fructum relinquat.

S. Hieron. in comment. in S. Marcum.

*Octo encomia S. Marci.*

*1. Scripsit Evangelium post S. Matthæum.*

Isaiæ 32.20.

19. *Fremuit ut Leo,* quia ex quatuor animalibus Evangelistarum, ipsi Leo ascribitur: Ratio ab aliquibus assignatur, quia incipit à prædicatione S. Ioannis Baptistæ, quę quasi rugitus Leonis fuit. Magis tamen mihi S. Hieron. arridet ratio, quâ affirmat quatuor illa animalia repręsentare quatuor mysteria præcipua vitæ Christi. Natus enim fuit ut homo, mortuus ut bos aut vitulus, resuscitatus ut Leo, ascendit in cælum ut Aquila. Cùm ergò S. Marcus clarissimè exprimat resurrectionem Salvatoris, ac primo die Paschatis ejus legatur Evan-

*2. Leoni assimulatur, & quare?*

S. Hieron. in comment. in S. Marcum.

*Quatuor præcipua mysteria in 4. animalibus figurata.*

vangelium, meritò ipsi tribuitur Leo. Sed cur ordinariè exprimitur Leo S. Marci cum libro aperto hoc dictum continente, *Pax tibi Marce Evangelista meus*: cùm Leo sit animal fortissimum, & potiùs bellũ quàm pacem intimet? ideoque ab ipso auxilium poscendum, aut de ipsius lætandum victoria: juxta illud *vicit Leo de tribu Iuda*. In promptu responsio adest; an ignoratis Christum dum resurrexit, subitò Apostolos salutasse illis pacem impertiendo? Meritò ergo cùm Leo S. Marci resurrectionem repræsentet Salvatoris, pacem quoque annuntiare debet; *Pax tibi Marce.*

*Cur S. Marcus cum leone pingitur.*

Apoc. 5. 5.

20. Nec vacat mysterio quòd librum apertum teneat, quia rectè Evangelista Ioannes in suâ Apocalypsi inquit: *Vicit Leo de tribu Iuda, radix David aperire librum & solvere septem signacula ejus*: Sicut enim Christus in suâ resurrectione se Leonem exhibuit; sic etiam teste S. Bernardo librum vitæ aperuit, resurrectione suâ omnem difficultatem solvendo, quæ ex morte ignominiosa aut aliàs oriri poterat. Rectè quoque librum apertum tenet, quia aperire libros propriè ad interpretes spectat, & S. Marcus, ut diximus, interpres S. Petri fuit.

*Cur leo librum apertum tenet.*

Apoc. 5. 5.

21. Dicet aliquis, non videtur S. Marco Leo attribuendus, quia in Apocalypsi primo loco ponitur: *Et animal primum simile Leoni, secundum animal simile vitulo, &c.* Ergo S. Matthæo qui primum locum occupat Leo est tribuendus. Respondeo non defuerunt qui S. Matthæo leonem attribuerunt sequentes sententiam S. Augustin. Quia S. Matthæus describit descensum Regium nativitatis Christi rectè figuratum in leone, communis tamen SS. Patrum sententia quam Ecclesia Catholica sequitur, S. Marco leonem attribuit. Ad dubium ergo objectum, respondeo S. Ioannem non respexisse precisè ad tempus sed ad locum, quia S. Marcus Romæ suum Evangelium scripsit, de quâ urbe S. Ioannes in suâ Apocalypsi spirituales referebat excellentias sic primo loco posuit: vel S. Petrum honorare voluit, ex cujus ore S. Marcus scripserat, & qui illud publicari mandaverat: Potuit quoque tribui honori linguæ Latinæ, in quâ S. Marcus Evangelium suum scripserat, & quia Ioannes prævideret linguam Latinam præferendam Hebraicæ & Græcæ, unde in titulo crucis propinquior fuit capiti Christi, ita primo loco constitutus est Leo.

*Cur in Apocalypsi leo primo loco ponitur.*

Apoc. 4. 7.

S. August. de consen. Evangelist. cap. 6.

*Rationes cur leo primò positus in Apocalypsi.*

22. Tandem id potuit S. Ioannes fecisse ad exaltandas gentes, sicut enim S. Matthæus suum scripsit Evangelium Iudęis, ita S. Marcus gentibus. Advertenda hîc est res admiratione digna,

*Ad honorem gentium hoc factum.*

gna, Ezechielem Prophetam dum hæc animalia commemorat, primum locum homini dedisse: *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies Leonis.* Quid dicemus ad hæc? an non convenient S. Ioannes, & Ezechiel? An sibi invicem contradicent in assignando primo loco sacris Scriptoribus? non fuit hîc discordia, sed mysterium. S. quippe Matthæus Evangelium suum Iudæis scripsit, propterea Ezechiel qui tempore Iudaismi vixit, meritò ipsi primum locum assignat: S. verò Ioannes scripsit eo tempore quo Iudæis ablatum erat Regnum cæleste, & datum gentibus, propterea S. Marco qui Evangel. gentibus scripsit, primum locum assignat. Multum ergò S. Marco debemus qui pro nobis tantum laboravit, ut per eum Evangelii ad nos cognitio pervenerit. Vti S. Matthæus Hebræis, S. Lucas Græcis, & S. Ioannes Hæreticis scripsit.

Ezech. 1. 10. *Vtrum discordent S. Ioannes & Ezechiel in positione leonis.*

23. *Volavit* (inquit S. Hieronymus) *ut Aquila*, tum quia varias mundi partes peragravit; tum quia ut Aquila altiora contemplatione divinâ ascendit: vel etiam sicut leoni assimulatur, quia Resurrectionem Domini pleniùs enarravit; sic potest Aquilæ comparari, quia ascensionem Christi amplè descripsit, propterea Ecclesia ipsius Evangelio illâ die utitur.

S. Hieron. ubi suprà. 3. *Aquila assimulatus & quare.*

24. *Didicit sicut homo* (ait auctor citatus) sed quid opus erat hoc referre, cùm assimulatus sit leoni propter Evangelii publicationem; & Aquilæ propter cælestium contemplationem? Cur ut homo discens repræsentatur, qui antea ostensus fuit ut magister & doctissimus mundi? fortè ut ostendat exemplo sancti Marci unumquemque licet doctissimum, & in alto dignitatis gradu constitutum, verecundari non debere discipulum se aliquando præbere, ut ab aliis doceatur; hoc ita intellexit magnũ illud Ecclesiæ lumen S. Augustinus & idcirco dicebat; *Senex à juvene, Episcopus tot annorum à collega nondum anniculo paratus sum doceri.* S. Hieron. Doctor Ecclesiæ idem sentiebat cùm scriberet ad Pamachium: *Iam canis spargebatur caput, magistrum potiùs quàm discipulũ decebat, perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum.*

S. Hieron. ubi supra. 4. *Cur homini addiscenti comparatur.*

S. August. Epist. 35. *Humilitatis signum velle discere.*

S. Hieron. Epist. 65. ad Pammachium.

25. Origenes quoque pulchrè describit manna cæleste quod populo Israëlitico cadebat, vocatum *Manhu quid est hoc*, ut erudiamur dum doctrinâ cęlestem acceperimus, semper nobis dicendum *quid est hoc*, quæ est vox desiderii, plura addiscendi; nunquam enim in uno sistendum mysterio, sed ab uno ad alterum progrediendum & usque ad vitæ finem continuò addiscendum. Quod optimè S. Apostolus Paulus intellexit & imitatus est;

Origenes hom. 8. in Exod. *In cælesti doctrinâ progrediendum.*

cùm enim altissimis revelationibus, ab ipso Salvatore, esset cælitùs edoctus, non erubuit fieri discipulus S. Petri ut ipsemet refert, *Veni Ierosolymam videre Petrum & mansi apud eum diebus quindecim*: Ideo (dicit S. Hieron. hunc locum explicans) Ierosolymam venit, ut instrueretur à Petro, quia Doctor esse debebat gentium. Fuit ergo primò Aquila, postmodum discipulus, quod similiter de S. Marco affirmare possumus, qui cùm magister esset aliorum, fieri discipulus voluit, & S. Petro ceterisque subjici.

Ad Gal. 1. 18.

S. Hieron. in Epist. ad Galath.

*S. Paulus à S. Petro edoctus.*

26. *Sacrificavit ut Sacerdos*, quia assiduè Missæ Sacrificium offerens tandem in ipso deprehensus, Martyrium complevit. Sed cur potiùs persecutores hoc tempore quàm alio ei mortem intulerunt? ut majus fortè dedecus pateretur dum in conspectu discipulorum tunc ad sacrificium convenientium adeò malè tractaretur? vel ut graviùs cruciaretur, dum ab actione adeò sancta, unicèque chara avelleretur. Denique conjicere potuerunt, ipsum eo tempore ita sacrificio fore attentum ut nullâ resistentiâ facilè capi potuisset.

*5. S. Marcus quotidie sacrificabat.*

*Cur inter sacrificandum occisus.*

27. *Vt flumen irrigavit* terram, spargendo sanguinem diversis in locis; *Effloruit quoque ut fæcundus ager* (inquit auctor citatus) quia omnibus virtutibus abundavit, nec anima ipsius minore fuit fertilitate ditata, quàm campus ille Africæ; in eâ namque florebant palma fortitudinis, oliva pietatis, ficus mansuetudinis, malo-granatum charitatis, vitis devotionis, frumentum mortificationis, & herbæ bonæ exhortationis. Fuit ornatus Palmâ ut Martyr, Olivâ ut Sacerdos, ficu ut Religiosus, malogranato ut verbi Dei prædicator, vite ut Evangelista, frumento ut Patriarcha, & pater pauperum, & variis decoratus herbis propter exercitium diversarum virtutum.

S. Hieron. in comment. in S. Marcum.

*6. Vt flumen irrigavit terram.*

*7. Vt hortus perpetuo floruit virtutibus.*

28. Vt decoretur hortus, unicus flos non sufficit sicut una hirundo non facit ver, sic ut anima fiat hortus Dei, non una sufficit virtus, sed plurimæ sunt comparandæ. Hoc bene ad nostrum institutum probat Gillibertus Abbas: *Tot horti sunt* (inquit) *quot virtutum plantationes simul collecta; ubi tantùm flos unus est, quis ibi hortum esse definiat? Sic nec una castitatis plantatio, nec una justitia, horti potest integritatem explere.* Verùm quidem est in hortis ubi fructus sunt rariores eos meliùs crescere, plures enim simul consistentes, seipsos impediunt, terræque alimentum singulis non sufficit: At quò virtutes sunt frequentiores, magisque unitæ, meliùs seipsos fovent, feliciùs crescunt & florescunt.

*In horto non sufficit unus flos.*

Gilbertus Abbas sermon. 37. in Cant.

*In anima non sufficit una virtus.*

29. Sunt quippe virtutes veluti capilli capitis qui eò sunt pulchrio-

*Capilli densiores pulchriores.*

chriores, quò dẽsiores, unde dilectę spõsę dicebat sponsus in Cãt. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui*; non dicit in uno crinium tuorum, aut in uno capillo colli tui, sed, *in uno crine*, id est in unione capillorum tuorum qui è collo pendent. Vt exponit auctor modernus: *Non ait in uno capillo, quia unus capillus parum pulcher est, ad vulnerandum, sed in uno crine, quia est plurium capillorum collectio artificiosè colligata.* & paulò pòst; *in uno crine admodum torquis circumdante collum; quod symbolum est obedientiæ ad legem, & Dei jugum portandum.* Hi sunt capilli quos Deus noluit Nazaræis pręscindi, de quorum capite ne quidem unus peribit, ut ingeniosę id denotabat Origenes dicens: *Honestus servare debet omnem capillum, & si possibile est, nec ascendere debet ferrum super caput ejus, nè abscindere aliquid de cogitationibus suis sapientibus, aut dictis aut operibus possit. Hinc & discipulorum Domini, etiam capilli capitis numerati dicuntur; hoc est omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum servantur apud Deum, quia justa, quia sancta sunt.*

Cant. 4. 9.

Ludovicus de Ponte lib. 7. in Cantica c. 15. num. 24

*In capillis actiones sancta figurata.*

Origen. homilia 8. in Levitic.

30. Nec se mutuò impediunt virtutes, verumetiam mirabiliter juvant, ita ut una non perdatur, absque detrimento alterius; hoc affirmat S. Hieron. dicens: *Hærent (virtutes) sibi, & inter se ita connexæ sunt, ut qui una caruerit, omnibus careat.* Tales erant horti quos S. Marcus plantaverat in Ægypto, imò anima ipsius tantis erat adornata virtutibus, ut non solùm hortus verumetiam paradisus cęlestis potuerit nuncupari.

*Virtutes unitæ se mutuò juvant.*

S. Hieron. ad Fabiolã de 42. mansionibus.

31. Verum quidem est in Scripturâ sacrâ tanti non fieri herbas & arbores, quia maledixit Dominus ficui, & in creatione mundi nullam illis legimus benedictionem ut aliis datam, rationem aliqui reddunt, quod arbores multis in terrâ fixæ radicibus veluti terrenis rebus omninò inhærentes, benedictione cælesti sunt indignæ. Sed S. Marcum ejusque sequaces dici posse similes hortis pensilibus Babyloniæ, velut in aëre elatos à rebus terrenis omninò esse abstractos, ac radicibus spei in cęlo firmatos. Etenim ut Philo Judęus refert (qui in eorum laudem librum composuit) vitam ducebant sanctissimam à mundanis deliciis & cupiditate longè alienam, ut Monachi, de quibus S. Hieron. *Nullus, ait, inter eos egens, nullus dives facultates suas pauperibus erogabant, orationi insistebant, psalmos canebant castitate observabant, charitatem in proximos exercebant.* Erant igitur velut horti, suavi virtutum fragrantiâ; & pensiles propter amorem paupertatis, quia nullis terrenis erant affectibus coinquinati.

*Arbores non benedicta quia terrestres.*

*S. Marcus à terrenis abstractus.*

S. Hieron. lib. de scriptor. Eccl. in Philon.

32. Nullam cum his affinitatem habet hortus Mahumetanus, de quo antea diximus, in quibus

*Horti cælestes nũquam deficiunt.*

flores marcescebant, fructus deficiebant, & liquores non saturabant bibentes; unde nec permittebatur, quisquam diu inibi commorari. Hi verò nunquam deficiunt flores, non decidunt, fructus non marcescunt, liquores satiant nec nauseam pariunt, nullis prohibetur ingressus, & usus. Hi pulcherrimi horti nihil aliud sunt quàm conscientia pura, de quâ meritò S. Bernardus dicebat; *Conscientia bona titulus est Religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum:* Hujus autem horti deliciæ nunquam deficient, teste Sapiente. *Secura mens, quasi juge convivium:* gaudium quippè quod ex illâ quiete & securitate homo sentit, nunquam deficiet: si in hortis perseverantia desideratur hîc invenitur. Vnde meritò nos exponere mille debemus periculis, ut hâc tandem quiete fruamur: si enim qui interfuerant deliciis horti Mahumetani, voluntariè se periculis objiciebant ut tandem illis fruerentur: quantò magis à nobis mille superandæ sunt difficultates, tolerandique labores ut tandem securâ in hâc vitâ conscientiâ, & cælesti in gaudiis sempiternis perfruamur.

S. Bernard. cap. 22. de interiori domo.

*In deliciis cælestibus continua quies.*

*Illa maximè desideranda.*

33. Addit auctor citatus de S. Marco, *Fervet ut vinum.* Impios dicit Evangelicus Propheta fervere ut mare, *Impii quasi mare fervens:* Sicut enim maximè differunt fervor maris, & vini; sic fervor malorum, & bonorum. Fervor maris ordinariè extrinsecè à ventis, & tempestate provenit; vini autem à virtute intrinseca, unde quò meliùs vinum clauditur, eò magis fervet, & vim suam prodit. Mali ex objectis extrinsecis commoventur, & in varias distrahuntur passiones, & desideria inutilia: Sed boni, & sancti, in charitate uniti, & bonis operibus intenti fervent divino spiritu. Mare effervens, tranquillitatem, pulchritudinem amittit; vinum autem fervendo purificatur, & melius evadit. Sic mali malis cupiditatibus elati pulchritudinem animæ, & conscientiæ amittunt, boni autem spiritus fervore incensi, puriores, & perfectiores evadunt: Mare turbatum & tempestate agitatum, omnibus terrorem incutit, sed vinum suo fervore exhilarat, & gaudium bibentibus generat; furor, & fervor malorum maximè est timendus, fervor verò bonorum omnibus prodest cùm tranquillitatem & cordis puritatem adferat etiam iis, qui cum bonis conversantur; fervor maris ex visu cognoscitur, sed calorem vini solus novit, qui expertus est: mali sua vitia & furores tegere nequeunt, at boni licet foris humiles, & inscii appareant, intus tamen fervidi, & sapientes existunt; ut notum est iis qui illorum consortio, & bona conver-

S. Hieron. in com. in S. Marcum 8. *S. Marcus fervidus ut vinum.* Isai. 57. 20.

*Impii ut mare ferventes.*

*Fervor piorum ab intrinseco.*

*Impiorum ab extrinseco.*

*Fervor bonorum prodest.*

*Malorum obest.*

versationi intersunt.

*S. Marcus omnes ad virtutem hortatur.*

34. Pari modo S. Marcus non solùm in vitâ bonis desideriis & piis exercitiis efferbuit, aliosque calore suo ad similia accendit; verumetiam post mortem continuò idipsum effecit, & efficit: quod enim verbis & opere docuerat, scripto nobis imitandum reliquit: ita ut dici possit S. Marcum nube roriferâ, & pluviâ cælesti (Evangelicâ videlicet doctrinâ) Ecclesiam Catholicam fœcundare & enutrire. Etenim si hæc à nobis debitâ devotione, & singulari animi affectu recipiantur, non minorem fructum parient, quàm in Ægypto primitùs attulerunt: ita vinum hoc stomacho retentum, non solum cor recreabit; verumetiam per omnia membra diffusum nos in Dei obsequio & dilectione jugiter inflammabit.

I.N

# IN FESTO S. PHILIPPI APOSTOLI.

## DISCVRSVS OCTAVVS.

### *De simplicitate & rectitudine animi ejusdem.*

### Ovis ramum viridem sequens.

### *Ostendere sufficit.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*OVem ejusq; proprietates describit primis 8. num.*

*Eas S. Philippo applicat. num.* 9. 10. 11. 12. 13. 14.

*Simplicitatem animi ejus indicat.* 15. 16. 17.

*Sapientiam divinam simplicitatem esse. num.* 18. 19. 20. 21. 22.

*Virtutes, quas in simplicitate suâ ostendit. enumerat num.* 23. 24. 25. 26.

*Quomodo passionem forti animo sustinuerit, à num.* 27. *ad finem usque prosequitur.*

*Ovis omnibus prodest,* 1. PARVO contenta mansuetissima ovis, ramo scilicet viridi, aut paucis herbis; beneficiis tamen tribuendis abundantissima, ita ut nunquam saturari videtur: libenter se lanâ propriâ spolians, ut alios vestiat. Vnde cùm S. Martinus ovem vidisset tonsam, hæc inquit, adimplevit præceptum Christi; *Luc. 3. 11.* *Qui habet duas tunicas det non habenti.* *Lac ejus optimum.* Lac ejus non solùm est dulcis vescentibus cibus; verumtiam in varias coagulatum formas, multo tempore conservari, & in lautis solet adhiberi mensis. Tenerrimos quoque filios sibique multum charos aliis dono offert, nec unquam illos sibi auferri queritur; quin imò propriam quandoque adjungit carnem. Pellis verò ejus in varios composita usus, litteras aureas argenteasque recipiens, privilegia, donationes & gratias continet maximas: proindeque ut thesaurus ingens asservatur. *Pellis variis usibus deputata.* Quãtæ autem sit mansuetudinis & obedientiæ erga pastorem, nullus est qui ignoret, ideo Christus fideles suos ovium nomine præcipuè solet appellare.

2. In

Plin. lib. 8. cap. 47.

2. In his autem animalibus observatu dignum est; (Plinio referente) verveces non amare agnos, sed potiùs odio habere grandiores verò factos amare, utpote in tali ætate meliores. Ratione cujus recordatus fui istius

Oviedo in descrip. Indica cap. 82.

quod Pater Andreas Oviedo in suâ refert descriptione Indica: in aliquibus nimirum Indiæ partibus maritos commutare uxores, quique seniorem adeptus fuerit, majus lucrum se recepisse existimat; quod exinde provenire putat auctor, quia maturiores, meliùs famulantur, aut morte interveniente, sæpius illas possunt commutare.

Plinius ubi supra.

*Color lanarum unde proveniat.*

3. Refert insuper Plinius flante boreâ oves concipere masculos, flante verò austro femellas. Colorem quoque lanarum dependere ex vena quadam sub lingua sita, talis enim erit color qualis illa vena fuerit. Mutatio quoque potus & aquæ colorem mutare solet; quod rectè cum eo convenit quod Iacob in Scri-

Genes. 30. 37.

ptura sacra gessisse legitur; nam juxta virgarum diversitatem quas in canalibus dum oves biberent posuerat, colorum varietas effecta est. Lac nigrarum ovium teste Olao magno melius

Olaus magnus l. 17.

*Lac nigrarum melius quàm albarum.*

est quàm albarum: sicut econtrà lac albarum caprarum est præstantius. Cujus rationem assignare possemus, quia nigredo signum est caloris, cùm autem oves sint naturæ humidioris, calidiores erunt sicciores; capræ quoque cùm naturæ sint calidissimæ, minus calidæ saniores erunt, quæ sunt coloris albi. Olaus quoque refert agnos hiemali natos tempore meliores esse; istius quippe temporis frigus matris naturam coroborat.

Elianus l. 2. de varia historia.

*Ab ove Leo generatus.*

4. Si Eliano fidem adhibemus, ex ove Leo generatus fuit; sed prodigium potiùs fuit, ac præsagium futuri Imperii Nicippi, in cujus grege hoc accidit, dum privatus in insula Coo degeret. Aliàs longè à natura Leonis absunt, tanto enim concutiuntur timore ex solo vocis Leoninæ auditu, ut si solæ sint, subitò quasi perdantur, non autem cùm omnes sunt conjunctæ, inquit Olaus. Maximo apud Ægyptios honore colebantur, illas enim nunquam contingere audebant. Vnde cautè illos dece-

*Cambyses per oves victoriam obtinuit.*

Policenes lib. 7.

pit Cambyses, (referente Policene) dum enim Pelusium oppugnaret, Ægyptiis fortiter resistentibus, ante exercitum suum greges ovium, multitudinem felium, aliorumque animalium quæ ipsi adorabant præcedere jussit: quæ cùm reverentiâ moti impugnare non auderent, stolidè devicti fuerunt.

*Oves à nobilioribus custoditæ.*

5. Apud Apolloniæ gentem magno in honore fuêre oves; nobiliores quippe earum deputabantur custodiæ, non quia aliquam ipsis inesse credebant divinitatem, sed quia soli erant dedi-

Boterus in secunda relatione Hispaniæ. clarissimè patet in eo quod Boterus de herbis in monte quodam Aragoniæ nascentibus, refert: quæ si ab ouibus ante solis ortum comedantur, mortem generant, quod malum naturæ quodam instinctu cognoscentes, eas dentibus avellentes tam diu relinquunt, donec à sole purificatas tutè valeant manducare. Dignum quoque relatu est, oves *Progrediendo comedunt.* progrediendo semper comedere, & nunquam retrocedendo, ut multa alia animalia, boves præcipuè Scytiæ; referente Herodoto. Herodot. l.4. cap.11.

9. Hac ovis proprietate & simplicitate S. Augustinus in explicatione difficillimæ Theologiæ sententiæ usus est, quomodo nimirum concordari possit efficacia divinæ gratiæ cum libertate humani arbitrii, quod hac similitudine optimè expressit. Scribens enim in illud Ioannis: *Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum*; ubi Christus agit de efficacia gratiæ, videbatur hoc verbum *trahere* aliquam denotare violentiam; sed S. Augustinus sine ullâ necessitate, imò magnâ cum voluptate fieri asserit: Eodem modo (inquit) quo ovis ramo viridi ostenso trahitur dicere potuisset, instar ovis quæ fune ad collum ligato voluntariè sequitur, sed meliùs, & proposito nostro congruntiùs dixit, trahi ramo viridi ostenso, quia majorem denotat libertatem. Supra hanc ergo proprietatem emblema nostrum formavimus, applicantes ei dictum S. Philippi. *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis.* Quod optimè ipsi convenire inferiùs probabimus.

S. August. tract. 26. in Ioannem. Ioan. 6. 44. *Ovis ramo viridi, sic homines divinâ gratiâ trahuntur.* *Cur S. Philippo hoc emblema tribuimus?* Ioan. 14. 8.

10. Alicui fortè videri posset, meliùs S. Philippo nomen pastoris quàm ovis convenire, cùm unus ex iis fuerit, qui fidem Christi annuntiarunt, ac magistri fuerunt fidelium. Non minus tamen titulus ovis quàm pastoris convenit: etenim ut quis bonus sit pastor, primò debuit fuisse ovis, primò nosse obedire quàm præcipere, primò bonus esse subditus quàm prælatus. Sanctus Philippus eodem tempore fuit pastor & ovis; Pastor respectu nostri, ovis respectu Dei qui Apostolis dixit; *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Sicut enim oves paucis contentæ, maximè utiles sunt. Sic Apostoli paucissimis contenti ut quidam illorum dixit: *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti sumus*; utilitates & bona innumerabilia mundo attulerunt. Lacte doctrinæ discipulos cibarunt; *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi*; ait S. Paulus: sanctissimis Ecclesiæ sacramentis illos sustentarunt; *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Pellem Scripturæ sacræ eis reliquerunt, de qua dicitur *extendens cælum sicut pellem*; & carnem bonorum exemplorum.

*Melius nomen pastoris ipsi conveniret.* *S. Philippus pastor & ovis.* Matth. 10. 16. 1. Ad Timoth. 6. 8. *Apostoli ut oves utiles fuerunt.* 1. Cor. 3. 2. 1. Cor. 4. 1. Psal. 103. 3.

rum, ac propriarum virtutum, cùm unusquisque Apostolorum dicere posset, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Non perdiderunt hæ oves pulchritudinem propter senectutem, sed gratiores effectæ sunt, teste S. Paulo, qui dixit: *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Fœcundissimæ quoque in partubus fuêre, quò enim magis persecutionis procella, & Aquilonaris sævijt tempestas, eò fœcundiores fructibus extiterunt.

1. Cor. 11. 1.

2. Cor. 4. 16.

*Apostoli ut oves missi ad prædicãdum.*

11. Ad Evangelium ubique prædicandum naturâ quidem mites processerunt, & imbecilles, ferocitate tamen ut Leones opera exhibuerunt heroïca. In victoria quam Cambyses in Ægypto propter oves retulit, quis nescit mundi victoriam quam Christus per homines simplices adeptus est, repræsentari? Solùm in hoc hæc victoria ab illâ differre potest, quia hæc eò gloriosior, quò mundani majori vi & crudelitate has oves oppugnarunt quàm Ægyptii pietate moti, alias oves protinus susceperunt. Licet autem crudeli eos morte peremerint, gloriosè tamen palmam triumphi suâ morte reportarunt. Amantes quoque musicæ fuerunt, prædicationis videlicet Christi Domini; sed non propterea cibum omiserunt corporalem, cùm Christus dixerit: *Non possunt filii nuptiarum jejunare, quamdiu sponsus est cum illis:* Et multò minùs spiritualem reliquerunt cibum de quo Christus dixit: *Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei.* Inter illos quoque fuit qui præ nimia gulositate cibum inordinatè sumens crepuit medius, ut Iudas in suâ avaritiâ fecit: qui *suspensus crepuit medius.*

*In victoria Cambysis Christi victoria figurata.*

*Ferventes in prædicatione fuerũt.*

Marc. 2. 19.

Ioan. 4. 34.

Act. 1. 18.

12. Pascebant se Apostoli absynthio amaro, persecutionum, & tribulationum, ideo caruerunt felle amaritudinis, & indignationis, amando suos persecutores, & pro ipsis orando. Discernere quoque potuerunt lupos à canibus, & bonas herbas à malignis; & licet diabolus se transformare conabatur in Angelum lucis, doctrinam tamen falsam à vera rectè distinxerunt. Sed quales dicemus fuisse herbas quæ dum à pecoribus comeduntur ante solis ortum, mortem adferunt? Non aliæ quàm ceremoniæ & figuræ legis antiquæ, de quibus S. Paulus dixit: *Littera occidit, spiritus autem vivificat:* dum enim illæ comedebantur antequam Christus verus sol illuxisset, mortem adferebant: unde idem Apost. dicebat: *Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit:* Sed dum accipiebantur illustratæ, & emundatæ luce Evangelii, bonæ erant; sic S. Paulus circumcidit Timotheum, & doctrinâ veteris testamenti sæpiùs est usus ad confundendum Iudæos.

*Sine felle fuerũt amaritudinis.*

*Bona à malis discernere poterant.*

2. Cor. 3. 6.

Ad Gal. 5. 2

13. Hæc

*Semper in virtute profecerunt.* 13. Hæc quoque ovium proprietas quòd comedendo semper procedant, optimè illis attribui potest, semper enim in virtute profecerunt, & seipsos in sanctitate, & justitiâ magis, ac magis exercuerunt; juxtà illud S. Pauli: *Fratres ego me non arbitror comprehendisse, sed quæ retrò sunt oblitus, ad anteriora me extendo.* (Ad Philip. 3, 13.) Oves denique fuerunt per promptam obedientiâm, & simplicem submissionem, quia *continuò relictis retibus secuti sunt eum*: (Matt. 4. 20.) per bonam patientiam (ut inquit S. Paulus) *signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia.* (2. Cor. 12. 12.)

*Conditiones ovis rectè S. Philippo conveniunt.* 14. Particulariter quoque loquendo de S. Philippo, duæ præcipuæ ovis conditiones ipsi rectè conveniunt, quæ demonstrari possunt in verbis istis, quibus Dominum rogavit, *Domine ostende nobis patrem & sufficit nobis*: (Joan. 14. 8.) duo quippe in ovibus præcipuè reperiuntur, quorum unum laudatur, alterum vituperatur: laudatur simplicitas, & innocentia; vituperatur stoliditas, unde aliquibus in vituperium datur nomen ovis, aliis in laudem; (*In ovibus laudatur simplicitas, vituperatur stoliditas.*) sicut David de malis dicit; *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*: (Psal. 48. 15.) quasi diceret, quia ovium instar stolidi fuerunt sine intelligētia, ideo in inferno positi sunt: sic etiam de bonis Christus inquit: *Oves meæ vocem meam audiunt*; (Joan. 10. 27.) ubi laudantur veri fideles; ita ut homo simplex & rudis; bonæ tamen vitæ, & resignatæ voluntatis in Deum, verè posset dici ovis. Talis fuit S. Philippus; etenim simplici interrogatione suâ animi simplicitatem parvumque fidei ostendens fundamentum; perfectam tamen subjectionem, & voluntatem ostendit omnino resignatam. (*S. Philippus simplex, & rectus.*)

15. Ab ejus ergo simplicitate exordiamur, *Domine ostende nobis patrem.* (Joan. 14. 9.) (*Nesciebat patrem Christi.*) Tribus annis continuis cum Christo conversatus fuerat, se ipsum illi discipulum tradiderat, deseruerat patrem & matrem; ignorabat tamen utrum Christus patrem haberet aut matrem, vel cujus esset filius. Tobias senior perspicacior intellectu, quàm visu, ductore filii sui reperto, primò genus ac parentes ejus inquisivit, quis esset, quomodo vocaretur, &c. *Rogo te* (dicebat) *indica mihi de qua domo, aut tribu es tu?* (Tob. 5. 16.) cui Angelus in formâ adolescentis respondebat; *ne fortè solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius*: nolo (dicebat Angelus) suspicionem aliquam tibi relinquere, ut cogites me te velle decipere, idcircò nomen meum, & genus tibi indicabo; apud Hebræos siquidem commune erat, nomen patris pro cognomine usurpare, unde Christus vocabat S. Petrum *Simonem Ioannis* filium nempè Ioannis. Philippus tamen Christum sequebatur, absque ullâ cognitione familiæ aut tribus, quod magnæ (*Simpliciter Christum sequebatur.*)

 ipsius

ipsius simplicitati adscribendum videtur.

*Nescit Alphabetum Christi scholæ.* 16. Quid de eo diceremus qui tribus annis scholas frequentasset, & needum didicisset alphabetum? magnæ profectò stoliditatis, & defectus ingenii esset argumentũ: sanctus autem Philippus jam tribus annis in schola Christi conversatus, needum tamen alphabetum illius sciebat: quod est alphabetum hujus scholæ? Christum esse filium Dei. Cùm Apostoli Christum sequi inciperent, semel ab illo examinati sunt utrum nossent Alphabetum, *Vos autem quem me esse dicitis?* (Matth. 16. 15.) Simon Petrus in persona omnium respondit; *Tu es Christus filius Dei vivi*: Philippus tamen illud needum didicerat, unde dicit magistro: *Domine ostende nobis patrem*; Propterea meritò Christus illum reprehendit dicens; *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me?* (Joan. 14. 9.) Quæ est ista simplicitas? siquis autem dicat, eum tunc intellexisse de patre celesti; major erit simplicitas, Deum enim videre volebat oculis corporeis: recordari enim debuerat, dixisse Deum, *Non videbit me homo & vivet.* (Exod. 33. 20.)

*Falsitatis videtur arguere Christum.* 17. Videtur etiam extra propositum locutus, & quasi Christum falsitatis arguisse: cùm enim de suo patre dixisset, *amodo cognoscetis eum & vidistis eum*; (Ioan. 14. 8.) Philippus inquit: *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*: Christus dicit *Vidistis eum*, & ipse dicit, *Ostende nobis*, quasi nunquam vidisset, in quo videtur falsitatis arguere Christum. Solummodo bene videtur locutus, dum dicit; *Et sufficit nobis*, appetitus enim & intellectus solâ visione beatificâ satiantur. Ego tamen credo Philippum hoc non intendisse, nec tam altè perscrutatum esse, nec fortè credidisse patrem Christi esse Deum, imò præsupponere videtur, patrem majorem filio; credebat enim visionem patris satiare posse, non filii. Loquitur ergo simpliciter. Sed cur Deus voluit hoc Evangelium in Festo ipsius legi? aut cur hoc in Evangelio scribendum decrevit? possem dicere Deum hoc permisisse, ut indè varia erueret mysteria: dicam potiùs hoc factum, ut S. Philippi cognosceremus simplicitatem, & quàm longè abfuerit à sapientiâ humanâ, & per consequens divinæ gratiæ & sapientiæ aptior. *Cur hoc Evangelium in festo ejus legatur?*

18. Divinam sapientiam solemne quondam instruxisse convivium sacra refert Scriptura: *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, posuit mensam*: (Prov. 9. 1.) sed quos putatis fuisse invitatos? conveniens sanè videbatur ut sapientes invitaret, Aristotelem, Platonem, aliosque à multis sæpe ad convivia convocatos, ad simul colloquendum, & disputandum; quæ enim societas stulti cum sapien- *Sapientia divina ad convivium simplices vocat.*

piente? Quæ colloquia miscere poterunt? Hic tamen omninò contrarium accidit, non enim legimus sapientes invitatos sed insipientes & infantes, sic enim dixit: *Si quis est parvulus veniat ad me, & insipientibus locuta est, venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Quid mirabilius reperietur? ipsa est sapiens, imò sapientia ipsa, & neminem secum vult invitare sapientem. Rationem vis scire? sapientia illa cælestis est, cibiq; illi non sapientibus terrenis, sed simplicibus, & ignorantibus placere possunt. Aristippus Philosophus, duplicem ab illis discipulis exigebat mercedem qui aliorum magisterio edocti erant, rationem autem assignabat, quia duplicem subire debebat laborem, primò ut oblivíscerentur istorum, quæ didicerant, secundò ut doceret illos doctrinam propriam. Idem multò magis in schola Christi requiritur, dicit enim S. Paulus: *Si quis inter vos videtur sapiens in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens*: oportet videlicet primò oblivisci sapientiæ mundanæ, & postea aliam veram addiscere sapientiam.

Prov. 9. 4.

*Sapientia cælestis simplex, & humilis.*

*Aristippus duplicem à discipulis exigebat mercedem.*

1. Cor. 1. 18.

19. Ad convivia numquid famelici invitari solent? & quis magis convivium sapientiæ appetere potest, quàm qui se profitetur ignorantem? bene ergò *parvulis, & insipientibus locuta est.* Ioannes Euangelista in suâ Apocalypsi, mysteriosum vidit librum signatum sigillis septem, & consequenter difficillimè aperiendum, nec aliquis in mundo inveniri poterat, hoc officio dignus; unde multum contristatus Angelum dicentem audivit; *Ne fleveris, ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David aperire librum, & solvere signacula ejus.* Sed ecce aliud hîc contigit non minùs mirandum, dum enim expectat Leonem qui librum aperiret; Agnus se offert, qui accipit librum, & aperit. *Et vidi & ecce Agnum stantem tamquam occisum, & venit, & accepit de dextra sedentis in throno librum*, &c. Sed quid sibi vult quod promittatur Leoni apertio libri ob victoriam adeptam, & postea non Leo, sed Agnus librum aperit? non dubium quin utrumque eumdem significet, Christum videlicet, qui Agnus exstiterat in passione propter mansuetudinem, & in resurrectione Leo propter fortitudinem, & victoriam mortis; ut inquit S. Bernardus: *Qui Agnus extiterat in passione, Leo factus est in resurrectione*: Leo in quantum Deus, Agnus in quantum homo.

Prov. 9. 4.

*Mysterium magnum in apertione libri.*

Apoc. 5. 1.

Apoc. 5. 5.

*Cur Agnus aperuerit librum & non Leo.*

Vbi supra 6.

*Christus in passione Agnus, in resurrectione Leo.*

S. Bernard. serm. 14. ex parvis.

20. Sed cur in primo loco Leo dicitur, in secundo Agnus apparet? mysterium hoc pulcherrimum est, attendite: cùm diversa nomina, variique tituli Christo attribuantur, propter varias virtutes, dignitates, & offi-

cia: sapientissimè à Scriptura sacra nunc hi, nunc illi secundum diversas actiones & officia ipsi ascribuntur. Sicut enim Christus patrem suum cælestem variis nominibus appellat, nunc agricolam, cùm de putatione vineæ agit: nunc Regem, cùm de imperio loquitur, nunc patremfamilias, cùm de gubernatione domus tractat; sic nos quoque in vulgari uti solemus sermone, non enim v. g. dicemus Iulium Cæsarem ut generosum ducem, multa eleganter scripsisse, sed ut doctus & eloquens; sic è contra non referemus illum multas habuisse victorias ut doctus, sed ut miles. In comædiis quoque variæ introducuntur personæ, & unusquisque secundum exigentiam vestitur officii. Sic in Apocalypsi, cùm S. Ioannes loqueretur de victoria, nulli melius Christum comparare poterat, quàm Leoni qui fortissimus est inter omnia animantia; *Vicit Leo de tribu Iuda*. Loquendo autem de apertione libri, cùm hic non sit actus fortitudinis, non illum ut Leonem sed ut Agnum adducit, qui propter mansuetudinem, & humilitatem, majorem habet proportionem cum rebus divinis, quæ non revelantur nisi humilibus, & simplicibus; *Super quem enim, requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & compunctum corde?* Hæ autem conditiones in Agno resplendent: etenim non in similitudine Leonis fortis, non Aquilæ perspicacis, non astutæ vulpis, sed in similitudine Agni simplicis, & mansueti, Salvator librum aperit, & docet nos secreta cælestia, & altissima divinitatis mysteria.

*Christus variis nominibus appellatus.*

Apoc. 5. 5.

*Christus ut Agnus nobis secreta revelat cælestia.*

Isai. 66. 2.

21. Sicut ergo victoriæ ascribuntur fortitudini Leoninæ, sic intelligentiæ secretorum, & mysteriorum cælestium, simplicitati Agni. Vnde Christus gratias agit patri cælesti quòd hæc solùm revelaverit parvulis; *Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Sicut enim nemo meliùs cognoscet vocem Agni nisi pecora ejusdem speciei, ut sunt oves; sic ut quis bonus evadat Christi discipulus, & mysteria divina intelligat, necesse est ut per simplicitatem, & humilitatem Agnus evadat; ideòque rectè inquit Sapiens; *Cum simplicibus sermocinatio ejus*; his sua secreta revelat. Quod bene attendens S. Hieron. ait: *Sermocinatio Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitatis nil habere considerat.* Et S. Gregorius Papa. *Cum simplicibus sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.*

*Vt Leo vincit mundum & diabolum.*

Matth. 11. 25.

*Simplices divina percipiunt mysteria.*

Prov. 3. 32.

S. Hieron. in caput 3. Proverb.

S. Gregor. 3. p. past. adhort. 12.

22. Hic quoque considerandum Christum dum discipulis dixit; *Ecce ego mitto vos sicut oves*

Matth. 10. *in* 16.

*in medio luporum*; subjunxisse, *estote ergo prudentes sicut serpentes.* Vbi notanda illa particula *ergo*, quæ rationem reddit, cur debeant esse prudentes, quia mittuntur ut oves, sed hæc consequentia non videtur congruere proposito: mitto vos ut oves, estote ergo sicut serpentes; nũquid Domine naturam mutare debebunt, cùm à te recesserunt? vel etiam cùm sunt oves vestire se debebunt ut serpentes? quomodo hæc poterunt exequi? noverat Christus veram proximamque dispositionem ad prudentiam serpentis, simplicitatem ovis esse, propterea dicebat; *Mitto vos sicut oves*, in proxima nempe dispositione ut recipiatis prudentiam serpentum; primò enim ista simplicitas præcedere debet. Non ergò vestrâ negligentiâ hæc desit, sed *estote prudentes sicut serpentes*: ita quippe simplicitas prudentiæ conjuncta, ut difficillimè separari possit; ut ait auctor sermonum ad fratres in Eremo, S. August. ordinariè asscriptorum: *Annexa ad invicem sunt, ut unum sine altero, aut parum, aut nihilum omninò proficiat, simplicitas enim sine astutia, stultitia reputatur, astutia sine simplicitate, superbia vocatur.* Et S. Gregorius Papa; *In Scriptura sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, sæpe prudentiæ, aut rectitudini sociatur. Esse valde inutile judicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit; quatenus & serpentis astutia, columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.*

*Quomodo Apostoli ut oves & serpentes esse debent.*

*Proxima dispositio ad sapientiam divinam est simplicitas.*

Matth. 10. 16.

S. August. serm. 14. ad fratres in Eremo.

S. Gregor. lib. 4. Epist. 31.

23. Non ergo mirum si S. Philippus primò simplex, & innocens ut ovis fuerit, postea verò sapiens, & prudens ut serpens evaserit. Recordor istius Romani Ducis Brutus cognomine, qui Tarquinios Româ expulit, hoc eum cognomen adeptum, quia rudis esset ingenii; nihilominus opus singulare, & admirandum effecit, liberans patriam à tyrannide Tarquiniorũ. Ad quod factum demonstrandum (ut inquit Pierius) finxerunt ovem, Regem ad terram dejicientem; sed meliùs, meo judicio, exhibuissent ovem lupum in fugam convertentem, tyranni quippe lupi sunt qui pecora occidunt. Imo ipse Brutus melius quàm aliquis intellexerat oraculum datum Tarquiniis, ut si vellet succedere in Regnum patris, primò deberet osculari matrem, terram videlicet. Similiter S. Philippus licet ovi assimularetur, missus tamen in Scythiam, se leonem exhibuit, ex illa quippe regione lupum infernalem ejecit, & barbaras illas gentes, ex tyrannide diaboli ad Christianam adduxit libertatem. Vnde bene Christus Apostolis dixit, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Nam ipsis talem attri-

*S. Philippus primò simplex, postea sapiens.*

*Brutus Tarquinios devicit.*

*S. Philippus se Leonem ostendit.*

Matth. 10. 16.

attribuit virtutem, ut multi lupi ultrò se ovibus devorandos traderent, sive potiùs in oves ipsas converterentur. Intellexit insuper S. Philippus oraculum divinum, oportere eum osculari matrem, quam cognoscebat esse crucem cum quâ matrimonium inierat filius Dei, & nos in ea spiritualiter genuerat. Hæc autem crux à S. Philippo osculata fuit, cùm ad similitudinem Redemptoris illi affixus acquisivit Regnum Dei, conformiter ad illud Oraculum Divi Pauli, *Si compatimur, & conglorificabimur.*

*Sanctam Crucem complexus ut matrem.*

Rom. 8. 17.

24. Sed quid de virtute ejus quam his verbis demonstravit referam? *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis?* Hæc verba fuerunt plena reverentiâ, charitate, & abdicatione omnium rerum mundanarum; *Domine* ecce reverentia, quia licet Christus dixerat: *Iam non dicam vos servos sed amicos*, & secum uni mensæ assidere fecerat, vocat tamen illum Dominum. *Ostende*, ecce abdicatio, cùm enim Dominus dixerat, *In domo patris mei mansiones multæ sunt*; non dixit conserva mihi unam, sed solùm petit videre; sint tot mansiones ut voluerint, si solùm dignus sum videre patrem, sufficit mihi: nec hoc solùm pro se petit, sed pro omnibus aliis; non sicut filii Zebedæi, qui primas sedes pro seipsis cupiebant, nec ut hujus temporis Aulici plerique, qui favores & gratias sibi soli servari vellent, ut Aman gloriabatur, se solum cum Rege ad convivium Esther vocatum: *Regina quoque Esther, nullum alium ad convivium vocavit præter me*: quibus verbis non tantùm gloriari indicabat se invitatum esse, sed se solum, quasi verò bona aliis communicata perdantur. Vnde Seneca insignis liberalitatis magister, docens modum conferendi beneficia quæ essent grata inter alias conditiones requirebat, ut illa quasi singularia efficerent: *Qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitet quomodo & multi obligentur, & tamen singuli habeant aliquid, quo se cæteris præferant.* Sed non talis erat S. Philippus (ut norat S. Bernardus) cùm enim sponsa dixisset, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, sociæ ipsius adjunxerunt, *Exultabimus, & lætabimur in te*, quasi dicerent; si bene habueris, participabimus & nos, cùm non sola gaudere soles; ut exponit S. Bernardus; *Scientes plenis ad nos reversuram uberibus.*

*His verbis resignationem voluntatis & reverentiam ostendit.*

Ioan. 14. 8.

Ioan. 15. 15.

Ioan. 14. 2.

*Non sibi soli gloriam petiit.*

Esther 5. 12.

*Vt solent homines.*

Seneca l. 1. de benef. cap. 14.

Serm. 23. in Cantic.

Cant. 1. 3.

25. Magnum denique rerum omnium contemptum ostendit cùm dixit; *sufficit nobis*; si nullas habueris divitias Philippe quomodo vives? si non domum, ubi habitabis? si non cibum, quid manducabis? contētor (inquit) omnia abdicare, dummodò videam patrem, quia aliud cor meum non desiderat. Magna

*S. Philippus promptus in paupertate.*

Ioan. 14. 9.

*Appetitus hominis insatiabilis.* gna sanè res humanus appetitus, sicut Hydra est, in qua uno amputato capite septem alia surgebant, sic uno desiderio humano completo, septem alia resurgunt, nec umquam satiatur; imò teste Sapiente sanguisuga est cui *duæ sunt filiæ dicentes affer, affer*; sanctus tamen Philippus putat se satiandum unico aspectu patris: quod signum est cor suum nihil aliud in hoc mundo desiderasse. Recordabatur fortè istius quod Moysi promissum erat, dum Deum videre cuperet, *Ego ostendam tibi omne bonum*, sic meritò videndo omne bonum saturari poterat; fortè erat Davidis memor dicentis: *Dominus regit me; & nihil mihi deerit*, cogitabat enim, si Deum mecum habuero, nihil mihi deesse potest: sic populo Israëlitico nihil umquam in deserto defuit, dum Deum secum haberet.

Prov. 30. 15.

*In Deo satiandum se sperat.*

Exodi. 33. 14.

Psal. 22. 1.

*Simplex cõfidentia in Deo.* 26. Sed nimis sapientem S. nostrum Philippum hîc facimus, & meliùs illum in prima simplicitate, quâ conversus subitò Dominum secutus est, relinquemus; sicut enim ad primum Salvatoris verbum relinquens omnia, quasi ad ostensionem rami viridis, spem magnam rerum omnium proponentis secutus est; sic modò, si viderit patrem se omnia desiderabilia habiturum, confidit, ideoque dicit: *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*. Si enim à Deo adeò laudata Salomonis petitio, quia non diuturnam vitam, divitias, aut vindictam inimicorum petierat, sed sapientiam; Quantam putas laudem meruisse S. Philippum, qui non dives, nec Rex ut Salomon erat; nihil tamen aliud petebat, nisi videre patrem sui magistri? Et si talis in principio antequam spiritum sanctum acceperat, qualem putatis illum fuisse post receptionem sanctissimi Spiritus? Maxima enim dona animæ per simplicitatem cordis dispositæ confert: hic siquidem Spiritus eam potissimùm requirit, ideoque sæpiùs in specie columbæ apparuit, quæ simplex est & mansueta. Ad hanc quoque imitandam, exhortabatur Salvator dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*; & Sapientia divina dicebat; *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, fraudulentiam nempe & duplicitatem, quia simplicitate maximè delectatur. Cùm igitur S. Philippus plurimùm in hac virtute excelluerit, abundantissimè Spiritum sanctum recepit. Zelo ergo prædicationis repletus non modò in Scythia genti barbaræ & rudi Euangelium prædicavit; sed in Phrygiam se conferens cruci affixus, lapidibus obrutus fuit.

Joan. 14. 8.

3. Reg. 3. 11.

*A Deo laudata ejus simplicitas.*

Matth. 10. 16.

Sap. 1. 5.

*Spiritu sancto abundè repletus.*

*Cur in cruce lapidibus appetitus.* 27. Sed quid sibi vult, persecutores ejus non sola fuisse crucifixione contentos; verùm etiam lapidare eum voluisse? Nónne crucis tormentum sufficiens erat, ut mortem inferret? Numquid

major fuisset pœna, lentâ morte in cruce mori, quàm lapidibus obrutus subitò occumbere? fortè inter judicem & populum dissensio erat quâ morte plectendus? cumq; judex cruci affigi jussisset, populus nihilominus eũ lapidare volebat ut acervo lapidum sepultus jaceret; cùm enim Ecclesia in officio divino referat, lapidibus obrutum fuisse; signum est magnam fuisse lapidum quãtitatem. Sed unde illis nasci poterat odiũ in hominem tam sanctum, ut eum crudeli adeò morte necarent? Credo equidem propter ferventem prædicationis zelum quo vitia increpabat, & fidem Christi annuntiabat, id accidere potuisse; vel quia falsos ipsorum deos destruebat, ac cultum prohiberet dæmonum; ex quo diaboli populum adeò crudeliter contra S. Philippum instigabant.

*Satanæ astutiâ id peractum.*

28. Dicamus quoque id satanæ astutiâ peractum, qui S. Philippum cruci affixum cernens virtutem crucis tardè agnovit; sicut enim in Christo deceptus fuit, ideoq; Iudæos contra illum, omni modo instigavit, ne in cruce moreretur, excitans illos ut clamarent; *Descendat de cruce, & credimus ei*, mulierem quoque Pilati commovens, ut impediret crucifixionem; *Nihil tibi, & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Pari modo S. Philippum cruci affixum cernens, quantamque virtutem crux habere cognoscens, nec aliud remedium liberationis à Cruce inveniens; commovit populum ut non permitterent Crucis supplicio mori, sed lapidibus obrutum vitam adimerent. Duplici tamen mansit confusione oppressus, dum enim pœnam adauxit Martyrij palmam duplicavit triumphi: nec aërem solùm, sed terram quoque suâ morte purificavit.

Matth. 27. 42.

Matth. 27. 19.

*Diabolus deceptus in morte S. Philippi.*

*Sancta crux terram & aerem sanctificavit.*

29. Fuit aër primò à Christo sanctificatus, cùm elevatus in crucem acerbissimam sustinuit mortem, ad hunc enim præcipuè finem (ut asserũt S. Athanasius, & D. Thom.) præ cęteris hanc mortem elegit. Quod sciens invidiosus dæmon morte scelestissimi Iudæ, aërem terramque venenoso flatu rursus inficere conabatur, cui malo Salvator noster occurrere volens, permisit quosdam ex discipulis in cruce mori ut aërem iterum purificarent. Et maximè ad hoc elegisse videtur S. Philippum, sicut enim Iudas in arbore suspensus, non ibi vitam finivit, sed effudit in terram viscera sua, ut illam quoq; suâ morte inficeret; sic S. Philippus non solùm in aëre suspensus illum purificavit, sed etiam lapidibus oppressus in terram decidens illam suâ morte sanctificavit.

*à Iuda infectam S. Philippus purificavi.*

*Indignati sunt ob hilaritatem illius.*

30. Aliam fortè rationem probabiliorem adducere possem; quia nimirum ipsum tam alacri animo, lætoque vultu mortem illam suscipere videbant, arbitrati sunt

sunt eum nullum in cruce sentire tormentum; & dubitantes si hâc morte mori posset, lapidibus potiùs obruere voluerunt, quàm sic placidè morientem conspicere. Debebat tunc Philippus animo revolvere, se brevî compotem futurum desiderati aspectus patris, quem à Christo tam ardenter petierat: *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*: unde toto corpore exhilaratus, una hora videbantur ipsi mille anni, ut desiderium suũ adimpletum cerneret. Vel etiam recordari poterat istius dicti Christi; *Non turbetur cor vestrum neque formidet*, ideoque in tormentis etiam se turbare noluit, aut tristari; quod videns hæc barbara gens, non solùm ipsum occidere cupiebant; verùm etiam lapidibus ita obruerunt, ut ne faciem quidem videre possent.

Ioan. 14. 8.

*S. Philippus in passione hilaris.*

Ioan. 14. 28.

*Cur lapidibus obrutus?*

31. Quia hæc quoq; in Phrygia ubi Troja olim fuit acciderunt; recordati sunt fortè istius quod Homerus refert in obsidione Trojana: Achillem oppugnasse quemdam, qui (ut fabulantur) virtutem à Diis acceperat ne lędi posset; ideoque terrâ illum obruens, vitam ademit. Similiter suspicantes S. Philippum hilariter persistentem virtutem habere occultam ob quam mori nõ posset, lapidibus illum opprimere voluerunt; unde gloriosissimus potest reputari martyr: primò quia eâdem morte quâ magister suus Christus affectus fuit; 2. quia lapidibus obrutus, & quasi acervo sepultus, tot fidei suæ reliquit testes, quot lapidum sustinuit ictus.

*Acervus lapidum testimonium fidei.*

32. Quod autem acervus lapidum perfectissimum sit fidei testimonium ab antiquissimo usu probari potest, dum enim rei alicujus peractæ permanere apud posteros volebant memoriam, acervum lapidum constituebant. Sic in Genesi legimus Iacob & Laban in monte Galaad mutuo fœdere inito, dixisse Iacob: *Afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum, quem vocavit Iacob acervum testimonij*. Pari modo decepti occisores S. Philippi, non recordati sunt hoc ipsi in honorem potiùs quàm dedecus cessurum, cùm per hoc fidei ipsius testimonium maximè augebant, unde rectè de ipsis communiter dicitur, *serò sapiunt Phryges*.

Genes. 31. 46.

*Cur Martyres in passione hilares.*

33. Seipsum denique in passione lætum hilaremque exhibuit; nam si ipse aliique Martyres non se alacres in tormentis monstrassent, quis umquam credere potuisset, possibile fuisse quod Christus Discipulis dixerat; *Non turbetur cor vestrum neque formidet*. Maximam Chymistæ usarunt diligentiam, ut argentum vivum quietum redderent, æstimantes eos tunc posse illud in pretiosissimum metallum, argentum vel aurum convertere. Sic Philosophi maximum adhibuere studiũ, ut cor humanum variis desideriis

Ioan. 14. 28.

*Cor humanũ cur semper inquietum.*

fluctuans pacatum redderent, putantes tunc hominem beatum fore, cùm ab omni esset desiderio solutus: sed in vanum laborarunt, Salomon quippe cùm omnia perlustrasset, dixit: *Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Natura quoque in cordis formatione idem intendisse videtur, ex temperamento enim ignis calido & sicco illud constituit, ac propterea ad modum ignis semper nova appetit. Figuram quoque pyramidalem attribuit cum puncto inferius, quomodo ergo consistere potest? Interius concavum, & vacuum est quomodo repleri poterit? Vita ejus in continuo consistit motu, quomodo quietem obtinebit? Spiritus veloces agilesque generat, quomodo hi quiescere poterunt? Talis quoque naturæ est, ut omnia ipsum conturbent, prospera dilatant, adversa constringunt, contraria ad iram accendunt, amabilia ad se attrahunt, timidiora in fugam convertunt, ex seipso quoque vipereos quasi generat filios illud rodentes, quomodo ergo pacem habebit? His tamen non obstantibus cùm S. Philippum inter lapides, & tormenta gaudere, ac lætari videamus, ostendit se à Christo recepisse quod nos toties exigimus, ut inter tot calamitates cor nostrum quietum maneat.

Ecclesiast. 2.11.

*Ex formatione & natura inquietum.*

34. Arcus Cælestis in Scriptura sacra symbolum est pacis, juxtà illud Genesis: *Arcum meum ponam in nubibus cæli, ut sit signum inter me, & inter terram.* Apud Poëtas autem gentiles, pro symbolo habetur discordiæ, seditionis, & iræ: unde Homerus Iridem ancillam Iunonis indignantis appellat, ipsique hunc attribuit titulum, *haud ignara nocendi.* Imò dicit ipsam concitasse mulieres Trojanas, ut naves incenderent.

Genes. 4. 13

*Arcus Cælestis symbolum discordiæ apud gẽtiles.*

Et licet hæc Poëtarum auctoritas non possit divinæ derogare, cùm tamen simul conciliari poterunt, melius erit. Quomodo ergo hæc duo concordare poterimus? Dicendo fortè Iridem aliquando esse serenitatis signum, aliquando pluviæ? Ideoque Deum qui magis ad pacem inclinatur illud pro symbolo pacis posuisse, hominem verò ad iram, & discordiam pronum, hanc potiùs voluisse significare? Vel etiam cùm ex natura sua non sit symbolum discordiæ; sed quia Iunonis fingitur ancilla, quæ ambitiosa & invida est, in sacris autem litteris accipitur pro symbolo pacis, quia à Deo facta est; idcirco non absolutè dicit *arcum*, sed *arcum meum ponam in nubibus cæli.*

*In Scriptura sacra symbolum pacis.*

Gen. 4. 13.

35. Meliùs tamen dicere poterimus, quod apud homines est signum belli, discordiæ & seditionis; hoc apud Deum esse signum pacis, amicitiæ, & benevolentiæ: quia pacem à Deo pro-

*Pax divina in tribulatione.* promissam magis in tribulatione & calamitate experimur, juxtà illud Evangelij hodierni, *Non turbetur cor vestrum, neque formidet:* (Ioan. 14. 28.) Quod planissimè in martyrio S. Philippi cognoscere poterimus qui lapidum acervo contectus, vitam finivit. (Gen. 31. 45.) Acervum autem lapidum testimonium fuisse pacis, & fœderis, ante vidimus. *Acervus lapidum testimonium pacis.* Crudeles ergo homicidæ, putantes mortem acerrimam S. Philippo illaturos, pacem ipsi perfectam, perpetuamque annuntiarunt quam in cælis adipisci deberet.

# IN FESTO
# S. IACOBI MINORIS
# APOSTOLI
## DISCVRSVS NONVS.

*De perfecta ejus obedientia, humilitate, & abstinentia.*

Delphinus ad ſonum muſicæ in mari ſaltans.

*Velox ad audiendum.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Delphini refert proprietates primus 7. num.*

*Eas S. Iacobi doctrinæ convenire oſtendit num. 8. 9.*

*Promptam in ſpiritualibus obedientiam ex ſolo auditu adhibendam docet: à num. 10. uſque ad 18.*

*Linguam frænandam ne iræ detur occaſio probat à num. 19. uſque ad 25.*

*Orationem, abſtinentiam aliaſq; ejus virtutes, à num. 26. ad finem uſque proſequitur.*

*Delphini ad muſicam ſumma inclinatio.*

1. DElphini laudes ſi quis decantare vellet, non inferiori muſicâ quã Arionis (quâ illos è mari inſtrumentis ſuis allexiſſe fertur) opus haberet. Ea ſiquidem Delphini eſt naturæ excellentia, inclinatio ad muſicam, & affectus erga hominem; ut meritò à ſublimi ingenio laudari debeat. Muſicæ quoque inſtrumentorumque luſui in tantum eſt addictus, ut ſi lenis harmoniæ ſonus auribus ejus intonet; adunco roſtro furioſas diſrumpens undas, mille ſaltibus ad littus appropinquare gaudet, ut viciniore perfruatur cantus ſuavitate. Idque tantâ celeritate perficit ut arcui & ſagittæ comparari poſſit; arcui propter corporis inflexionem, ſagittæ propter velocitatem: in his autem tam largè à defatigatione abeſt, ut in fine celeriùs quàm in principio ſe ſaltibus efferat. Quam velocitatem Plinius tantam eſſe ait, ut non piſcium ſolum & animalium quorumcumque celeritatem: verumetiam ſagittas

*Velocitas in motu.*

Plinius lib. 9. cap. 8.

gittas emissas superare videatur. Non recto tamen tramite conficit iter, sed variis corporis inflexionibus ac saltibus; quasi ad instrumentorum, aut musicæ numeros varias formans saltantium figuras. Nunc se supra aquas erigens; nunc in orbem flectens; nunc à latere movens, nunc velociùs currens, nunc se aquis abscondens, ac mille gyris & festivis saltibus animi exhibens lætitiam se ludentibus pronus offert: gratiasque quasi lingua referre non potest, membrorum motibus, ac hilari applausu reddere conatur.

*Gratitudinis indiciū.*

*Nec dormiēdo quiescit.*

2. Tanto porrò delectatur motu ut dormiēs quiescere nesciat: dum enim se somno gravari sentit, corpus supra aquis sistens gravitate ejus paulatim descendit, eousque somnum protrahens, donec corpore fundum attingat, sicque evigilans, rursum ad superiora conscendens, denuò se somno dat teste Plutarcho. Quod aliquis emblematicè hoc dicto expressit: *In motu quietem*, & alius hoc versu, *Et dormiens requiescere nescit*.

Plutarch. opusc. utra animalia.

*Affectus erga homines.*

3. Hæc de motu ejus dixisse sufficiat; ad amorem & affectum erga hominem procedamus, etenim hunc tantum esse reperiemus, ut stupenda, & penè incredibilia erga eum gessisse narretur. Nam ut Arionis fabulam potiùs quàm historiam sileam: Plinius aliique referunt, Delphinos ita in amorem exarsisse puerorum, ut illos quandoque per longum maris tractum deduxerint, ac incolumes reduxerint. Plutarchus quoque ac Cœlius Rodigius narrant Vlyssem Delphinum in scuto portare solitum, eam potissimùm ob causam, quòd filius ejus Telemacus prope littus maris ludens ac lubricitate luti in aquas decidens, à certissimo submersionis periculo, Delphini ope salvatus fuerit. Simile quid Coërano cuidam pario Delphinos exhibuisse narratur: ille siquidem dum captioni interesset piscium, ibique Delphinos à nautis statim perimendos conspiceret, misertus eorum ac pretio redimens, liberos in mare dimisit. Contigit autem ut idem non multo pòst tempore denuò mare conscenderet, sed immani exortâ tempestate omnibus pereuntibus, solus ipse Delphinorum adjutus subsidio ad littus incolumis delatus fuit: Adjungit insuper Plutarchus eo mortuo, cùm exequiæ prope mare fierent, magnam Delphinorum advenisse multitudinem, ibique tam diu hæsisse, dum funeri supremus luctus exhibitus esset.

Plutarch. de compar. animaliū. Cœlius Rodig. lib. 8. antiq. lect. cap. 5.

*Delphini in benefactores grati.*

4. Hæc (ut verum fatear) fabulam potiùs quàm veram sapiūt historiam. Refert tamen Plinius, ac modernâ comprobatur experientiâ, Delphinos piscationi multum deservire, & ad modum venaticorum canum pisces in rete

Plin. lib. 9. cap. 8.

*Piscationi inserviunt.*

rete compellere, ac se ipsos quandoque captivos reddere, scientes se solitâ libertate donandos. Plutarchus quoque asserit Delphinum dum se captivum sentit, alacriter commorari, seque ex piscibus pariter captis egregiè saturare, littori autem appropinquans, ruptis retibus, in mare iterum prosilit.

5. Non omnes tamen nautæ hac prosequuntur Delphinos benignitate; ferunt quippe in Thracia, particularem institui Delphinorum captionem, parvulorum præsertim, referente Camerario. Cumque unum acceperint, mater alios inde abigens, tam diu captivum sequitur, ut capi se potiùs permittat, quàm prolem derelinquat. Refert insuper Albertus Magnus, ab illis adjuvari eos, qui in periculo sunt submersionis, si odore perceperint, eos numquam Delphini carnes mãducasse. Mutuam quoque servare solent amicitiam, nam Plinio, & Aristotele testibus, si unus illorum captus est, alij gemendo quasi navem misericordiam impetraturi circumeunt: quo exemplo Rex Cariæ permotus, dum unum cepisset liberum abire permisit. Majores etiam minores tuentur, & comitantur ne pereant incauti.

*Erga filios amor.*

Albertus Magnus lib. 24. de animalibus.

Aristot. l. de animal. *Mutuus amor.*

6. Quantò autem sunt mitiores amicis, tantò terribiliores sunt inimicis. Delphinus siquidem quasi se regem cognosceret piscium, ab hostibus Regnum purgare conatur; ideò Crocodilos è Nilo venientes, ac pisces obvios devorantes, industriâ suâ miro modo interficit. Dum enim se viribus ac corpore inferiorem se conspicit, ventrem crocodili mollem ac tenerum, spinis acutissimis quas dorso gerit perforans, viscera pariter extrahit, sicque ferocem illam bestiam industria enecat. Quod ex ore Basilij Ægypti Præfecti qui illud viderat, narrat Seneca.

*Crocodilos spinis dorsi in ventre enecant.*

Senec. l. 4. quæstion. natural. cap. 2.

7. Verum quidem est tyrannis eos similes videri posse, dum de alieno gaudent infortunio: Etenim maris tempestate, & inclementiâ cæli imminente, subitò omnes super aquis apparent saltantes, unde nautæ brevî maris turbationem imminere censent. Sicut tyranni de commotione gaudent provinciæ, hac quippe occasione bonis alienis ditescere sperant. Nisi fortè dicere velimus, eos S. Iacobum imitari Apostolum, qui suos docebat discipulos in tribulatione gaudendum, ait quippe: *Omne gaudium existimate fratres mei dum in tentationes varias incideritis*. Pariter Delphini non de malo, & ruina proximi, sed in maris tribulatione sese extollunt.

*Tyrannis videntur similes.*

*In tribulatione gaudent.*

Iacob. 1. 2.

8. Nec hanc solam S. Iacobi doctrinam, verùm & aliam ab ipso didicisse videntur; dum enim velociter ad audiendum accurrunt, quis nescit illos Apostoli observare præceptum, *Sit autem omnis homo*

*S. Iacobi imitantur doctrinam.*

Jacob. 1. 19.

*homo velox ad audiendum*; si Delphinus tardus sit ad loquendum, nec alias profert voces nisi gemēti similes, & hoc rectè insinuavit Apostolus; *& tardus ad loquendum.* Si numquam homini irascitur, nisi quando illum sentit Delphini comedisse carnes, adimplet S. Iacobi dictum, *& tardus ad iram.* Si pisces fugientes in rete compellit, ac ut capiatur efficit: in hoc quoq; S. Iacobi sustinere videtur sententiam, dicentis: *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore via suæ, salvavit animam ejus à morte.* Si crocodilum spinis dorsi per ventrem enecat; non videtur vobis illum bene intellexisse illud Apostoli: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ?* Quasi dicere vellet, beatus qui vincet tentationem quæ crocodili instar nos devorare cupit, immortalem quippe recipiet coronam. Sed quomodo tentatio hæc est superanda, manibus an dentibus? minimè, sed se illi supponendo, illamque patienter sustinendo, hoc enim innuit illa sententia, *qui suffert tentationem.*

*Tardi ad loquendum & irascendum.*

Iacob. 5. 20

*Sufferunt tentationes.*

Iacob. 1. 13

9. Si motum corporis sono accommodat instrumenti, non hęrens longè, sed appropinquans; nónne fugit errorem à S. Iacobo detestatum his verbis: *Estote factores verbi & non auditores tantùm*; non enim sufficit audire prædicationem Evangelij, sed statim executioni mandanda est. Si continuus est Delphinus in motu, vixque terram attingit, quin statim denuò ascendat, in hoc quoque S. Iacobi doctrinam recepisse videtur, dicentis; *Multum valet deprecatio justi assidua.* Si benignum, & humanum se ostendit erga socios, & homines quos adjuvat: & in hoc observat Apostoli mandatum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* In omnibus igitur bonum S. Iacobi discipulum se monstravit Delphinus, ideoque meritò symbolum ipsius constituitur. Etenim S. Iacobus nihil alios docebat, quin priùs exequeretur, optimè cognoscens eos qui alios docere cupiunt, ad hoc obligari: Ideò dicebat: *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis.*

*Auditu percepta subitò exequitur.*

Iacob. 1. 12

Iacob. 5. 16

Iacob. 2. 8.

*Delphinus meritò S. Iacobo assimulatus.*

Iacob. 3. 1.

10. Primò ergo fuit S. Iacobus (ut initio posuimus) *velox ad audiendum*, quod antequam probemus, videndum est, quomodo sit intelligendum; etenim si omnes alij sensus magnâ debeant cautelâ custodiri; cur non idem præcipitur auditui? fortè per auditum non potest aliquod anima recipere damnum? Imò tota nostra miseria inde provenit; si enim prima parens nostra Eva, non præbuisset aurem suggestioni serpentis, peccatum non haberemus, nec mors in orbem terrarum introducta esset. Sapiens quoque sciens quanta per auditum contingant damna, bonum nobis consilium insinuat, *sepi aures tuas spinis*, quomodo

*Quomodo fuit velox ad audiendum.*

*Auditus totius mali occasio.*

Ecclici. 28. 28.

modo ergo S Iacobus eas semper aperiendas asserit, ut statim percipiamus quæ dicuntur?

*In spiritualibus auditus adhibendus.*

11. Respondeo hic breviter S. Jacobum non velle ut veloces simus ad quævis audienda, cùm sciret esse dictum Apostoli Pauli, *corrumpunt mores bonos colloquia prava*; sed loquebatur de verbo divino, ad quod audiendum velocissimi esse debemus, cùm totum bonũ nostrum inde depẽdeat. Cur ergo non exprimit se de illo loqui? Respondeo morem esse amantium judicare omnes ut seipsos: cùm enim de nullo quidquam audire vellet quam de objecto amato, credebat alios quoque id ipsum desiderare, sicque absque denominatione *verbi divini*, absolutè dicit: *Sit omnis homo velox ad audiendum*. Pari modo anima amore sponsi flagrans incipiebat alloqui dilectum suum: *Osculetur me osculo oris sui*, neminem nominando, aut præviè dicendo de quo loqueretur; præsupponebat enim unumquemque intelligere de dilecto suo. Ita S. Iacobus cùm primis loqueretur Christianis adhuc in fervore spiritus constitutis, non judicabat majori opus esse explicatione, cùm ipsi continuò verbum Dei audire assueti, de nullo alio eum loqui suspicari poterant, sicque satis erat dictum; *Sit autem omnis homo velox ad audiendum*, quantum videlicet ad verbum Dei attinet.

1. Corinth. 15. 33.

Cant. 1. 1.

Iacob. 3. 1.

12. In spirituali ergo auditione veloces nos esse debere demonstrat Apostolus: Sicut enim in mundanis rebus pluris fit visus quàm auditus; ita in divinis plus æstimatur auditus. In mundanis requiritur oculata fides; nam certius habemus quod oculis intuemur, quàm quod auribus audimus; in divinis autem vix ullam adhibemus oculis fidem, utpote qui sæpè falli possunt; multùm autem tribuimus auditui, cùm certissimus sit fidei nuntius, quia *fides ex auditu*, inquit, Apostolus. Idcircò S. Paulus in Conversione sua, visu spoliatus est; non auditu; ut latè in discursu de eius conversione probavimus. Centurio quoque Christum in cruce, sæpissimè intuitus fuerat, numquam tamen Deum esse noverat, nisi postquam ultima audisset ipsius verba in cruce ad patrem clamantis: & tunc intellexit filium Dei esse; teste S. Marco: *Videns autem centurio quia sic clamans expirasset, ait, verè hic homo filius Dei erat*. Quod S. Bernardus perpendens, inquit: *Ex voce agnovit filium Dei, & non ex facie; auditus invenit, quod non visus, oculum species fefellit, auri veritas se infudit, oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissimâ condemnatum, auri Dei filius, auri formosus innotuit.*

*In mundanis æstimatur visus, in spiritualibus auditus.*

Ad Rom. 10. 17.

*Auditus judicat de fide non visus.*

Marci. 15. 39.

S. Bernard. serm. 28. in Cantica.

13. Prædicta tamen auditus probatio nemini fortè mira videbitur, cùm centurio homo esset gentilis & extraneus, non assuetus

*S. Maria Magdalena ex auditu Christum novit.*

tus alloqui aut videre Christum; idem ergo audi de S. Maria Magdalena, quæ in schola Christi enutrita, & edocta, toties ipsum viderat, & cum ipso conversata fuerat; nihilominus cum in horto post Resurrectionem videns, non agnovit, nisi dum ab ipso vocata fuisset; auditu perveniens quò visu non potuerat. Volens quoque ipsum osculari, prohibita fuit, ut tota fides in auditu consisteret, non in alio sensu, ideò dicebat: *Noli me tangere*: ut illud explicat S. Bernardus: *Dissuesce sensibili sensui, innitere verbo fidei, assuesce*: ratio enim cur oculus in fide aliquando non erret, est, quia gubernatur ab auditu. Vnde Sponsæ Christi dicebat Psalmista: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*, vbi primò dicitur *Audi*, & posteà *vide*, & iterum *inclina aurem tuam*, id est, bis audi & semel vide, ut inter duos terminos auditus, visus inclusus, nullo modo errare possit.

Ioan. 20. 17.
Bernard. ubi suprà.
*Auditus in fide regit alios sensus.*
Psal. 44. 11.

14. Nec solùm visu certior est auditus, sed aliis quoque prævalet sensibus, licet enim plus fidei adhibeatur pluribus testibus, quàm uni soli, ea tamen est fidei integritas, & excellentia rerum spiritualium ut affirmante Deo rem aliquam & omnibus sensibus contrarium judicantibus, plus soli credatur auditui, quàm aliis omnibus simul, ut patet in Eucharistia, & aliis. Sic in Isaac alij sensus decepti fuerunt, solus auditus perfectè cognovit. Odoratus deceptus quia dixit Isaac: *Ecce odor filij mei quasi odor agri pleni*; tactus quoq; quia, *manus manus sunt Esau*: gustus deceptus est, putabat enim se comedere ex venatione Esau: Oculus quoque caligabat & non cognovit eum, solus auditus verum testificabatur: *Vox quidem, vox Iacob est*. Non ergo mirum si S. Iacobus nos ad auditum exhortatur dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum*, quia ipse in primis bene hoc executus fuit: tam velociter quippe Dei vocantis vocem audivit, ut scire non possimus quando primò audire inceperit.

*Ex solo auditu fidei certitudo pendet.*
*Vt patet in Eucharistia*
Genes. 27.
Genes. 27. 22.
*S. Iacobus velox ad vocem Dei audiendum.*
Iacob. 3. 1.

15. Philosophi pulchrè distinguunt inter illa quæ successivè & in tempore generantur, & illa quæ continuò, & in instanti producuntur; de istis dicunt primùm esse aliquod *fieri*, & posteà *factum esse*, de his verò nullum esse *fieri*, sed solummodò *factum esse*, quia de uno extremo ad aliud transitur absque medio: exempli gratiâ qui de frigido fit calidus, transit per medium (per tepiditatem nempe) & paulatim calefit: sed qui à non esse transit ad esse, nullum habet medium in quo subsistit, & sic in instanti indivisibili transit de uno extremo ad aliud & nullum est ibi *fieri*, sed solùm *factum esse*, quod est signum maximæ velocitatis, instantaneæ videlicet, quâ nulla potest esse major. Ex hoc principio aliqui sophismata formabant ut videbantur insolubilia, inter-

*Distinctio philosophica inter successiva, & instantanea.*
A. Gellius l. 6. cap. 13.

rogabant, v.g. isti quando mortuus fuisset Socrates, vel dum adhuc viveret, vel quando mortuus erat? & si respondebant, interim quod vivebat, ergo dicebant in uno eodemque instanti fuit vivus, & mortuus simul: si dicebant quando erat mortuus, ergo, inquiebant, mortuus est bis. Sic inter alios argumentabatur Sestius. Vt hoc argumentum solverent, laborarunt maximi Philosophi, ut refert Taurus apud Gellium ubi suprà: & inter alios Plato non admittebat unam vel alteram responsionem, sed volebat tempus aliquod intermedium, inter vitam, & mortem quod majorem difficultatem adferebat in aliis mutationibus; sicuti dum surgo à sede, vel sedeo, vel non sedeo, si sedeo, eodem tempore me elevo, & sedeo, si non sedeo, ergo levatus à sede eram.

*Argumĕtatio sophistica.*

Sestius l. 3. Pyrroniarum hypotiposeon.

16. Ad hoc ego responderem hoc verbum, *eram*, posse duobus modis accipi, primò in quantum complectitur tempus antecedens, secundò in quantum solùm significat tempus concomitans, aut præsens. Si primo modo accipitur, Socrates erat vivus dum moriebatur, nec propterea sequitur, quòd fuerit, vivus & mortuus simul; sed quòd morti antecederet vita, quia verbum illud *erat*, capitur antecedenter. Si verò posteà concomitanter accipitur, sic quando moriebatur mortuus erat; nec propterea sequitur bis illum mortuum esse, quia non præsupponebatur mortuus primò, cùm verbum illud *erat*, accipiatur in sensu concomitativo, & non antecedenter; & aliud non sequitur, nisi quod mori nihil distincti apportet ab *esse mortuum*, quia ut diximus in rebus instantaneis *fieri & factum esse* sunt idem. Fallacia ergo consistit in hoc verbo *erat* quod duo complectitur tempora, tempus antecedēs, & cōcomitans, quę cùm ita distinguātur, tota difficultas tollitur; sed hoc extrà propositū nostrū est, ad S. Iacobū revertamur.

*Vera responsio ad illam.*

*Fallacia sophismi consistit in verbo erat.*

17. Legantur, & revolvantur omnes historiæ, numquam reperies quo tempore S. Iacobus electus fuerit discipulus Christi, quādo ex mundo transierit ad scholam Salvatoris; sed factum reperies, nimirum Christum secutum fuisse, annumeratum inter duodecim Apostolos, mundum reliquisse. Necesse est ergo dicere velocissimè eum, & in instanti obediētem fuisse voci Christi, ad similitudinē Angelorum, de quibus Psalmista ait: *Facientes verbum illius ad audiendā vocem sermonū ejus.*

*Non invenitur vocatio S. Iacobi descripta.*

*S. Iacobi prompta obedientia.*

Psal. 102. 20.

18. Primò dicit Angelos facere verbum Dei, & posteà auscultare: non quòd possint mandatum implere antequam audiverint, sed quia dum solùm percipiunt nutum, se offerunt ut exequantur; & post primum mandatum impletum prompti sunt ad exequendum secundum. Quod Deus expres-

*Angelorum velocitas in obediendo.*

pressit per Psalmistam dicens: *In auditu auris obedivit mihi*: ad primum nempe signum, ad primam syllabam. Hoc S. Iacobus tam promptè executus fuit, ut non possimus distinguere auditum ab executione: quod S. Bernardus sic refert: *Vno eodemq; momento procedit, & imperantis imperium, & obsequium obsequentis*: nisi potiùs dicere velimus cum eodem, *fidelis obediens præripit præcipientem*. Talis obedientia Deo convenit, qui quandoque nostras prevenire solet petitiones; conformiter ad illud quod promisit Isaiæ Prophetæ: *antequam clament ego exaudiam*; & S. Aug. ait: *Vox mea in aure nondum erat, sed auris Dei cum corde erat*. Fuit denique adeò obediens S. Iacobus & velox ad audiendum, ut ab utero matris suæ (ut multi auctores affirmant) Deo obediens, & dedicatus exstiterit.

Psal. 17. 45.

S. Bernard. de virtute obedientiæ.

*Velociter Deo obediendum.*

Isaiæ 65. 24.

S. Aug. in Psal. 31.

19. Tardus insuper fuit ad loquendum; cùm enim in Evangelio sæpiùs legantur verba multorum Apostolorum; de S. Iacobo nihil umquam reperiemus. Legerat fortè illud Ieremiæ Prophetæ: *Sedebit solitarius, & tacebit*; *ut nimirum* (inquit S. Ambrosius) *totus possit intendere seniorum præceptis, Prophetarum oraculis, Apostolorum magisteriis; laudandus eò quod prius vult loquenda cognoscere, quàm proferre quæ sentiat, antequam loqui discat; timens ne multiloquio peccatum contrahat*. Hic quoque ordo à Christo demonstratus fuit, non solùm quando anno duodecimo mansit in templo, ubi repertus fuit *audiens & interrogans*; verùm etiam cùm mutum sanare vellet, quem primò audire fecit quàm loqui; *Apertæ sunt* (inquit Scriptura) *aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus*: docens nos, primò debere audire, quàm loqui; quia illud valdè periculosum est, & hoc securum: ut benè notat S. Aug. considerando illa verba S. Ioannis Baptistæ: *Amicus sponsi stat, & audit eum: stantem*, inquit, *se fecit, & audientem, non cadentem, & loquentem*: quasi locutioni conjunctum sit cadere, & auditioni rectè, & firmiter stare.

*Cur de S. Iacobo nil referat Evãgelium.*

Threnor. 3. 28.

S. Ambros. serm. 2. in Psal. 118.

*Silentio ejus adscribendũ.*

Marc. 7. 35.

Aug. supra Psal. 50.

*Primò audiendum quàm loquẽdum.*

20. Dicet fortè quispiam, non benè S. Iacobum prohibere locutionem, in sua epistola, cùm sermo ibi fiat de verbo Dei, non de rebus sæcularibus; sicut enim in præcedenti sensu *velox ad audiendum*, subintelleximus, *verbum Dei*; ita hîc etiam est subintelligendum, quod non rectè S. Iacobo congruere videtur, cùm deberet esse promptissimus ad verbum Dei disseminandum, & annuntiandum. Respõdere hîc possem, ipsum præceptum hoc subditis dare, non prælatis & superioribus, ac propterea dicere, *Sit autem omnis homo*, &c. prout paulò pòst subiicit, *Nolite plures magistri fieri* quasi diceret, necesse est ut sint aliqui magistri, qui debent esse prompti, sed plures esse non debent, nec aliquis huic officio se ultrò

*In spiritualibus videtur non tacendũ.*

*Magistri loqui debent non discipuli.*

S. Aug. in Psal. 50. *Docens facilè superbescit.*

ultrò ingerere debet; quia, S. Augustino teste, *Feliciores sunt qui audiunt, quàm qui loquuntur, qui enim discit, humilis est, qui docet, laborat ut non sit superbus.* Quod periculum timebat S. Bernardus licet humillimus, unde in præfatione quam tractatui de gradibus humilitatis præmisit, dicit, se post superatum timorem de opere, incepto non finiendo, pejorem habuisse de non superbiendo: *subintravit*, inquit, *alius timor de contrario quo capi timere gravius periculum de gloria si perfecissem, quàm de ignominia si defecissem.*

S. Bernard. in præfat. tract. de humilit.

*Libentius audiendum quàm loquendum.*

21. Rectè ergo colligitur, in prolocutione Verbi Divini, nos tardos aliquo modo esse debere, & libentiùs audire oportere, quàm docere. Quantum autem S. Iacobus in locutione rerum divinarum discretus fuerit, & moderatus, inde colligere possumus, quod cùm inter credenda, difficillimus sit Resurrectionis articulus, ac S. Paulo referente particulariter Christus S. Iacobo apparuerit; Evangelistæ tamen nullam de eo mentionem faciunt; quod verisimile est ideò accidisse, quia ipse tacuerit, considerans Resurrectionem Salvatoris multorum testimoniis esse comprobatam, & propterea noluisse particularem suam revelationem manifestare, ne ipsi honori verteretur, ubi tamen opus erat, verbum Dei longè disseminabat.

1. Cor. 15. 7 *S. Iacobi humilitas in tacendo.*

Iacob. 1. 19

22. Sequitur in Textu: *Et tardus ad iram*; Rationabiliter hîc adjungit S. Iacobus postquam dixerat, hominem debere esse velocem ad audiendum, tardum quoque ad iram esse debere; sicut enim oculi sunt januæ amoris, sic aures sunt viæ ad iram, & indignationem: Et sicut isti à Poëtis vocantur duces amoris, sic in his dicitur commorari ira: Ratio est manifesta, quia præcipuum amoris motivum est pulchritudo, quæ ab oculis cognoscitur, & penetratur; motivum autem principale iræ est contemptus, qui ab auribus percipitur; *ut vidi, ut perij*, dixit de amore per oculos causatus Virgilius: & *iræ vanæ, causæ sunt verba*, quæ auditu percipiuntur, (dixit Eschilus.) Meritò ergo S. Iacobus à periculo imminenti cavẽdum nobis asserit, nam postquam dixit nos debere esse veloces ad audiendum, exhortatur ut parum loquamur, ne demus occasionem aliis multæ locutionis, unde ira solet commoveri, audiendo sæpius quod non placet.

*Oculi amoris aures iræ causa.*

*Parum loquendum, ne detur iræ occasio.*

23. Non tamen hæc sententia difficultate caret; quia vel loquitur de ira bona quam concipimus in nosmetipsos propter peccata nostra, vel de illa pessima quam in proximum concipimus. Si de prima ad illam non debemus esse tardi, sed multum soliciti: si de secunda, ad hanc non tardi solùm, sed immobiles esse debemus. Possem hîc dicere, tales nos esse debere, sed quia hic summæ perfectio-

*Duplex ira in nosipsos, & proximũ.*

*Ira in proximum omninò vitanda.* fectionis est gradus, & quasi superans vires humanas, non vult S. Iacobus ad hoc discipulos obligare. Vel dicamus ipsum loqui de ira laudabili quam adversus proximos concipere possumus, per quam videlicet possint emendari à suis erroribus, & peccatis; licet enim sit bona; lento tamen passu ad illam est accedendum propter rationem quam pulchrè allegat S. Iacobus: *Ira enim viri justitiâ Dei non operatur*. quasi diceret: solemus indignari proximis, propter zelum justitiæ divinæ, sed ego dico vobis, hunc modum non esse convenientem.

Iacob. 1. 20

24. Aliam tamen clariorem, ac commodiorem expositionē hujus sententiæ adducere possumus. Duo nos docet S. Apostolus, primò non irascendum culpabiliter; secundò irascendum laudabiliter. Quod ut intelligamus, advertendum est tunc iram esse malam quando non vult subesse rationi; tunc autem esse bonam quando à ratione regitur, cùm enim sit affectus naturalis, non potest ex suo genere esse totaliter malus. Quin imò homini data est ira, ut se defendat contra inimicos, & adversarios tempore, & loco; ideò sapienter Aristoteles comparat iram cani ad domus custodiam deputato, qui aliquando errat latrando contra amicum ac si fuisset inimicus: *Ira* (dicit ipse) *parte illa quidem videtur rationi quodammodo, sed non attentè eam audit ritu canum qui priusquam considerarint sitne amicus, vel inimicus, qui pulsavit, oblatrant*: Sicut ergo canis errat nimis citò latrando, & præveniendo cognitionem; & non errat dum sequitur nutum aut signū Domini, sic non peccat ira rationem sequens, sed ipsam nimiâ velocitate præveniens.

*Ira rationē præveniens mala.*

*Illam sequēs bona.*

Aristoteles li. 7. Ethic. c. 6.

*Ira similis cani latranti.*

25. Quid ergo S. Iacobus his verbis *tardus ad iram* nobis insinuare cupit, nisi iram non debere esse subitaneam nec præcedere rationem, sed illam sequi; sic quippe non culpabilis, sed laudabilis erit. In duobus ergo verbis doctrinam comprehendit amplissimam quæ sufficit ad iram cognoscendam; quam etiam sequentibus verbis confirmavit, dum ait: *Ira enim viri, justitiam Dei non operatur*. Dum enim ira ut agens principale operatur, contraria est justitiæ divinæ; etenim contra rationem injustè procedit; sed quādo instrumentum est rationis operantis, tunc bonum est medium pro justitia. Nec dubium est quin ipse hanc regulam bene observarit, antequam aliis tradiderit, mortem enim ab adversariis injustè recipiens, nullo modo in eos irâ exarsit, sed contra peccata illorum; Deum supplicans ut illos conservaret, & peccata eorum deleret. Hactenus de præceptis S. Iacobi, ad Delphinum revertamur.

*Ira rationem sequens laudabilis.*

Iacob. 1. 20

*S. Iacobus hac benè servavit.*

26. Si Delphinus adjuvat piscationem nautarum? Quis nescit

*S. Iacobus ad piscationem Domini electus.*

S. Iacobum unum ex illis fuisse, qui electi fuerunt, ut piscationem Domini adjuvarent? Si Delphinus piscis occasio est captionis aliorum piscium? S. Iacobus cùm homo esset, ad piscationem aliorum hominum electus fuit: Iuxta illud Salvatoris: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Quod magis propriè ipsi quàm cæteris convenit Apostolis; cùm ipse in piscatione Domini continuò manserit, In Iudæa nempe & Ierusalem, de quo rationem pulchrè reddit S. Bernardus dicens: *Iacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, unâ contentus est Ierosolymâ, Petro universitatem cedens, pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille; nam dictus est frater Domini.* Cessit S. Petro universalem Ecclesiam, non quia non haberet merita ad tantam dignitatem cōvenientia; sed quia solâ Ecclesiâ Hierosolymitanâ contentus erat: accipiens sponsam quam Christus jam reliquerat. Conformiter illi usui antiquo inter Hebræos observari solito, ut fratre uno absque liberis mortuo, alter frater acciperet ipsius conjugem & filij qui nascebantur, dicebantur alterius filij.

Matth. 4. 19.

S. Bernard. lib. 2. de consideratione.

*Cur S. Iacobus solâ Ierosolymâ cōtentus? Vt suscitaret semen fratri.*

27. Aliam insuper puto occasionem fuisse cur Hierosolymis manserit: desiderium nempe patiendi cum Christo; juxta illud: *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis.* Sic veluti Delphinus exultavit in tempestate, nec voluit discedere ab insidiis Crocodili, furore, inquam, Iudæorum qui ipsum conabantur occidere: sed illos ut Delphinus superavit, supponendo se illorum persecutioni, perferendo mala, & peccata illorum magnâ cum patientiâ. Superavit insuper Crocodilum infernalem, se illi supponendo ventremque perforando: quia se quotidie humiliabat usque ad terram in oratione, & percutiebat ventrem draconis infernalis, cùm in tota vita abstinentiam ventris observaverit ut refert S. Hieron. *Ab ineunte ætate vinum, & siceram non bibit, carne abstinuit.* Quòd sanè mirum videri potest, cùm Dominus dixerit: *Numquid possunt filij nuptiarum quamdiu sponsus est cum illis jejunare?* excusans discipulos à jejunio. S. Iacobus tamen noluit hoc privilegio uti; licet enim præsentia Salvatoris ipsum poterat sanctificare magis quàm jejunium, noluit privari beneficio jejunij: Imò dum Christum mortuum vidit, voto se obstrinxit, non gustaturum quidquam, nisi videret Christum resuscitatum; unde inferre possumus, in ipso non fuisse deletam Resurrectionis fidem.

*Vt etiam pateretur cum Christo.*

Jacob. 1, 2.

*S. Iacobus sufferendo malos devicit.*

S. Hieron. in Catal. de Scriptoribus Ecclesiæ.

*Summa fuit abstinentia.*

Marc. 2, 19.

*Votum ejus non comedendi.*

28. Si Delphinus numquam sub undis requiescit, sed continuò se movet, & elevat supra aquas? Quis nescit S. Iacobum nō cessasse umquam à bonis operibus, sed continuò in oratione, & elevatione mentis ad Deum perdurasse

*Continua ejus oratio.*

durasse: teste S. Hieron. *Cui assiduitas orationis ita callum genibus obduxerat, ut duritia cameli pellem imitaretur.* Camelus dum pondus recipit, se inclinat, & eo recepto, statim surgit: sed S. Iacobus ad orationem genuflexus, surgere nescivit, quia nunquam sufficiens pondus orationis, & devotionis se recepisse putabat, sed semper majorem è cælo tribulationem, & gratiam recipere desiderabat. Inter aves quasdam videtur natura distribuisse tempus cantandi, ut notat Apuleius dicens: *Natura quibusdam avibus brevem, & temporarium cantum accommodavit; Hirundinibus matutinum, Cicadis meridianum, Noctuis serum, Vlulis vespertinum, Bubonibus nocturnum, Gallis antelucanum.* Quasi natura voluisset omni tempore aliquas esse quæ divinas laudes decantare possent. Multi tamen hoc naturæ ordine non contenti, aves aliquas in Aviario nutriunt, & alunt; ut toto anni tempore cantui assuefieri possint. Talis ut mihi videtur, fuit Iacobus, qui numquam cessabat laudes Deo promere; dicens cum Psalmista: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

*Numquam ab oratione cessabat.*

Apul. lib. 2. Floridorũ.

Psal. 33. 1.

29. Si Delphinus aliorum misertus, eos è captivitate gemitibus & oratione quasi liberare desiderat: Et S. Iacobus tanta erga proximos commiseratione enituit, ut omnes liberare suis precibus desideraret. Sic S. Petro in carcere detento totam Ecclesiam pro eo orare præcepit, eorumque precibus ab Angelo liberatus fuit. Nec solùm hoc pietatis officium S. Petro exhibuit verumetiã toti populo Iudæorũ, pro quo assiduè Deum deprecabatur: licęt cognosceret illos tali beneficio indignos cùm Christum occidissent injustè, cujus frater vocabatur. In quo maximè superavit Delphinos, qui non ignoscunt hominibus dum percipiunt illos in socios suos deliquisse. Tamque efficaces fuerunt ipsius orationes, ut credam Deum castigationem illorum distulisse donec S. Iacobus vitam cum morte commutasset. Meritò ergo à S. Paulo vocatus fuit columna, quia sanctitate, & fortitudine sustinuit Ecclesiam Dei, & civitatem Hierosolymitanam, ne tam citò periret, ut factum legimus post mortem ejus. Sic Hebræi ipsum ex summitate templi præcipitãtes seipsos & civitatem suam in extremam præcipitarunt miseriam, dumque ipsi crura fregerunt, finem accepit oratio quam pro ipsis offerebat; caputque ejus fullonis fuste rumpentes, demonstrabant ejus innocentiam, & sibi ipsis augurabant caput gentis suæ quod erat Ierosolyma totaliter destruendum; lapidibus quoque ipsum appetentes, significarunt acervum lapidem urbem illam futuram.

*Oratione ejus S. Petrus liberatus.*

*Pro inimicis quoque orabat.*

Ad Gal. c. 2. 9.

*Iudæi dum S. Iacobum occidunt, civitatem suã perdunt.*

30. Sed cur tamdiu mortem ipsi inferre distulerunt? maximum

*Cur S. Iacobus tamdiu vixit.*

mum erat odium, quo Iudæi Christianos ubique persequebantur, propterea S. Paulus acceptis epistolis à summis Sacerdotibus, ivit Damascum ut si quos Christum confitentes inveniret, perduceret Ierosolymam graviter puniendos. Quomodo ergo in centro, & metropoli totius provinciæ, in loco ubi omni ex parte Iudæi concurrebant, ubi tribunalia erant primariorum Iudicum & Pontificum, qui cōtinuò Christianis insultabant, S. Iacobus tanto tempore manere potuit absque ulla offensione, & læsione? Alij Apostoli dicuntur ad declinandam persecutionem, fuisse dispersi per varias provincias: S. Iacobus Major Hierosolymis decollatus, S. Petrus incarceratus, & morti adjudicatus fuit: quomodo ergo S. Iacobus potuit tanto tempore securus ibidem persistere? forte nemo illum cognoscebat? Christiani tamen quotidie ad illum tamquam ad oraculum in templo conveniebant: fortè tanta ejus erat sanctitas, & vitæ innocentia, ut licet eum odio haberent, non tamen ausi essent ullam ipsi adferre molestiam, ne viderentur ipsam odisse virtutem, ipsamque sanctitatem velle destruere? Hoc verum dici posset, si de alia gente quàm de perversis Iudæis (qui ne quidem sanctitatis totius auctori pepercerunt) sermo esset: Melius ergo divinæ hoc adscribendum providentiæ, quæ in

*S. Iacobi sanctitati adscribendum.*

*Melius divinæ adscribitur providentiæ.*

novella christianitatis plantatione S. Iacobum tamdiu incolumem conservare voluit, & à tot inimicorum insultibus tueri; ut ad annum ætatis 96. & post Christi passionē 30. supervivere potuerit.

31. Inquirunt plurimi quare homines ante diluvium ad centenos annos supervixerint? Multi multas adducunt rationes, utpotè naturam viciniorem suo principio magis viguisse, majorem fuisse parcitatem victus & ciborum, perfectiùs fuisse temperamentum hominum, terram adhuc minimè aquis diluvij fuisse corruptam, herbas fructusque majorem habuisse vigorem: sed omnium optimè declarat doctissimus Liranus divinam providentiam hoc ita disposuisse, ut mundus facillimè longâ experientiâ & diuturnis laboribus gubernari posset; ut notat Eusebius Cæsariensis dicens: *priscos illos Dei amicos non injuriâ longioribus temporum spatiis vixisse; sed virtutis gratiâ, ut res posteris perutiles, Astrologiam, Geometriamq; invenirent.* Non aliter dicere possumus Salvatorem nostrum diu vivere permisisse S. Iacobum, & S. Ioannem, ut doctrinâ, & præceptis suis Catholicam fidem propagare possent; & docerent homines Astrologiam, & Geometriam cælestem. Ex quibus S. Ioannes Euangelista optimè de rebus cælestibus instructus cælestē Astrologiam, cælestium videlicet rerum cognitionem scriptis suis clarè

*Cur homines ante diluviū tamdiu vixerint?*

Euseb. lib. 9. de præparatione Evāgelica cap. 4.

*Vt alios experientiâ docere possent.*

rè exhibuit; & S. Iacobus Geometriam, terrenarum nempe rerum contemptum, manifestè verbo & exemplo edocuit: cùm de ipso referatur, quod à vino, & carne semper abstinuerit, nec umquam deliciis corporalibus, aut balneis usus fuerit.

S. Hieron. in Catal. de Script. Eccles.

*Quàm frivola quorũdam excusatio in jejunio.*

32. Ex quo colligere licet, quàm vana & frivola sit excusatio illorum, qui à jejunio se excusari dicunt, eò quòd nimiam timeant corporis aut naturæ debilitatem: experientiâ siquidem clarè patet diutiùs saniusque vivere abstinentes quàm gulosos; qui enim vitam jejuniis & mortificationibus macerat, multas infirmitates, corporisque ægritudines vitat; è contra verò qui corpus deliciis, & nimiâ sustentat curâ, in varios sæpè incidit morbos. In vitis Sanctorum Patrum hoc clarè patefit; plurimi enim in tantâ vixere abstinentiâ & corporis mortificatione, ut hebdomadas integras absque nutrimento peregisse legantur, nihilominus ad multam senectutem vitam perduxerunt incolumem, de quo doctissimè discurrit P. Lessius in suo de conservanda valetudine opusculo. Solummodò hîc referendum censeo quod Iosephus Hebræus de Essenis scribit: *Vivunt*, inquit, *quàm longissimè, ita ut plurimi eorum usque ad centenariam proferantur ætatem, quod eis accidere puto propter institutionem in omnibus benè ordinatam.* Veruntamen non tam propter diuturnitatem hujus vitæ, quàm propter futuram, non propter hoc miserabile prolongandum exilium, sed ut perpetuam consequamur felicitatem, non ut sanam conservemus fragilem hanc nostram carnem, sed ut animam æternaliter ab omni culpa & morte liberemus amplecti debemus vitam, & abstinentiam S. Iacobi. Quod profectò assequemur si vestigiis ejus inhærentes, orationi ferventissimè insistamus, & carnis spernentes delitias, fidei, patientiæ, & ardentissimè ejus erga proximos charitatis exempla secuti fuerimus.

*Jejunium longam & sanam dat vitam.*

Lessius in Opusc. de valetud. conservanda.

Lib. 2. de bello Iudaico c. 7.

*Jejunandum hic ut in futura vita vivamus.*

*S. Iacobum imitari debemus.*

# IN FESTO
# INVENTIONIS S. CRUCIS.
## DISCURSUS DECIMUS.

*De ingenti utilitate & fructu SS. Crucis.*

Palma Indica omni fructu abundans.

*Ad omnia utilis.*

### SUMMARIUM DISCURSUS.

*Palmam Indicam ejusq; fructus describit primis 8. num.*

*Eam S. Cruci applicat nu. 9. 10. 11.*

*In Cruce victoriam repræsentari ut in palma ostendit. 12. 13. 14.*

*Eamdem in omni tribulatione nobis prodesse declarat. 15. 16.*

*SS. Eucharistiæ Sacramentum fructum esse Crucis demonstrat. 17. 18. 19. 20. 21.*

*Sex modis nos Crucem Christi suscipere, & Passionem meditari posse: à num. 22. ad finem usque prosequitur.*

1. Si hæc rara Indica Palma in Palæstina reperta fuisset dũ universa ligna quæsierunt sibi regem (teste Ioatham in libris Iudicum.) Huic potiùs sceptrum coronamque regiam obtulissent, quàm olivæ, ficui, aut viti: licet enim hæ plurimum afferant fructum, in nullo tamen Indicæ Palmæ æquiparari possunt. De vite potum habemus, de ficu cibum, de oliva condimentum: sed nulla istarum panem, linum, trabes aliúdve victui necessarium subministrat sicut hæc Indica Palma populo exhibet. Nascitur hæc mirabilis arbor, in insulis maris Indici Maldivis vocatis (Botero referente) quæ plurimis rebus carent, sed arborem quamdam habent Palmam vocatam, omnes alias magnitudine, fructus pulchritudine, & utilitate excedentem; sola quippe sufficientem producit materiam, ut navis integra fabricari, mercibusque ex ipsa provenientibus onerari possit. Cumque ordinariè arbores fructum suavem, & abundantem producentes ut

Judicum 8.9.

*Indica Palma ad omnia utilis.*

*Nascitur in insulis Maldinis.*

Boterus lib. 6. relation. Indic.

*Ex ipsa navis conficitur & impletur.*

vitis

vitis, & ficus, &c. Lignum habeant fabricæ ineptum, illius tamen lignum aptissimum, fructusque suavis est. Adeò per omnia utilis ut nihil in ipsa inutile reperiri possit.

*Fructus capiti humano similis.*

2. Fructus ejus magnitudine & figurâ capiti assimulatur humano, duas habet cortices, quarum prima plana, & polita est, materia autem ejus quasi capillatura hominis, velut linum, aut cannabis; in fila siquidem deducta facillimè texitur, nullaque funibus navium conficiẽdis aptior; aqua enim marina omninò renovatur, & extenditur instar pellis, unde nullum fractionis periculum; in aqua tamen fluviali putrescit, si non sit pice linita. Altera cortex materiæ est durissimæ, variæque formæ nec ingrati odoris; scyphis phialisque componendis plurimùm accommoda. Medulla verò ejus pinguedinem quandam habet seu liquorem lactis instar, oleum subministrans. Dum autem fructus ejus tener est, viridisque in sui medio lympidissimam suavemque continet aquam, quæ in magna quantitate ebibita nullo modo officit. Cortex autem antequam durescat ut lignum in partes scissa comeditur, saporemque cardui habet. Ramus ejus in nodum curvatus & abscissus liquorem distillat, ex quo variâ arte saccarum, vinum, oleum, lac, & acetum conficitur. Referunt quidam hunc fructum esse nucem Indicam.

*Ex cortice fit linum & funes.*

*Ex medulla fit oleum.*

*Ex ramo abscisso, optimus liquor distillat.*

3. Latiùs palmam describit Pigafetta Vicentinus, magnum, inquit, ex palma præscindunt ramum, ac fissuræ ejus arundinem applicantes vase supposito liquorem distillantem colligunt, qui dulcis ut mustum vini albi sed obscurus aliquantulum est: arundinem autem quam manè accipere volunt, vesperi ponunt, & pro vespera manè ponunt. Palma hæc fructum efficit ab ipsis Cocco vocatum, magnum instar capitis humani. Prima autem cortex viridis est, duobus digitis crassa, intra quam fila multa reperiuntur, funibus conficiendis apta. Sub hac cortice alia densior, quam in pulverem redigentes pro medicina utuntur. Sub hac cortice medulla est alba uno digito crassâ, quam sic recentem vel exsiccatam cum carne & pisce ut nos panem comedunt, saporemque habet amygdalarum. In hujus medio aqua dulcis, limpida, ac saporosa, quæ instar pilæ congelatur; si oleum inde conficere velint, in alia aqua eam putrescere sinunt, ac posteà ebullire, sicque ut butyrum condensatur: aquam autem illam soli exponentes, acetum conficiunt; medullam recentem aqua miscentes, ac panno aliquo exprimentes lac efficitur lacti caprarum simile. Hæ palmæ assimulantur palmis dactylos producentibus, non tamen tot nodos habent. Duæ ex istis palmis familiam decem personarum

*Pigafetta in relat. navigationis.*

*Fructus duplicem habet corticem.*

*Ex Medulla panis conficitur, & c. ii.*

*Duæ palmæ 10 personas alunt.*

sonarum alere possunt; octo diebus fructus unius, & octo diebus fructus alterius utendo: aliàs si nimiùm detrahas exsiccantur: Perdurare verò solent, centum annis. Hucusque auctor citatus.

4. Huic relationi similis est illa, quam P. Franciscus Rho illis ex partibus scripsit, adjungens oleũ istud optimũ esse, ac si in lampade adhibeatur claram reddere lucem sine fumo. Pro vino quoque hic liquor inservire solet, habetque saporem vini adusti in quo si uvæ passæ ponantur, mirabilem illi saporem, & calorem adjungunt: ita ut verum putes esse vinũ. M. Polo refert aliquas arbores liquorem producere album, aliquas rubrum. Si truncus non ampliùs liquorem emittat, adaquant radicem, statimque eumdem effundit liquorem.

*Pro vino liquor inservit.*

M. Polo. l. 1. cap. 13.

5. Nec folia minori utilitate quàm fructus abundant, accipiuntur enim pro carta ad scribendum, ex illis materia fit vestium, ac pileorum; tegulasque pro domibus cooperiendis conficere solent. Eadem denique arbor totam efficit navem; ex trunco quippe & ramis antennas, tabulas clavos, & malum formant ex foliis vela, & ex prima cortice funes conficiunt: fructibus verò navem implent: sic illud refert P. Maffæi. Non sine miraculo ergo omnibus rebus accommodata navigat palma, & ex aquis educta largam suppeditat igni materiã: ita ut ipsamet portetur, & portet, & homo se illi inter fluctuantes undas, tutò committere possit.

*Ex foliis carta & vestes fiunt.*

*Navis integra formatur & impletur.*

P. Maffæi lib. 7.

6. Ad formam quod attinet altissima est, sed non æquè crassa, folia in superiore habet parte, sub quibus fructus undique nascentes pendent: radix tamen ejus non multùm in terra profundatur. Incolæ gradus in trunco formantes, mirabili agilitate in altum conscendunt, ut autem fructifera sit aliâ indiget palmâ vicinâ. Huic non dissimilem puto arborem illam cujus meminit Petrus Mess. relatus à Simone Majolo. Vocatur inquit, hæc arbor Cocho, nascitúrque in Insula Thebur fructum habens instar melonis, & succum butyro similem, ex quo miro artificio oleum fit: super aquam verò sparsus saccarũ apparet, ac soli expositus fit acetum. Ex foliis fila colligunt, & ex trunco humor aqueus ad bibendum suavis distillat: plurimum ab illis æstimatus, & conservatus in vasis. De hac affirmat Ludovicus Bartema colligi oleum, & saccarum. Odoardus Barbosa ex trunco fabricari navem, ex foliis vela & funes, ex ramis verò clavos, ac remos confici refert.

*Altissima est sed non crassa.*

Petr. Mess. 5. p. suæ silvæ cap. 17. Majolus in colloquio caniculari 21.

Ludovicus Bartema li. 2. rerum Indic. c. 11. Odoard. Barb. 1. par. descript. Chinarum. c. 8.

7. Huic simillima (si non eadem) arbor est in insulis Moluccis reperta; ab incolis Sagu dicta; ex qua jam teneri si ramum præscindas, liquorem album & dulcem effundit, qui coctus pro vino & oleo diversimodè inservire potest

*In Insulis Moluccis reperitur similis.*

test. Ex medulla hujus panis hoc modo conficitur, primò illam aquæ salsæ imponunt, posteà verò soli exponentes, vel sic comedunt siccam, vel in farinam, redigentes panem conficiunt colore & sapore nostro siligineo pani similem. De hac tamen non dicuntur fieri funes vestesque, fortè quia ista non profert, vel quia incolæ ipsâ hac in re non utuntur.

8. Si talis ergo reperitur arbor tot rebus accommoda; mirum videri nō debet Hebręos manna de cælo accepisse, quod potum cibumque ministrans, omnem saporem edentibus afferebat, pro cibo inserviebat induratum ad ignem, pro potu autem liquefactum à sole, teste Genebrardo. Manna tamen in hoc palmam excedebat, quod idem fructus cibum & potum ministrabat.

*Manna cibum & potū dabat.*

Geneb. in Psal. 94.

9. His tamē omnibus positis, nec palma nec Manna fructui arboris S. Crucis assimilari potest; non solum potum ac cibum, verumetiā omnia ad corpus & animam necessaria subministrans, teste S. Ioanne Chrysostomo: *Omnium nobis bonorum thesaurus*: ita ut meritò de ipsa dicatur *ad omnia utilis*. Rectè ergo Palmæ Indicæ assimulavimus, non enim aliquid reperiri puto majorem utilitatem generi humano apportans, nec parvam habet cum Cruce proportionem.

*S. Crux præcellit omnes.*

Chrysost. inter serm. D. Aug. to. 10. in append. serm. 44.

10. Convenit primò cum loco; sicut enim Palma non reperitur in hoc nostro mundo, sed in India mundo novo, & Crux non in testamento veteri, sed in novo agnita fuit; fructifera quoque iis qui secundùm novam Euangelij promulgationem vivunt, non verò iis qui juxta legem antiquam. Consideratione autem dignum est in mundo novo (India nimirum) à navigantibus Crucē stellarum juxtà polum antarticum observatam; quasi Deus in mundo novo Crucem in cælo & in terra honorari voluerit. Cumque in hoc nostro mundo Crux vera, & realis splenduerit, in altero mundo figura & symbolum ejus appareret: ut gentes hoc signo ad prædicationem Evangelij & gloriam Crucis amplexandam accenderentur; sicut etiam cæli in hoc hemispherio opus creationis prædicant; sic in altero opus redemptionis annuntiarent. Sub nomine quoque mundi rectè homo comprehendi potest (cùm à Philosophis vocetur parvus mundus) sicque Crux in mundo novo (in homine nempè novo) Christo videlicet à quo Crux omnem accepit virtutem reperiri dicitur.

*Cum palma in multis convenit.*

*Crux stellarum in mundo novo.*

11. In Insula nascitur hæc palma, & in Ecclesia solùm Crux reperitur, quę verè potest Insula dici, sicut enim illa in medio maris undique impugnatur ab undis nec tamen vincitur; sic Ecclesia undique ab hostibus oppressa, numquam superata fuit. De quo admirans regius Propheta dicebat; *Mirabiles elationes maris, mirabilis*

*Ecclesia rectè insula dicitur.*

Psal. 92. 4.

*bilis in altis Dominus.* Insula undique à terra distat, & Ecclesia ab omnibus rebus terrenis longè abest.

*Palma & Crux victoria signa.*

12. In Palma ordinariè victoria exprimitur, quod Cruci rectè convenit, quæ mundo victoriam attulit nobisq; semper victoriam contra hostes præstat. De ipsa quoque Sponsus in Canticis ait: *Ascendam in Palmam & apprehendam fructus eius*: & Habacuc Propheta inquit: *Cornua in manibus ejus ibi abscondita est fortitudo ejus*: in lateribus nempè seu cornibus Crucis in quibus Salvatoris manus fixæ, ut SS. Gregorius, Beda, Rupertus, Anselmus referunt. Ideoque subjungit triumphum maris & diaboli, *Ante faciem ejus ibit mors, egredietur diabolus ante pedes ejus*: ligatus nimirum & vinctus ab ipso, unde meritò Joannes Chrysostomus exclamat; *In Cruce maximè potentiam suam declarat omnipotens.* Subitò virtutem Crucis agnoverunt diaboli, idcircò incitabant Iudæos ut clamarent: *Descendat de cruce, & credimus ei*, quod notans S. Hilarius inquit: *Dæmones hoc eis immiserunt, qui vellent ut descenderet, statim enim Crucis virtutem senserunt, & vires suas confractas.* Nec isto solum momēto dæmon Crucis virtutem sentire cœpit; sed ab eo tempore quô Crucem nominare audivit subitò terrore compulsus omnibus eam modis impedire conabatur: ad hoc siquidem intentum suscitavit pœnitentiam Iudæ, & turbationem uxoris Pilati ut inquit S. Ignatius martyr: *Diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immisit proditori, & mulierculam turbans in somniis, ut à crucifixione cessarent, inducere moliebatur, suam ipsius perniciem sentiens.* Sic ut meritò S. Cyrillus de potentia Crucis loquens dicat: *Si quis non credit virtuti Crucifixi, percunctetur dæmones*: si quis putet Christum in cruce pedibus & manibus fixum nullam habere virtutem; inquirat à dæmonibus, ipsique suo malo cōfiteri cogebuntur; ut S. Antonio virtutem Crucifixi confessi sunt. Licet hoc quoque verbis non exprimant, factis tamen manifestabunt, quantum enim possunt ab eius præsentia longissimè aufugient.

Cant. 7. 8.
Habac. 3. 4.
Habac. 3. 5.
*Dæmon subitò virtutem Crucis agnovit.*
Matth. 27. 42.
*Ideo illam impedire conabatur.*
S. Ignatius epist. ad Polycarpū.
S. Cyrillus serm. de Cruce.
*Dæmon maximè timet crucem.*

*Ante Christum timuit figuram crucis.*

13. Sed quid mirùm dæmones modo Crucem timere, cùm tot annorum millibus ante Christum sola figura victoriam reportare fecerit? Etenim ut notat S. Gregorius Nazianzenus, *Moyses manus in monte extendens, ut crux adumbrata, & ante indicata victoriam ferat.* Si ergo Moyses in monte manus extendendo, crucem figurans victoriam ab iis hostibus reportavit, qui populum Israël ab ingressu terræ sanctæ prohibebāt: Quantò magis Christus manus in Cruce extendens, in fugam convertet hostes qui ingressum terræ sanctæ, & cælestis Ierusalem impediunt? Amplius dico, non solùm brachia Salvatoris in Cruce extensa fugabunt adversarios; sed

Greg. Naz. Apolog. 1.

*Formatione Crucis dæmō expellitur.* sed unus digitus noster crucem formans in virtute Salvatoris effugabit omnem potestatem inimici. Propterea juxtà aliquorum interpretationem dicebat Psalmista Regius: *Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* (Psal.143.1.) Non solùm, inquit, manus præliari docuit, sed & digitos meos. Sed quomodo quis digitis præliari poterit? hi nullum habent acumen ut penetrent, non duritiem, aut fortitudinem ut vim soli inferant; quid ergo mali poterunt notabiliter inferre? certè ita est, ex seipsis parū possunt, sed in virtute S. Crucis (quam facilè formare possunt) tantam acquirunt potentiam, ut etiam infernales abigant dæmones. Hoc egregiè notat Venerabilis Beda; *Quisquis in fronte feriri timet, signo salutiferæ crucis ipsam frontem armet.* (Ven. Beda in cap. 1. lib. 3. Reg. — *In fronte crux signanda.*) Vtilius quoque teste S. Petro Damiano, (Petrus Damianus serm. de Invent. S. Crucis.) cordi nostro imprimemus signum crucis, erit siquidem ut sanguis Agni Hebræorum domibus impositus qui illos à percutiente liberabat Angelo. *Præferimus crucem in fronte, sed eamdem crucem multò salubrius recondamus in corde, in utroque poste sanguinem percussor Angelus videat; ut exclusus evadat, non peremptarus irrumpat.* Aliàs salvari non poterimus, inquit Rabanus (Rabanus in Exod. lib. 1. c. 13.) super hunc locum; *ut hi soli, inquit, ab interitu liberentur, qui cruore Dominicæ Passionis in corde, & fronte signati sunt.*

14. Idem (ait S. Hieron.) (S. Hieron lib. 18. in Isaiam cap. 66.) figuratum fuit, in S. Ezechiele, ad quem missus Angelus qui signaret signum Tau in frontibus plangentium; ut sicuti crucem habebant in corde (dolorem videlicet) sic in fronte haberent litteram Tau, quæ in aliquibus linguis format signum crucis (ut in lingua Æthiopica &c.) (*Littera Tau in fronte signum est crucis.*) Ad hoc intentum exponit locum illum Psalmi 4. Haymon: (Haymon. in Psal. 47.) *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;* dicit enim: *Lumen vultus tui,* hoc est, *Crux, quæ ideò lux dicitur, quia est causa per quam irradiatur vultus Dei,* (*Crux vocatur lumen Dei.*) id est, *voluntas Dei in anima nostra, in ea anima est signum crucis, quæ omni desiderio carnali mortua est.* Vbi notandum crucem vocari lumen vultus Dei, & non alterius membri, sicut enim vultu melius aliquem cognoscimus quàm ex alia quavis parte; sic per crucem facilius possumus ad Deum ascendere quàm ex alia quavis ejus operatione. Is enim qui solummodo ex affectibus creaturarum Deum cognoscit, dici potest illum à tergo sive à posteriori videre; juxtà illud quod Moysi dixit: *Posteriora mea videbis.* (Exod. 33. 23.) Tam magna quoque est hæc lux S. Crucis, ut in comparatione illius aliæ claritates tenebræ vocari possint. (*Maxima crucis claritas.*) Cùm Iudas exiret de cœnaculo ut magistrum traderet dixit Christus; *Nunc clarificatus est filius hominis:* (Ioan. 13. 31.) Sed quomodo tunc & non potiùs diu antè? Quomodo tot miraculis cum

tanta admiratione omnium perpetratis non clarificatus? Quam clarificationem ipsi adferre poterat discessio Iudæ? Ad hoc respõdet S. Cyrillus & S. Leontius apud Maldonatum, totam gloriam quã tot miraculis, & bonã conversatione acquisierat, obscuram videri posse, respectu gloriæ crucis quam modo præparabat Iudas: *Eam claritatem quam miraculis consecutus fuerat, si cum ea compareminus, quam est per crucem consecutus, tenebras fuisse.*

Maldonat. in Evang. Ioan.

*Per crucem Christus totaliter glorificatus.*

15. Ex eadem quoque cruce funes, & cordæ perfectissimæ fiunt, ideoque Christus dicebat: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*: qui etiam in aqua maris (in tribulationibus nempe) fortitudinem acquirunt; in cruce siquidem optimum percipitur remedium. Horum fortitudinem funium, S. Bernardus expertus, dicebat non minùs se trahi ab exemplo Salvatoris in passione afflicti, quàm ab eodem in cælis coronato. *Sive*, inquit, *quia pugnantem te specto, sive quia te expecto non solùm coronantem, sed etiam coronatum in utroque mirabiliter me tibi allicis, uterque funis vehementissimus ad trahendum*. Credidissent alij illum crucem concupisse, tamquàm medium ad gloriam, ut dulcedine nimirum gloriæ amabilem reddidisset amaritudinem crucis; sed aliter S. Bernar. ajebat, non minùs se attractum fuisse à Christo patiente, quàm à Christo gloriosè triumphante; non minùs à cruce, quàm à paradiso; non minùs à felle, quàm à melle; non minùs ab extrema ignominia, quàm à suprema gloria; non minùs ab acerbissimis tormentis, quàm à perpetuis deliciis.

*Crux in tribulatione protegit.*

Ioan. 12. 32.

S. Bernard. serm. 47. in Cantica.

*Non minùs tribulatio quàm gloria allicit.*

16. Ex cruce quoque phialæ fiunt & calices, quorum unus oblatus filiis Zebedæi dum Christus eis dixit: *Potestis bibere calicem quem egò bibiturus sum?* quod de cruce, & passione intelligebat. Vasa quędam conficiuntur quæ miram contra venenum habent virtutem, ita ut securè quis inde sine nocumento quævis bibere possit. Sed virtutem longè majorem lignum habet S. Crucis: etenim non solùm venenum auferunt culparum; verùm omnis amaritudinis sapor, quem tormenta aut mors ipsa præbere posset, consideratione S. Crucis tollitur & & dulcescit; dum siquidem cogitamus quantum in cruce dolorem Christus pro nobis sustinuerit, pro nihilo omnes reputamus afflictiones. Hoc præclarè figuratum fuit in ligno quod Moyses jussu divino præscidit, & in aquas misit, quo illas ex amaris dulces effecit: (*in dulcedinem aqua versæ sunt*) teste Scriptura ut non solùm dulces, sed ipsamet dulcedo fierent. Hoc quoque SS. Martyres demonstrarunt, dum tam læto ac hilari vultu ad supplicia currebant, & mortem ipsam quasi invitabant. Ad quod propositum pariter adducere

Matth. 20. 22.

*Crux aufert omnem passionis amaritudinem.*

*Hoc figuratum in aquis Moysis.*

Exodi. 15. 25.

cere

cere possumus dulcissimum illum liquorem quem Palma effundit; eodem siquidem modo crux nostra liquorem dulcissimum subministrat, de quo S. Petrus in suâ epistolâ dicebat; *Tamquam modo geniti infantes lac concupiscite*; sanctissimum nempe Eucharistiæ sacramentum quod sicut fructus Palmæ non cibum solum & potum subministrat, sed & condimentum aliorum præbet ciborum.

1.Petr. 2.2

*Sanctiss. Eucharistiæ sacramentum fructus Crucis.*

17. Quomodo, dicet aliquis, potest sanctissimum hoc Sacramentum dici fructus crucis, si primò institutum fuerit, quàm crux pro Christo posita? Respondeo sanctissimum hoc Sacramentum esse fructum non solæ crucis, sed prout Christus cruci insertus fuit. Sicuti ex duabus arboribus insertis, nascitur unus fructus participans naturam utriusque; sic hoc sanctissimum Sacramentum, licet fuerit ante crucem institutum, participat tamen ab utraque arbore, à Christo qui est arbor vitæ participat vitam; *Qui manducat me & ipse vivet propter me:* & ab arbore crucis quæ instrumentum mortis Christi fuit, memoriam mortis ejus participat: *Quotiescumque manducabitis panem hunc mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ab arbore vitæ participat omne bonum; ab arbore crucis humilitatem & animi submissionem, quod est quasi dicere, ab illa medullam, ab hac corticem accipit. Hîc quoque notandum, duas arbores sibi invicem posse duobus modis inseri, v.g. malus Sydonia & Persica; primò inserendo malo Sydoniæ Persicam, vel Persicæ malum Sydonium. Sic Christus duobus modis insertus fuit cruci, in monte Calvario fuit ipse cruci insertus, sed in ventre matris crux ipsi inserta fuit: ad hoc enim nascebatur & semper illam in corde gerebat. Fructus ergo sanctissimi Sacramenti licet primò esset, quàm Christus cruci insertus fuisset; non tamen fuit antequam crux Christo inserta esset; ideoque in ultima cœna dicit de eo S. Ioannes: *Sciens Iesus quia venit hora ejus; ut transeat ex hoc mundo ad patrem.*

Ioan.6. 58.

*Sacramentũ hoc participat virtutẽ à Christo & à Cruce.*

1. Corinth. 11.26.

*Christus Cruci insertus duobus modis.*

Ioan. 13. 1.

18. De hac duplici insertione, pulcherrimam habemus figuram in lingua Hebraica, ut notant multi in hac lingua plurimùm versati, hoc nimirum sanctiss. nomen IESUS scriptum reperiri litterâ Tau, quæ ut S. Hieron. & Gregor. affirmant, est symbolum Crucis, & idcirco signata in frontibus lugentium illos à castigatione divinâ eripuit. Prædicti quoque auctores affirmant, litteram Tau, aliquando in principio, aliquando in fine istius nominis poni, ut patet in illo versu Psalmi: *Salus autem justorum à Domino*; in fine quoque ut in illis verbis Patriarchæ Iacob: *Salutare tuum expectabo Domine*; & in illis verbis Isaiæ: *Viderunt omnes termini terræ salu-*

*Nomen Iesu per litteram Tau scriptũ dupliciter.*

Ludou. de Ponte in Cant. 15. 27

Hieron. in Ezechiel. 13

Greg. lib. 30. Moral. c. 17. Ezech

Psal. 36. 39.

Genes. 49. 18.

Psal. 97. 3.

*salutare Dei nostri.* Nec credendum hoc sine mysterio accidisse; dicere quippe possemus nobis per hoc significari, neminem ad Iesum venire posse nisi per crucem, cùm ipse ex omni parte crucem habeat, & nomen IESVS in medio sit crucis. Vel etiam omnes fideles per crucem salvandos, tam in antiqua lege, quàm in nova Evãgelica lege, sicut etiam Christus est fodina inexhausta nostrorum bonorum thesaurus, intelligere possumus hunc in medio crucis situm esse, per crucem enim principium & finem nostræ salutis habemus.

*Nemo ad Iesum venire potest nisi per Crucem.*

*Crux salutis thesaurus.*

19. Sed ad propositum redeamus, quis hic non videat duplicem insertionem? Crux in principio est nominis IESV, ergo ipse cruci insertus fuit; crux in fine est nominis IESV, ergo crux ipsi inserta fuit, non enim in fine solummodo vitę crux ipsi unita fuit, verùm etiã à primo suę vitę instante crucem cordi suo insertam tulit. Et hic est principalior fructus crucis, ratione cujus potest inter omnes arbores sola excellere. Cùm aliquis insigni doctrinâ, vel virtute præeminet, non solùm sibi sed toti familiæ, imò & patriæ gloriam affert: unde videmus multas civitates contendere pro honore alicujus excellentis Scriptoris: sic in Græcia pro Homero contenderunt; in Italia pro Plinio & aliis. Pari modo crux ipsa non modò honorem particulari attulit arbori ex qua formata fuit: verùm etiam omnibus aliis.

*Christus in principio & fine vitæ cruci infixus.*

*Lignum S. Crucis universa ligna decoravit.*

20. Dum Regius Psalmista de Adventu Christi, & dominio ipsius in toto mundo discurreret; dixit omnes arbores lætitiâ exultare debere; *Tunc exultabunt omnia ligna silvarum, à facie Domini quoniam venit.* Ps. 95. 13. Sed cur ligna ista exultare debebant? fortè ille Rex de cælo descendebat, ut illa redimeret? Imò in hoc mundo non se magis exacerbatum monstravit, quàm contra arborem ficus quam maledixit. Respõdet Euthymius, ligna exultare debere, quia ex iis sumendum erat lignum S. Crucis: *Tunc exultabunt,* inquit, *omnia ligna silvarum, eò quòd ex eis sumendum sit salutare Crucis lignum.* Vt per hoc recuperarent famam, quam in arbore unde totum genus humanum mortem incurrerat, amiserant. Sed notandum hic est, illum non dicere omnia ligna hortorum, aut camporum, sed silvarum; ligna quippe silvarum cùm nullum producant fructum, vix ab hominibus æstimantur; cui malo ut Dominus occurreret, ex eis lignum Crucis sumpsit, quod talem produxit fructum, ut superet omnes aliarum arborum fructus, ex hac sanctissima arbore oleum divinorum Sacramentorum, vinum amoris Dei, acetum compunctionis, & saccarum spiritualis dulcedinis effluit.

*Per lignum S. Crucis alia ligna famam recuperarunt.*

*Ex Cruce omnes virtutes effluxerunt.*

21. Hinc sponsus in Canticis dicebat: *Messui myrrham meam cum aroma-* Cant. 5. 1.

aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo; comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Sed si sponsus myrrham collegerat amaram, cur non obtulit eis? & si myrrham messuerat, quomodo ipsis offert vinum, mel & lac, quæ omnia sunt dulcia? forte myrrha conuersa erat in dulcedinem, & liquores suaves? Sic est, crux quippe aliaque tormenta, quæ in seipsis amarissima erant, cùm à nostro Redemptore accepta fuerunt, dulcissima & suavia evaserunt. Dicamus etiam cum S. Bonaventura sex modis nos crucem accipere posse, & meditari Passionem Dominicam.

*Sex modis passionem Christi meditari possumus.* S. Bonav. opusculo de stimulo amoris Dei cap. 3. lib. primi.

22. Primò *ad imitandam*, id est meditari Passionem Domini ut virtutes consequamur quæ in eis resplendent. Hoc modo se contemplari monstrabat anima quædam sancta, dicens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*: Nam myrrha illa ratione contemplationis amaræ crucis adeò manebat liquefacta, & calefacta, ut quasi per ignem distillata foras emitteret liquores, & odores qui aliquandò ad manus usque defluent; ideoque alibi dixit: *Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Quod tunc verificari potest, quando cogitatio crucis, & Passionis Domini, non solùm in corde remanet, sed ulteriùs transit ad operationem; quando nimirum nos mortificamus & conformamus exteriùs Christo crucifixo. Cùm manibus tractamus, ea quæ fœtere solent, statim manus lavare solemus; sed dum bene olentia tangimus, aliquas relinquimus manibus adhærere reliquias, ut bono fruamur odore; Passio adeò redolet, ut de ipsa dictum sit, *Oleum effusum nomen tuũ*; aliqui tamen post meditationem nolunt in se remanere aliquod ejus vestigium, quasi mali esset odoris. Sed veri servi Dei odorem illum in seipsis continentes in operationibus, & exercitiis per patientiam, & mortificationem proprię carnis exteriùs exhibent, quod intus perceperunt.

*1. Ad imitandam.* Cant. 1. 12. Cant. 5. 5. *Meditando passionem, eam in nobis ipsis exercere debemus.* *Passio Christi ut bonus odor nobis inhæret.* Cant. 1. 2.

23 Sic anima devota in Canticis dicebat, *Digiti mei distillaverunt myrrham probatissimam.* Quasi diceret, nõ lavo manus postquam tetigi myrrham dilecti mei; sed conservo odorem unguenti, qui postea distillavit per manus. Et hic methodus meditandi passionem correspondet primo modo, videlicet ut fruamur fructu hujus arboris per modum cibi solidi; sicut enim cibus solidus magis nutrit & convertitur in substantiam nostram, quàm aliquis liquor; sic imitatio Crucis Christi magis animam perficit ipsique similem efficit, quàm sola cogitatio interior. Sicut enim cibus fortitudinem, & robur addit illi qui comedit; sic ab exemplo & passione Christi mirabiliter martyres se robo-

Cant. 5. 5. *Meditatio Passionis animam perficit.*

roborari sentiebant. Hinc Apostolus exhortabatur Hebræos; *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem adversus semetipsum; ut ne fatigemini animis deficientes.* Quasi diceret: masticate dentibus sæpiùs passionem Christi, & non subitò illam deglutiatis instar liquoris, & dabit vobis fortitudinem nec deficere permittet. Maximum solet militibus animum addere, cùm vident victoriosum sui Ducis vexillum in altùm elevatum; sed quodnam est vexillum militantis Ecclesiæ, nisi Crux? & quas victorias non obtinuit in hoc signo? Constantino Magno dictum fuit; *in hoc signo vinces*, & crux ipsi ostensa fuit quam semper postmodum in armis gerebat, relictis Aquilis, & Draconibus; & ideò S. Ambrosius ait; *Exercitata mens, Aquilarum non præfert imagines, nec Dracones, sed in Cruce Christi, & in Iesu nomine, progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc signo fidelis.*

Ad Hebr. 12. 3.

*Crux victoriam præstat.*

S. Ambros. lib. 7. de Abraham cap. 7.

*Qui Crucē relinquunt pereunt.*

24. Ignavus fuit iste Constantini miles qui portans insignia Crucis, vidensque contra illam multas jaculari sagittas, timens ne vitam amitteret, alteri crucem ferendam commisit, & seipsum in loco tuto ut putabat abdidit. Sed quomodo tutus esse poterat longè à cruce quæ est defensio contra hostes? Ideoque subitò ut abditus fuerat sagitta quædam emissa ipsi vitam ademit; ubi is cui crucem tradiderat, in medio conflictu salvus remansit. Nemo ergo cogitet longè à cruce salutem se invenire posse, nemo illam relinquat ob tribulationes sperans se ab hostibus sic liberandum, sed firmiter ipsi adhæreat, nullumque imminens metuere poterit periculum. Ad hæc exhortabatur Apostolus fideles: *Nemo moveatur in tribulationibus; ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus:* quasi diceret, destinati sumus ut Crucem Christi in prælio portemus, teneamus illam firmiter, nec umquam ob tribulationes reiiciamus.

*Crucem ferentes liberantur ab hostibus.*

Ad Thess. 3. 3.

25. Secundus modus meditandi Christi Passionem, est *ad compatiendum* Christo pro doloribus; & hic est sumere illam per modum lactis; sicut enim hoc est primus cibus quem homo gustat; sic compassio est primus affectus qui in nobis oriri debet ex meditatione Passionis, & maximè incipientibus convenit. Ad hoc exhortabatur Apostolus dicens: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu &c.* Antiquitùs dicebatur: *Attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Sed hoc non contentus Apostolus, voluit ut ulteriùs progrederemur, & in nobismetipsis dolorem ipsius sentiremus. In figura Crucis antiquitus præceperat Deus, ne in comestione Agni Paschalis cocti quid esset, sed omnia igne assarentur. Quid hoc referebat, si coctum, aut assum igne fuisset? S. Iustinus martyr asserit

*2. Ad compatiendum Christo.*

Ad Philippenses 2. 5.

Threnor. 1. 12.

*Cur Agnus Paschalis assus comedebatur.*

S. Iustinus martyr.

*in lib. contra triphonem.* asserit, dum Agnus assatur transfigitur duobus modis, primò à capite usque ad pedes transfigitur veru & posteà à lateribus alio transfigitur ligno ut verui firmiùs adhæreat, & sic remanebat quasi in cruce. Vt ergo scirent, non sine memoriâ crucis eos comedere debere Agnum Paschalem, cum tali modo assabant. S. Gregorius quoque ait; Agnus non comedebatur crudus, aut leviter aquâ coctus, sed assatus igne, ut sciremus non fide, aut consideratione ullâ, vel humanâ sapientiâ examinare nos debere Christi passionem, sed igne amoris divini inflammati illam meditari oportere.

*Assatus Crucem repræsentat.*

*Christi passio non humano modo contemplanda.*

*Differentia inter coctionem & assationem.*

26. Pulchram quoque reperio differentiam, inter coctionem Agni in aqua, & assationem per ignem. In coctione siquidem aquæ sufficit coquo imponere carnem ollæ cum aqua, & ad ignem apponere, sicque ex seipsa satis coquitur: In assatione autem necesse est ut coquus igni appropinquet, carnem applicet, moveat veru, & de calore participet. Cùm ergo Deus præcepisset ut carnem igne assarent; significare voluit non sufficere ut quæ meditati sumus revolvamus; verumetiam ut ipsimet igne illo incalescamus, & accendamur; ut nimirum dolorum ipsius aliquo modo participes efficiamur, aliàs amici ejus dici non poterimus. In libro primo Machabæorum legitur Alexandrum Magnum misisse Ionathæ purpuram, & coronam: his verbis adjunctis; *Vt sis amicus noster, & quæ nostra sunt sentias nobiscum*: quasi diceret, non contentor ut sis amicus cæremoniarum & verborum, sed ex corde, ita ut sentias mecum bona, & mala quæ ego patior. Cùm ergo Cælorum Rex nobis concesserit pretiosam purpuram sanguinis sui, & coronam spineam multò pretiosiorem illâ aureâ; convenit ut nos quoque sentiamus mala sua, participes simus dolorum & passionis ejus, si non effectu, saltem affectu.

*Non sufficit simplex Passionis meditatio.*

*Machab. 1. 20.*

*Sed dolorem conjungere oportet.*

27. Herodotus refert Xerxem Regem dum ad præliandum contra Græcos pergeret, à Pitio Lidiano cum toto exercitu honorificè exceptũ, & ingenti pecuniæ summâ honoratũ fuisse, quâ liberalitate ipsũ ita sibi devicit, ut petere auderet ex quinque filiis Regem ad bellum comitantibus unum pro gubernatione familiæ domi retinere posse; hâc tamen petitione adeò Xerxes irâ commotus est ut exprobraret illi quomodo tu vis filium domi manere, cùm ego & filij mei cum totâ familiâ ad bellum properemus? Præcepitq; ut filius domi manere cupiens, in duas divideretur partes, & eo poneretur loco, ubi exercitus transire debebat. Si ergo ita mirum videbatur regi terreno, dùm ad bella properaret aliquem subditorum domi manere, hocque tam acriter puniverit; quantò magis Rex

*Herodot. lib. 7. cap. 4*

*Severum judicium Xerxis Regis.*

*Ex toto affectu Domino compatiendum.*

Rex cælestis irascetur nobis si unum ex quinque sensibus nostris nobismetipsis retinere voluimus, & non ex toto affectu ipsi compatiamur in doloribus? Quantis etiam pœnis digni æstimabimur, si dum ipse crucem ad montem Calvariæ pro nobis portat, nos permittamus sensus nostros vanis gaudiis & oblectationibus distrahi? Si oculi qui plangere debebant, lascivis aspectibus sese occupent? Si aures lamentationum loco se vanis gaudiis, & musicâ replere gaudeāt? Si palatum quod fel amarissimum, & myrrham gustare deberet, quærat dulcia & delectabilia vina cibosque suaves? Si odoratus non velit mortis sentire odorem, sed potiùs fragrantiam unguentorum? Si tactus qui flagella, & tormenta excipere deberet; delectetur rebus delicatis & mollibus?

*Nulli sensus à passione liberi esse debent?*

*3. Ad admirandam.*

28. Tertius modus Christi passionem meditandi est *ad mirandum* Dominum gloriæ se ita humiliasse amore nostri. Ad quem modum respondet vinum quod ex hac arbore effluit; sicut enim admiratio mentem, elevans hominem, quasi extra se rapit; sic vinum, mentem occupans, homines extra seipsos rapit. De hoc vino admirans Propheta David exclamat; *Calix meus inebrians quàm præclarus est*: Calix nempe Passionis. Mirabile fuit creationis opus, quo Dominus unico solo verbo magnam hanc mundi machinam de nihilo fecit, cælos tantâ amplitudine distendit, variisque ornamentis decoravit, terram tantâ firmitate fundavit sine aliquo prævio fundamento, partes ejus tantâ proportione disposuit; sed ad crucis intuitum, omnia ista opera obscurata manent & quasi nihilum reputantur: unde egregiè dicebat Isaias Propheta: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, ecce nova facio omnia.* Hinc Christo Salvatore nostro in cruce elevato, cælum obscuratum, & tenebris elementa omnia cooperta fuerunt, quasi ad præsentiam mirabilis hujus actionis cætera omnia tenebræ essent, & indigna quæ hominum aspectibus repræsentarentur.

Psal. 22. 5.

*Crux super omnia exaltata.*

Isaiæ 43. 18

*4. Ad exultandum de fructu passionis.*

29. Quartus modus est *ad exultandum*; non quòd gaudere debeamus de doloribus, & passione Salvatoris, sed propter utilitatem quam inde percepimus; qui repræsentatur in oleo, quod in Scriptura sacra pro symbolo lætitiæ ponitur, juxta illud Psalm. *Vt exhilaret faciem in oleo*; & illud, *propterea unxit te Deus oleo lætitiæ.* In villis & pagis rusticorum numquam major exhibetur lætitia, quàm dum finitâ vindemiâ copiosum fructum perceperunt laborum: idcirco Isaias maximum gaudium, exultationemque quam populus ex nativitate Christi Domini perciperet, explicare volens, dixit: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe*; & Apostolis dixit Christus:

Psal. 44. 8.

*Gaudium in passione Christi sicut in messe.*

Isaiæ 9. 3.

Ioan. 4.38. Christus: *Laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*: Quibus verbis comparando labores Patriarcharum, & Prophetarum, laboribus Apostolorum dicit, hos non laborasse, sed incepisse frui laboribus aliorum: quod certè extraneum videri potest, cùm labores Apostolorum gravissimi fuerint ut ex Epistolis Pauli, & Actibus Apostolorum colligere possumus. Chrysost. homil. 38. in Ioannē. Ad hæc S. Ioannes Chrysostomus ingeniosè respondet, labores Patriarcharum, & Prophetarum fuisse instar seminantium; Apostolorum autem metentium instar: licet enim metens plus laboret, quàm seminans, propter exultationem tamen quam percipit ex abundantia fructuum, non videtur ullum sentire laborem. *Passio Christi vindemia comparata.* Hinc Salvator noster messi, & vindemiæ suam passionem comparans dicit: *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*: Cant. 5.1. &, *torcular calcavi solus*, Isaiæ 63.3. per quod communiter Crux intelligitur.

*Fontes Salvatoris sunt vulnera ejus.* 30. De hoc modo meditandi passionem Christi loquebatur Isaias dicens: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Jsaiæ 12.3. Sed quinam sunt fontes Salvatoris, nisi vulnera ipsius? de quibus in persona ejus Propheta David loquens aiebat: Psal. 21.18. *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*: id est, effoderunt in manibus meis, & pedibus meis, sicut quando fodiuntur fossæ ad inveniendam aquam. Sed ex uno Salvatoris vulnere solùm exivit aqua, ex latere nempe; quomodo ergo dicit Isaias; *Ex vulneribus Christi hauritur aqua lætitiæ.* *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*? Isaiæ 12.3. Respondeo, non hoc intelligi de aqua materiali, sed de aqua metaphorica, de lætitia nempe, & exultatione; sicut enim in Ægypto dum aqua in sanguinem vertebatur, figurabatur lætitiam convertendam in afflictionem; sic dum nobis dicitur *haurietis aquam*, significare voluit ex vulneribus ejus lætitiam, & consolationem nos accepturos per meditationem ipsorum. *Vulnera Salvatoris reficiunt animā esurientem.* Sicut enim aqua fontis limpida, & frigida consolationem affert animæ esurienti, sic vulnera Salvatoris animæ afflictæ summam dulcedinem & consolationem inspicienti afferunt.

31. Quintus modus est *ad resolvendum*, *5. Ut in illū transformemur.* ut tali scilicet modo in crucifixum transformemur, ut semper illum habeamus in corde & quasi continuò ante oculos nostros versetur; hic modus exprimitur in aceto, acetum enim dum bibitur ita palatum oris nostri afficit, ut quivis alius sapor acetosus appareat. Hoc modo illam meditabatur sponsa quæ dicebat: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. 12. *Passio Christi semper ante oculos versari debet.* Non volebat ipsa flores, sed myrrham, & hanc non ut poneret intra vestes, aut linteamina, aut in capillis, sed ut portet inter ubera; ad quem finem Plutarchus benè notat naturam in feminis posuisse

se ubera in pectore, ut lactando filios, ipsos osculari possent, & amoris signa exhibere. Sic credo hanc inamoratam sponsam voluisse fasciculum myrrhæ inter ubera, ut magis esset sensibus vicinus; oculi semper illum intuerentur, nares sentirent fragrantiam odoris, & gustus illum continuò vicinum haberet. Vnde apparet illam quasi in myrrham fuisse resolutam, dum dicebat: *Manus meæ distillaverunt myrrham.* Talem imitationem in seipsa sentiebat gloriosa Angelorum Regina, de qua S. Bonaventura dicebat: *Aspicio, Domina, cor tuum, & id non cor, sed myrrham, absinthium, & fel video: quæro matrem Dei, & ecce invenio sputa, flagella, & vulnera, quia tota conversa est in ista.*

*B. Virgo tota in passionem Christi trãsformata erat.*

Cant. 5. 5.

S. Bonav. libro primo de stimulo amoris Dei c. 3.

32. Meditari denique passionem Domini debemus (ut inquit Divus Bonaventura) *Ad quietem dulcoris interni*, quod fit quando anima præ devotione, & dulcedine amoris divini totaliter liquefacta, seipsam collocat & requiescere sinit in dilecto suo, qui est dulcis ille somnus, à quo suscitari prohibet dilectam suam sponsus in Canticis: *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Et hic modus benè in saccaro exprimitur quod dulce est. Ad hoc quoque videtur respexisse sponsa dum dicebat: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo:* In sessione quippe sub umbra, repræsentatur quies, & in dulci fructu, dulcedo quam S. Bonaventura sequi asserit. Simili modo locutus videtur Propheta Regius dum dicebat; *Circumdederunt me sicut apes:* vel ut S. Augustinus legit, *sicut apes favum*: rationem autem reddit, quia sicut in favo apes mel fabricant, sic in Christi persona, persecutores & crucifixores ejus inscienter dulcissimum nobis mel fabricabãt: *Apes operantur in favis, nescientes, & persecutores Domini fecerunt eum nobis in passione dulciorẽ, ut gustemus, & videamus quàm suavis est Dominus.*

*6. Ad quiescendum in passione Christi.*

Cant. 2. 7.

*Passionem meditantibus dulcis datur quies.*

Ps. 117. 12.

*Persecutores Christi passionem dulcẽ reddiderunt.*

33. Frondes denique quæ nomine verborum accipi solent, dicere possumus in hac arbore sanctissimæ Crucis esse verba illa, quę in titulo crucis scripta erant, vel etiam verba quæ Salvator ipse in cruce protulit, quæ nobis inservire possunt vel ad scribendum, vel ad vestiendum. Ad scribendum, quia per illa æternum Patrem supplicare possumus; ad vestiendum, quia illis operire meliùs nuditatẽ nostrã possemus, quàm Adam foliis ficus fecerit; in vestibus quoq; excusationes sæpè repræsentantur, & Salvator noster suis verbis nostra peccata excusat dicens: *Pater dimitte illis non enim sciunt quid faciunt.* Ideoque bene dici potest animam his sese vestire. Cùm stupore & admiratione Europeorum habitatores novi mundi arbores Palmarum ascendunt, & fructus colligunt; & fideles qui omni affectu

*Frondes in arbore sanctiss. Crucis verba sunt.*

*Hæ frondes ad scribendũ vel vestiendum inserviunt.*

*Christi sequaces hilariter crucem ascendunt.*

affectu hunc mundum abdicarunt, & habitatores mundi novi sive cælestis patriæ saltem affectu, & conversatione effecti sunt, hilariter, & sine difficultate hanc arborem Crucis ascendunt, aliis id admirantibus qui mundi cupiditatibus immersi hærent. Vnde dicebat sponsa illa quæ tantùm amabat dilectum: *Ascendam in palmam & apprehendam fructum ejus:* Et notandum eamdem de arbore Crucis loquentem aliàs dixisse: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Sed quando illa ascenderat, non dixit fructus esse dulces; & tamen illi dulces apparere debebant, aliàs non ascendisset, nec tam longè quæsivisset; cum difficultate quippe & labore acquisita, dulciora esse solent: optimum nempe ciborum condimentum labor est proprius, & corporis exercitatio. Voluit ergo ut ego coniicio Spiritus sanctus per hoc nobis innuere duos esse modos fruendi cruce Christi; primus per contemplationem, & secundus per imitationẽ: Primus repræsentatur in sessione sub umbra, secundus in ascensione Crucis; & propterea meritò dixit Sponsa, fructum crucis dulcissimum videri dum quiesceret;

Cant. 7. 8.

Cant. 2. 3.

*Duo modi crucem ferendi, in meditatione, & imitatione.*

passionem quippe Christi cõtemplari, ac immensum ejus amorem quo genus humanum prosecutus est, maximumque fructum nobis inde provenientem considerare, summæ dulcedinis est animæ Christum amanti. Fructus autem in Crucis ascensione acquisitus non dicitur dulcis, quia imitatio Crucis Christi secum dolores, asperitates, animique afflictiones affert; unde licet spiritui possit apparere dulcis, caro tamen illum renuit & abnuit: Idcirco de eo nil dixit Sponsa quòd dulcis esset, aut amarus. Si denique ex illa arbore Indica fabricatur & impletur integra navis; Navis quoque S. Ecclesiæ, fabricatur & impletur omnibus bonis per sanctissimam Christi Crucem. Meritò ergo S. Ioannes Chrysostomus de hac Cruce exclamat, *Crux est Christianorum spes, Crux Romanorum v[illegible]ria, Crux mortuorum resurrectio, Crux cæcorum dux, Crux conversorum via, Crux claudorum baculus, Crux pauperum consolatio,* &c. Et ad ejus imitationem Cassiodorus: *Crux est humilium invicta tuitio, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, & vita Iustorum.*

*Contemplatio Crucis Christi dulcis est.*

*Imitatio tamen aspera.*

Chrysost. serm. de S. Cruce.

*Crux Christi Ecclesiam omnibus replet bonis.*

Cassiodor. in Psal. 4.

# IN FESTO
# ASCENSIONIS CHRISTI
## DISCURSUS UNDECIMUS.

*Quàm admirabilis & utilis hæc nobis Ascensio fuerit?*

Aquila recto ascendens volatu.

*Quis scrutabitur viam?*

### SUMMARIUM DISCURSUS.

*Aquilam ejusq; proprietates describit primis 6. num.*

*Admirabilem Christi Ascensionem ejusq; apud Patrem potestatem demonstrat à num. 7. usque ad 16.*

*Modum locumq; Ascensionis refert à num. 17. usque ad 23.*

*Nullam ascendendo difficultatem sensisse docet num. 24. 25.*

*An velociter ascenderit inquirit nu. 26. 27. 28. 29.*

*Gaudium & utilitatem quam Ascensio ejus attulit exhibet num 30. 31.*

*Spiritualem nostram nativitatem ejus Ascensione felicem redditam à nu. 32. ad finem usque prosequitur.*

*Aquila descriptio.*

1. INter omnia quæ in illa avium Regina, bellatrice invicta, & in apertissimo aëris cãpo venatrice felicissimâ (Aquila, inquam) cuncti admirantur, non minimùm est ejus ad superna volatus: is siquidem adeò sublimis est, ut altitudinem transcendens nubium, nulla adeò eam volucris assequi, nec humanus oculus contemplari queat. Cùm autem ibi à fulgure quod in secunda formatur aëris regione lædi non possit, finxerunt veteres (Plinio teste) Iovis eam esse armigerum. Non omnes tamen Aquilæ gaudent hoc privilegio (Si Eliano credimus) Sed illæ solùm quæ non carnibus sed herbis vescuntur; nec per consequens bellum aliis indicant animalibus. Volatus quoque ejus velocissimus, ratione cujus Nilus rapidissimus fluvius Aquilæ nomen adeptus est, referente Pierio. Cùm autem Promoteus inundationis Nili causã frustra indagatus fuisset, cor ejus ab Aquila corrodi finxerunt

Plin. lib. 10. cap. 13.

Elianus li. 9. cap. 10.

*Nilus propter rapidũ cursũ Aquilæ assimilatus.*

xerunt Poëtæ: postmodum verò ab Hercule doctus, ejus auxilio ab hoc tormento liberatum fuisse fabulati sunt. Hâc velocitate insignem Cervorum, Leporum, aliarumque volucrum efficit prædam, quas etiam in aquis mirabili modo in tantum prosequitur ut defessæ sese capi permittant.

*Volatus ad cælum.*

2. Inter omnia autem quibus Aquila alias excedit volucres, volatus ejus ad cælum est admiratione dignus, non enim ut reliquæ aves per mille gyros alta conscendit; sed recto tramite superna petit. Hinc omnibus felicissimum semper fuit Aquila augurium: sed majori observatione dignum est, Aquilam volantem veteribus felicitatis pacificæ signum fuisse, sedentem verò felicitatis inquietæ, & molestæ: cujus contrarium verius nobis videri solet. Rationem tamen ejus assignantes ajunt Aquilam volantem omnes aves metuere, ab eaque longè discedere; sedentem verò parvi facere, & quandoque injuriis appetere. Romani antiqui, imperatores suos defunctos perpetuò cum Diis regnare demonstrare volētes, Aquilam supremæ pompæ funeralis parti imponere solebāt: quæ subitò ut rogum accensum sentiebat volatu superna petens, Imperatoris animam cælum petentis adumbrabat.

*Aquila felicis. augurium.*

*Rapacitas ejus in homine felix augurium.*

3. Symbolum quandoque rapacitatis est Aquila: in hominibus tamen rapacitas ejus felicitatis signum habita semper fuit. Quod variis probari posset eventibus; ut autem fabulosam illam omittamus Ganimedis in cælum evectionem per Aquilam. Notatu dignus videtur casus ille qui Rodophe meretrici accidit, cùm enim illa se lavare vellet, ideoque vestimenta famulæ custodienda tradidisset, Aquila quædam ex tibialibus ejus pulchrè elaboratis unum abstulit illudque in sinum Psanmitici Ægyptiorum Regis (tunc temporis in foro publico judicium dicentis) cadere permisit. Quod munus ipse cum stupore considerans, mulierem illam undique conquisitam accersiri fecit: Eamque repertam, pulcherrimâ formâ præditam, sibi in uxorem pariter & totius Ægypti Reginam assumpsit. Tarquinio Superbo Aquila pileum abstulit, ac postmodum in caput ejus rursus decidere permisit, dum Romā pergeret: ex quo facto Tanaquilla uxor ejus sapientissima mulier, Regem illum fore augurata est, ut posteà accidit. Cæsari quoque Augusto dum privatus civis Neapolim tendens, in via pranderet; repentè Aquila panem de manu auferens, altissimè avolavit, ac iterum ad eum rediens restituit: quod inter alia signa prognostica futuri ejus Imperij refert Suetonius. Aurelianū quoq; Imperatorem adhūc fasciis involutū, Aquila absq; ullo accipiens nocumento, altari cuidam vicino imposuit.

*Elian. li. 13. Quomodo Rodophe Regina facta Ægypti?*

*Tarquinio & Cæsari Aquila Imperium præsignat.*

*Sueton. in vita August. Cæs. cap. 44.*

 5. Mira-

*Helena Diis sacrificanda ab Aquila liberatur.*

5. Mirabile quid etiam Lacedæmoniis accidit, dum mortiferâ infecti lue oraculum consulerent, quod respōdit ipsos ab hoc malo liberandos, si annis singulis virginem nobilem immolarent. Cùm autem, hoc exequi volentes, sortem misissent, cecidit sors super Helenam, quâ ad locum sacrificij adductâ, cùm Sacerdos cultrum levasset ut eam morti traderet, Aquila ex alto volans de ejus manu cultrum abstulit, & ad locum ubi armenta custodiebantur pergens super vitulam unam cadere permisit, quæ ejus loco immolata est. Apud omnes ergo Aquilæ rapacitas signum felicitatis exstitit, Aliæ autem volucres istis felicitatem, his infelicitatem protendebant.

Pierius Valerius lib. 19.

*Rex Salomon sapientissimus.*

6. Quantum verò ad naturam volatus ejus, audi Salomonem Regem copiosissimum divitiis, & ditissimum sapientiâ; cujus intellectus tantâ fœcunditate fuit præditus ut ab altissima arbore ad tenerrimam usque herbam universa naturæ arcana penetraverit, difficillima solverit ænigmata, absconditas rerum causas perfectè cognoverit, nec ullum fuit naturæ secretum quod ipsum latere potuerit. Fatebatur tamen tria esse sibi valdè difficilia, & quartum penitùs ignorare, inter quæ primo loco posuit; *Viam Aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescētia.* Quæ certè explicatu difficillima sūt, quis enim divinare poterit, quâ viâ Aquila tā pōderoso corpore sublime cęlorū ascendat; quomodo coluber in lubrica petra sine pedibus reptet, quomodo naves ex fragili compositæ ligno, contra ventorum impetus, undarumque furias resistere possint; quomodo denique juvenis qui in adolescentia sua ad omnia mala proclivis est, omniúque persuasionis vento facillimè movetur, se geret in ætate virili? Puto tamen altiùs Salomonem intendisse; licet enim in supradictis aliqualis videatur difficultas, quis tamen nescit Aquilam magnum habentem corpus alas quoque habere sufficientes quæ illud in altum efferant; colubrum etiam pedibus carentem, pellem habere rudem, quâ serpere possit; & si navis fragilis sit, maximâ tamen industriâ à nautis gubernatur, vita denique juvenis licet non omninò in adolescentia cognosci possit; ex aliquibus tamen conjecturis non infallibiliter prævideri potest.

Prov. 30. 18. *Quatuor vix potuit apprehendere.*

*Non secundùm litterā hæc intelligenda.*

7. Alia ergo credendum est Salomonem intendisse difficilia explicatu, tantumque ab ipso his verbis hæc adumbrata fuisse. Etenim S. Gregorio, Beda, aliisque referentibus, in his quatuor mysteria principalia vitę Christi pręfigurata fuerunt. In Aquilæ volatu mirabilis ejus in cælum ascensio; in via serpentis supra petram gloriosa ejus à mortuis resurrectio

*Quatuor præcipua vitæ Christi mysteria in iis adumbrata.*

ctio; in navi in medio maris fluctuante, Christus in Oceano tempestuosissimo acerbissimæ suæ passionis; in via hominis in adolescentia, vel ut Textus Hebræus loquitur *in adolescentula*, purissima ejus conceptio in ventre virginis matris. Quæ certè omnia cùm non difficilia solùm, sed supernaturalia sint & divina, ab Angelico intellectu multò minus humano licet fide divinâ sacrisque litteris illustrato, cognosci perfectè nequeunt. Quamvis ergo omnia vitæ Salvatoris nostri mysteria maximè sint admiranda; nulli tamen horum S. Ecclesia titulum admirabilis tribuit, quàm Ascensioni ejus in cælum, sic precando *per admirabilem Ascensionem tuam*.

*Cur Ascensio Christi admirabilis vocata.*

8. Sed quâ ratione (quæret fortè aliquis) inter omnia Passionis & Resurrectionis mysteria, soli ascensioni hic titulus tribuitur? An mirum videbitur civem reverti in patriam, flumen ad mare, ignem ad propriam ascendere sphæram? Sed patria Christi cælum est; *primus homo* (Adam videlicet) *de terra terrenus*; *secundus homo* (Christus nempe) *de cælo cælestis*: quid mirũ ergo si finitâ peregrinatione eò revertatur? De paradiso exivit sicut flumẽ de mari; *Ego sicut fluvij Dioryx, & quasi aquæductus exivi de paradiso*: quid mirum si illuc revertatur? Ignis est Christus, *Deus tuus ignis consumens est*; & sphæra ipsius in cælesti Ierusalem; *cujus ignis in Sion & caminus in Ierusalem*: quid mirum ergo si illuc ascendat? Summus Sacerdos erat; *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; quomodo nõ intrare debebat in Sancta Sanctorum Olympici cæli? Inimicorum omnium summâ triumphabat victoriâ, *expolians principatus, & potestates, palam triumphans in semetipso*, quomodo ergo ad cæleste capitolium paradisi ascendere non debebat? Cælorum Rex incoronatus erat; *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: quomodo possessionis locum obtinere non debebat? Verus erat sol & & hujus mundi lux: *Ego sum lux mundi*, quomodo non debebat circulum perficere, & intrare unde exierat, *à summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summũ ejus?* Totum sulcaverat tribulationis mare; *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*; quomodo non debebat ad portum æternæ felicitatis appellere, juxta illud quod dixerat: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

1. Corinth. 15.47. Eccli. 24. 41. Deuteron. 4.24. Isaiæ 31.9. Ps. 109.4. Ad Coloss. 2.15. Matth. 28. 18. Ioan. 8. 12. Psal. 18.7. Psal. 68.3. Luc. 24.26

9. His tamen non obstantibus meritò Ascensio Christi admirabilis vocatur, sive enim consideremus terminum & altitudinem ipsius, sive modum, media, finem, vel motiva inspiciamus, ubique maximam reperiemus admirandi occasionem, nec cum Salomone solummodò dicere poterimus viã Aquilæ in cælo difficilem esse ut cognoscamus; verumetiam cum patiente

*Meritò Christi Ascensio admirabilis vocata.*

patiente Iob exclamare poterimus; *Quis poterit scrutari vias ejus?* vel ut nos initio posuimus, *Quis scrutabitur viam ejus?* Quis investigabit iter? Quis penetrabit altitudinem? Quis mensurabit velocitatem? Quis reliquas explicabit circumstantias? Quantum autem ad altitudinem & terminum, quis umquam cogitare potuisset naturam illam cui dictum est; *pulvis es, & in pulverem reverteris*; exaltandam non solùm supra cælos, sed super omnes Angelorum Choros, & æterni Patris recipiendam consessu? Quis umquam imaginari potuisset naturam inter omnes maximè humiliatam in tãtam exaltandam dignitatem ut ampliùs ascendere non posset? Quid hîc diceret Philosophus intelligens corpus mixtum cui propter terrenam gravitatem ultimus convenit locus, non solùm suprà omnes cælos elevatum esse, verumetiam ibi sedere tamquam in centro, ibique perpetuò permansurum? Quomodo elementum quod extra centrum quiescere non potest, tamdiu ibi permanere potest? Si violentiam ipsi inferri dicamus, quomodo in æternùm permanere poterit, cùm nullum violentum sit durabile & perpetuum?

Iob. 36. 23.

*Admirabilis quantum ad terminum.*

Genes. 3. 19

*Natura humana mirabiliter exaltata.*

10. Nec Philosophus solùm verumetiam Theologus hîc multa reperit admiranda: cùm enim in Christo duæ sint naturæ, humana & divina, & per hanc sit æqualis Patri, per illam verò minor Patre, per has duas apparentem invenit hic repugnantiam, nec scit cui hoc mysterium attribui debeat, vel Christó in quantum homo est, vel in quantum Deus; non sic in aliis contingit mysteriis; cùm quippe nascitur, jejunat, patitur, moritur; clarum est hæc omnia perferre in quantum homo; cùm verò illuminat cæcos, auditum tribuit, peccata remittit, & Spiritum sanctum donat, omnia tamquam Deus hæc perpetrat. Sed de Ascensione ejus quid dicemus? Quod ut Deus ascenderit? Sed numquid Deus est ubique, quomodo ergo ad cælum ascendit, quasi ibi non esset? fortè ut homo? sed ad dextram Patris sedere æqualitatem cum Patre significat, quod homini minimè convenire potest. Simile quoddam dubium proposuit Christus Pharisæis qui se legis doctores esse jactabant; *Quid vobis videtur de Christo cujus filius est?* Respondebant omnes filius David; *quomodo ergo* (ait illis) *David vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis?* Ad quod respondere non poterant. Matt. 24. 42 Psal. 109. 1.

*Si Ascensio Christi humana vel divinæ adscribenda natura.*

11. Augetur magis hæc difficultas cur Christus dicatur ad dextram Patris sedere, cùm Deus Pater nullum habeat corpus utpote qui totus est spiritus, juxta dictũ Mercurij Trismegisti; *Deus circulus est, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam.* Licet tamen adhuc demus dextram & sinistrã in

*Cur dicatur ad dextram sedere cùm Pater non habeat corpus.*

in patre, numquid dextra digniori datur? Quis autem umquã dicet digniorem patre esse filiũ? In sessione quoque major reperitur difficultas, in primis enim est contra illud quod S. Stephanus viderit Christum non sedentem, sed stantem; 2. Corpus gloriosum fatigari non potest, sessione ergo non indiget.

*Vtrum sedeat ut Deus vel ut homo?* 12. Vel Christus denique sedet à dextris Dei ut homo, vel ut Deus, si ut Deus, hoc habuit ab æterno, si ut homo, cùm minor sit Patre, dici non potest sedere à dextris Patris. O quàm altè volavit hæc nostra regalis Aquila! Sed non totaliter desperemus, non enim dixit Salomon tria impossibilia sunt intellectu, sed tria difficilia.

*Christus ascendit ut Deus & homo simul.* 13. Respondeamus ergo difficultatibus propositis. Ad primam quod attinet, utrum Christus cælos ascenderit ut Deus vel ut homo? Respondeo ut Deus, & homo simul; per hanc enim admirabilem unionem dicere possumus Deum ex seipso alioquin immutabilem, cælos ascendisse, & hominem minorem Patre ad dextrã consedisse Patris. Quomodo autem hoc acciderit, aliquã probemus similitudine: *Similitudo claudi & cæci se mutuo juvantium.* Ingeniosus quondam inter claudum & cæcum contigit discursus, ex quo posteà Alciatus emblema conficiens quomodo amici se mutuo *Alciatus in Emblem.* juvare deberent, hoc dictum apposuit *mutuum auxilium*. Occurrebant sibi mutuo ad ripam fluminis claudus & cæcus uterque anxius quomodo transiret flumen, cæcus viam trãnsitus invenire non valens, non audebat se manifesto exponere periculo; claudus licet viam cognosceret transitus, non tamen gressus firmare poterat, nec contra torrentis subsistere fluctus. Consilio tandem inito concluserunt ut cæcus claudum in humeros assumeret, & hic illi tutum monstraret iter. Iste portabat pondus, & hic demonstrabat viam; sic unus alteri beneficium exhibens, grati singuli pro beneficio extiterunt. Simile quid in Ascensione accidit; erant in Christo duæ naturæ, humana & divina, *Humana natura ad juta à divina.* divina alium locum acquirere non poterat, non quia clauda, sed quia ubique præsens immutabiliter; *Ego Dominus & non mutor*, & Malachiæ 3.6. *cælum & terram ego impleo*; humana Ierem.23.24. excæcata erat, nec oculos habebat ad videndum Deum, nec ad dextram Patris ascendere poterat, *Non enim videbit me homo & vivet*. Exod.33.20. Quid ergo actum, unionem admirabilem in uno corpore exhibuerunt, Deum & hominem simul hypostaticè unierunt: taliq; modo Deus ascendit in cælum unitus homini, & homo unitus Deo ad dextram sedet Patris.

14. Nec ibi solummodò sedet *Filius judicat omnes.* sed ipsi fulgur consignatum est Divini Iudicij; *Pater, siquidem omne judicium dedit filio*, quod san- Ioan.5.22. cta confirmat Ecclesia dum in

X sym-

symbolo de Ascensione agens *ascendit ad cælum sedet ad dexteram patris*, adjungit, *inde venturus est judicare vivos & mortuos*. Iovis ergo est Aquila, sed benigna, nec ullam in eos crudelitatem exercebit, qui ut homines secundùm rationis usum vixerunt sed contra eos qui more insensatorum animalium omnem suam in rebus terrenis fixerunt cupiditatem, propterea, inquit Sapiens: *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Christum ergo ad dextram sedere Patris non realiter intelligendum, sed metaphoricè, illum videlicet digniorem in cælis habere locum Patrique æqualem. Sed dextra numquid dignior locus? De eo apud Veteres variæ fuerunt opiniones, quidquid tamen sit, in Scriptura sacra sæpè dicitur filium sedere à dextris Patris, & Patrem à dextris Filij; sic enim ait David in Psalm. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, & *Dominus à dextris tuis*, ut sciamus nullam differentiam gloriæ, dignitatis, aut excellentiæ inter illos esse. Pulchrè hoc S. Petrus Chrysologus; *Sic à dextris sedet filius, ut pater non sedeat à sinistris, unica & singularis est divina consessio, ubi superna virtus recipit nil sinistrum*.

Sapientiæ 5.21.

*Christi sessio à dextris æqualitatem cum Patre indicat.*

Psal. 109. 1.

Chrysol. serm. 58.

*A dextris sedet ut nos defendat.*

15. Post Ascensionem tamen particulariter dicitur Filius sedere ad dextram Patris, non solùm ut ex mentibus nostris tollatur omne inæqualitatis dubium, verumetiam ut majorem habeamus consolationem, & confidentiam, dum cogitamus filium esse in dextrâ Patris: qui enim dextram alicujus tenet, facilè motum brachij dextri impedire potest, & retinere illud si percutere velit, aut offendere; hoc est officium Salvatoris in cælo. Quoties enim divinam Majestatem horrendis peccatis nostris provocamus ad iram, & meremur ut brachium suum contra nos extendat, ac condignè puniat? Subinde tamen nulla sequitur castigatio, Salvator enim noster retinens dextram nobis illum placabilem efficit. Simili modo natura providit corpori humano, ut enim vehemens cordis temperetur calor, ad dextram ejus pulmonem posuit, qui continuâ respiratione illud refrigerat, ne nimio calore viscera adurat. Pariter Salvator noster à dextris constitutus est Patris, ut ex lateris manuumque vulneribus suavi exhalante aurâ, ira Patris temperetur, ne nimio furore exardescens peccatores consumat.

*Vti pulmo à dextris cordis ut illud refrigeret.*

16. Sessio quoque ejus metaphoricè accipienda est, per hanc quippe significatur auctoritas, Regnum, & quies. Quod autem S. Stephano stans apparuerit, promptum se exhibere voluit pro se pugnantibus. Quod pulchrè S. Gregorius declarat dicens: *Sedere est judicantis, stare verò pugnantis, Stephanus stantem vidit, quem adjutorem habuit, quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem vinceret, pro*

illo

*illo de cælo illum gratia pugnavit.* Si curiosus ergo quispiam à me petat qualis reverà relictis metaphoris sit Christi in cælo situs, stetne an sedeat? Respondeo hoc solùm certum esse Christum non indigere sessione cùm stando non fatigetur, ipsumque pro arbitrio hoc vel illo modo stare posse vel quiescere, quomodo autem stet vel sedeat nos latet. Probabile tamen est (ut multi referunt) cùm stare magis connaturale sit homini, & corpora gloriosa non indigeant requie aut mutatione situs, quòd Christus erectus stet. Sed hoc inquirere nimis fortè curiosum est, ideoq; melius cum S. Iob dicemus: *Quis scrutabitur vias ejus?* & cum S. Augustino idem affirmante: *Quomodo sit in cælo corpus dominicum; curiosissimum & supervacaneum est quærere, tantummodò in cælo esse credendum est.*

*Quomodo sit Christus in cælo.*

Suarez in 3 p. to. 2 disp 51. sect. 3.

S. Aug. de fide & symbolo.

17. De modo ascensionis ejus quid dicemus? Quantæ difficultates, quanta mirabilia hîc sese offerunt? dicemúsne illum propriâ ascendisse virtute, aut ab aliis eò delatum? si virtute propriâ, quomodo ergo Evangelista dicit: *ferebatur in cælum*, & *Assumptus est in cælum*? Si portatus ab aliis quomodo cantat Ecclesia: *Ascendit in cælum*? Si virtute propriâ quomodo corpus gloriosum tanti pōderis, ut terræ vestigia relinquat impressa? Si delatus ab aliis, ubi quæso agilitas corporum gloriosorum? Alia insuper se offert difficultas, utrum cælum ascendens impedimenta senserit, vel liberè transierit? Si impedimentum habuerit, quomodo Ascensio ejus dicitur triumphalis, cùm adhuc præliari debuerit ut removeret impedimenta? Si via libera fuit & aperta, quomodo ministri ejus clamare debuerunt; *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ?* Quærendum insuper, si aliquem habuerit præcedentem & viam præparantem, ut Regibus terrenis moris est; vel ipse primus viam aperuerit? Si nullus præcesserit, quomodo Propheta Regius, inquit: *Iter facite ei qui ascendit super Occasum?* Si præcesserit quispiam, quomodo alius Propheta inquit: *Ascendit enim pandens iter ante eos?* Si denique alius ipsi viam præparat, ergo iste ante eū cælum intravit; si autē ipse viā aliis præparat, unusquisq; ascēdere poterit.

*Vtrùm virtute propriâ liberè ascenderit?*

Luc. 24. 51.

Act. 1. 11.

Psal. 23. 7.

Psal. 67. 34.

Michææ 2. 13.

*Qualiter & in quo loco ascenderit?*

18. Quâ verò parte cælorum ascendit? Ab Oriente? Quomodo igitur Propheta Regius: *Iter facite ei qui ascendit super Occasum?* Si ab Occidente, quomodo idem Propheta ait: *Ascendit super cælum cæli ad Orientem?* Amplius quæro utrùm in momento ascenderit, vel paulatim nubes & aërem penetraverit? Vtrùm velociter ascenderit, vel lentâ gravitate se levaverit? Si in momento, quomodo ergo ab Apostolis visus est ascendere; *cumq; intuerentur in cælum euntem illum?* Si successivè quid illum detinuit cùm virtutem haberet infini-

Psal. 67. 5.

Psal. 67. 34.

Actor. 1. 10

*Utrùm lentè vel velociter?* finitam? Si velociter, quomodo hoc Majestati Divinæ & triumpho conveniebat? Si lentè quomodo hoc corporis gloriosi proportionatum agilitati? Si velociter quomodo hoc amor maternus & discipulorum sufferre poterat? Si lentè quomodo æterni Patris immensus amor tamdiu sustinere poterat? Quomodo denique ascendit, rectè aspiciendo cælum, vel inclinando se versus Apostolos ad cælum intuentes? Si rectè quomodo affectus Discipulorum & Matris eum non movebat ut quandoque illos derelictos aspiceret? Ecce quàm admirabilis, & intellectu difficilis hæc Christi Ascensio?

19. Nec mihi quis objiciat Apostolos reprehensos fuisse ab Angelis his verbis: *Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cælum?* Actor. 1. 11. Nā & Angeli ipsi, Isaia teste, summoperè admirati sunt, dicentes: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Isaiæ 63. 1. Iuxtà mentem quippe S. Hieronymi, & Bedæ hæc verba sunt Angelorum admirantium ascendentem Dominum. *Angelorum admiratio in Ascensione unde orta?* Quare ergo Angeli admirari prohibent Apostolos? An fortè dicere voluerunt, vos, ô Apostoli, in schola Christi edocti altiùs penetratis divina mysteria quàm nos ipsi, ideoque minùs admirari deberetis! Potuit quoque Angelorum admiratio non ex gloriosa ejus Ascensione procedere, sed ex aspectu humanæ naturæ, & signis Passionis ejus, ideoque dicebant; *quare rubrum est indumentum tuum?* Isaiæ 63. 2. quasi dicerent Apostolis, vos admiramini illum ad cælum ascendere, admiramini potiùs eum de cælis ad terram descendisse. Vos admiramini gloriam quâ ad dextram ascendit Patris, admiramini potiùs amorem, quo descendit in sinum Matris; obstupescitis tot eum circumdatum Angelis possessionem accipere Regni cælestis; obstupescite potiùs Christum Regem inter duos latrones crucifixum fuisse. Hîc mecum convenire videtur Chrysostomus, dum hoc mysterium explicans ait: Chrysost. in Acta Apostol. *Multò magis admirandum est videre Christum è cælo descendentem, quàm è terris in cælum ascendentem.* Dici etiam potest Apostolos non tam de admiratione fuisse reprehensos, quàm quia nimiùm illi inhærebant, nec ad alia utiliora procedebant cōsideranda, ideoque dictum esse: *Quid statis*; quare nempe hîc otiosi hæretis? quare non ultra proceditis? quare non desiderio ad minùs illum sequi festinatis? quare vos nō præparatis ut comites itineris esse possitis? Transeamus ergo & nos à mirabilibus istis, ad eorum quātum possumus solutionem.

20. Ad primum ergo utrùm virtute propriâ ascenderit; Respondet S. Gregorius: *Christus propriâ ascēdit virtute.* *Redemptor noster non ab Angelis sublevatus legitur, quia is qui fecerat omnia, nimirum super omnia suâ virtute ferebatur.*

Non

Non fuit ergo curru igneo raptus ut Elias, non portatus ab Angelis ut Enoch, sed propriâ virtute; cùm enim omnium esset auctor super omnia quoque seipsum extulit. Gentiles qui opera manuũ suarum adorabant, meritò Deos suos curribus imponebant ac à bestiis trahi fingebant; Saturnum à serpentibus, Iovem ab Aquila, Bacchum à Tygribus, Neptunum à Delphinis, Solem ab Equis, Iunonem à Pavonibus, Venerem à Colũbis; sed nobiliores assumere potuisset portatores Christus, Angelicos nimirũ spiritus Cherubinos, & Seraphinos, quorum uti noluit ministerio, ut majorem exhiberet potentiæ suæ virtutem.

*Noluit ab Angelis portari.*

21. Dicet fortè quispiam ad augendam triumphi gloriam, Angelico potuisse uti ministerio, sicut enim Romanis gloriosior erat triumphus curru superbissimè ornato civitatem intrare, quàm pedibus incedere, sic etiam potuisset Salvator per potestates & principatus in cælum deferri. Respondeo talem fuisse triumphantis Majestatem, ut nullo horum indiguerit. Non tamen defuerint Angelorum millia Dominum suũ comitantium, licet ab illis nullum sentiret ascendendo adjutorium, ut notat S. Bernardus, *Angelico comitatus obsequio, non tamen fultus auxilio.* Quomodo ergo dicitur *ferebatur*? Verè quidem ferebatur, sed propriâ virtute; sicut dicitur *Assumptus* respectu humanæ naturæ, quæ sublevata fuit à natura divina, quod eleganter Divus Augustinus explicans ait: *Sub una eademq́ue persona, in eo qui elevat divinam potentiam; in eo autem qui elevatur humanam agnosce substantiam.* Dicamus quoque cum Angelico Doctore, quod cùm eadem sit virtus Patris & Filij, in quantum ipse suâ propriâ virtute ascenderit, dici potest illum ascendisse; in quantum verò virtus illa Patris est, ab ea assumptus dici potest. Nec solùm in quantum Deus cælos ascendit, verumetiam in quantum homo, sed gloriosus, ut notat S. Thomas: *Christus ascendit in cælum propriâ virtute, primò quidẽ virtute divinâ, secundò virtute animæ glorificatæ moventis corpus prout vult.*

*S. Bernard. serm. 1. de Ascens.*

*Assumptus dicitur respectu humanæ naturæ.*

S. August. serm. 3. de Ascens.

S. Thom. 3. part. quæst. 57. art. 3. ad 1.

22. Si Christus ergo gloriosè ascendit, quomodo remanserunt impressa vestigia pedum in terra? An fortè primò terram premere debuit ut sese in altum levaret, ut solent ij qui saltare cupiunt? minimè cùm corpus gloriosum istis adminiculis non indigeret. Numquid etiam agilitatis indicia sunt non relinquere vestigia terris impressa? Certè ita, inde enim colligitur si homo leviter incedat, aut graviter terram premat. Quomodo ergo Salvator noster tantâ formabat vestigia firmitate, ut terræ remanerent impressa; ex altera verò parte tantâ agilitate & levitate præditus, ut stellas ipsas ascendendo superaret? fortè demonstrare voluit se pro libitu uti

*Quomodo remanserunt impressa vestigia.*

posse gravititate vel levitate, severitate nempe vel misericordiâ: illâ terrenos puniendo homines qui nimiâ gravitate mundi attracti ad cælestia se erigere non valent; hâc verò parcendo illis qui terrenis affectibus exuti faciliùs cælestia contemplantur? Dici quoque potest reliquisse illum pedum vestigia terræ impressa, ut discamus oportere eum qui ad cælestia ascendere cupit, terrena pedibus conculcare & Christi vestigiis se similem reddere. Vestigia denique pedum hîc nobis voluit relinquere, ut illa cognoscendo, desiderio quoque ipsum sequendi majori accenderemur.

*Vestigia reliquit ut nos illa sequamur.*

Leo ut se à venatoribus insequentibus defendere possit, pedum vestigia, caudæ motione cooperit. Sic Salvator noster in hac mortali vitâ, humilitate suâ, & carnis infirmitate, vestigia tegebat Divinitatis; non ut manus effugeret Iudæorum persequentiũ, sed ut ab ipsis comprehensus crucifigeretur ignotus: alioquin, *Si Dominum gloriæ cognovissent, numquam crucifixissent*. In Ascensione autem à toto mundo agnosci debebat, ac propterea vestigia pedum suorum terræ impressa relinquere voluit.

*Cur in ultimo vitæ reliquit vestigia?*

Rom.1.12.

23. Alia quoque ratio non minùs conveniens assignari poterit, cur eodem in loco pedum reliquit vestigia, ut se monstraret Dominum cæli & terræ, ideoque illo tempore dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Secundùm Iuris ordinem ut aliquis possessionem acquirat loci, sufficit pedem apponere, juxtà illud dictum: *Possessio est pedum positio*; Christus ergo ostendere volens se potestatis datæ accepisse possessionẽ, pedum vestigia in hodiernum usque diem relinquere voluit, ut omnibus innotesceret verum esse quod dixerat, se Dominum esse cæli & terræ. Ne quoque memoria Ascensionis suæ ex hominum cordibus oblivione aliquando deleri posset, perpetuum ibi voluit manere sui memoriale discessus. Vel sicut amicus fidelis ab altero discedens, illud maximè commendare solet, quod cupit quampluimùm exequi: Sic Redemptor noster cùm nil magis à nobis exequi desideret quàm ut ejus inhæreamus vestigiis, illa terræ impressa reliquit, ut perpetuò habeamus exemplar, illuc nos subsequi debere, quò præcessit. Dum duo sibi mutuo maximè unita ab invicem separari debent, in uno vel altero aliquid alterutrius inhærere sæpissimè contingit. Sic Salvator noster cùm intimo nobis conjunctus esset amore non tantùm cor suum animumque reliquit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, & corda nostra secum in cælum detulit reponens illa in thesauris suis; *Vbi enim thesaurus vester est, ibi erit & cor vestrum*: Verumetiam cùm ampliùs beatissi-

*Vt se monstraret Dominum totius mundi.*

Matt.28.8.

*Vt illa mentibus hominum manerent impressa.*

*A terra separari vix potuit.*

Matth.28.20.

Matth.6.21

*Vestigia reliquit ut pignus haberemus amoris.* beatissimos illius osculari non possemus pedes, vestigia sua terræ reliquit impressa, ut pignus saltem haberemus amoris perpetui nobiscum. Cùm peregrinus aliquis viâ incedit ignotâ, nihil ipsũ magis consolatur quàm si videat vestigia præcedentium: Omnes hîc tamquam peregrini sumus & exules viâ tendimus difficillimâ ad patriam; cùm ergo Dominus consolari nos vellet, animumque addere, ut hilariter ipsum assequi possemus, suorum reliquit vestigia pedum, in viâ quâ cælum ascendit, testante Psalmidico Prophetâ: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in viâ gressus suos*: unde securi illo modo quo præcessit subsequi possumus.

*Vt nos consolaretur suâ præcessione.*

Ps. 84. 14.

*Nullum invenit impedimentum in Ascensione.*

24. Videamus modò utrùm Christus ascendendo aliquam invenerit difficultatem aut impedimentum rectè cælum intrandi. Nullum omninò; jam enim omnes devicerat adversarios, omnem superaverat difficultatem, ac Dominus cæli & terræ declaratus fuerat. Quomodo ergo Propheta David eum in sono tubę, quod signum est pręlij, ascendisse describit; *Ascendit*, inquit, *Dominus in voce tubæ*? Bis quoque præcedentes clamare debuerunt; *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales & introibit rex gloriæ.* Respondeo, in triumphis quandoque repræsentari prælia, non quia ibi denuò pugnandum est, sed in signum lætitiæ, & victoriæ adeptæ. Pari modo Propheta David tubas repræsentat & prælia, ut memores nos redderet periculorum & victoriarum Salvatoris nostri. Hoc ita intellexisse videtur S. Gregorius Nyssenus qui de hodierna ascensione loquens dicit: *Hodiernam solemnitatem satis per se magnam, Propheta David majorem efficit, dum ei gaudium è Psalmis adjungit.* Quasi diceret, ipsum aliquas adjungendo repræsentationes, & introducendo discursus proportionatos, hanc magis exornasse festivitatem; non respectu solemnitatis ipsius, sed respectu nostri, qui alioqui tantum gloriæ triumphum capere non possemus. Sic Davidica verba intelligenda sunt: *Iter facite ei qui ascendit*; non quod aliquo præcedente opus haberet, sed ut Angelorum animarumque sanctarum, Dominum suum comitantium, intelligeremus obsequium, ut contingere solet in solemni Regis in civitatem introitu.

Psal. 46. 7.

Psal. 23. 7.

*Christus in voce tubæ ascendit quia triumphans.*

S. Gregor. Nyssen. in oration. de Ascens.

*Multis comitantibus ascendit.*

Psal. 67. 5.

25. Sine metaphora quoque intelligere possumus illud Prophetæ: *Ascendit ad Orientem*; mons quippe Oliveti, undè Christus ascendit, ad Orientem positus est. Nec tamen dicendo: *Qui ascendit super Occasum*, contrarium asserere videtur, sed hoc rectè secundùm litteram accipiendum, qui enim ad Orientem ascendit, jam à tergo Occidẽtem habet & eum quasi pedibus calcat, super Occasum ergo Dominus ascendit.

*Ad Orientẽ contra Occasum ascẽdit.*

Ps. 67. 34.

26. Quid

*In principio lentè ascendit.*

26. Quid modò de velocitate ejus dicemus? Cum S. Bernardo mihi sentiendum videtur, Christum in principio lento ascendisse gradu, donec extra conspectũ foret Apostolorum: Non quia deficiebat ipsi potentia celeriùs ascendendi, sed propter consolationem Discipulorum ipsum attentè intuentium: *Videntibus illis* (inquit S.Bernardus) *est elevatus in cælum, & desiderantibus oculis secuti sunt gradientem*; non dicit volasse, ut significaret eum paulatim ascendisse. Reliquum verò ascensus summâ confecit velocitate, & in momento fortassis; licet enim juxta graves auctores, inter nos & nonum cælum, infinitum quasi distet spatium, ut si inde contingeret lapidem cadere ad hæc inferiora, non nisi multos post annos ad nos perveniret, Christus tamen non annis, non mensibus, non septimanis, non diebus, imò nec horis ascensionem perfecit. Quòd annos non impenderit probari potest, quia non colit Ecclesia anniversarium Ascensionis diem, sed eumdem quo cælos ascendit, sicut nec dies aliquot in ascensione consumpsit, cùm Ecclesiá in Ascensionis festo non diem colat discessus à terrâ, ille siquidem plus doloris quàm gaudij esset, sed gloriosi in cælum introitus qui eodem contigit die & anno. Insuper affirmo ne quidem aliquot horarum spatiis illum in viâ hæsisse, sed in momento cælum intrasse, eodem quippe tempore quo Apostoli cælum intuebantur, & Domini considerabant discessum, duo Angeli illis apparentes dixerunt: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum, hic Iesus qui assumptus est à vobis in Cælũ, sic veniet &c.* Credendum ergo est Christũ tunc cælum intrasse, cùm Angeli hoc dicentes, falsum dixissent; *qui assumptus est à vobis in cælum*: Brevissimo ergo spatio à terrâ in cælum ascendit.

S.Bernard. serm.3.de Ascens.

Piccolom. lib.6.Sphæræ cap.17.

*In fine celerrimè ascendit.*

*In momento ascendit ad cælum.*

Actor.1.11.

27. O admirabilis celeritas majori penetrandâ difficultate, quàm Nili inundatio. Mirum ergo videri non debet, si Apostoli Prometei instar sine corde remanebant quasi extra se rapti, cùm Aquila illa generosa hoc secum abstulerat. Nec minùs videtur mirum aves illas tamdiu in Limbo detentas in prædam cessisse victoriosę hujus Aquilæ juxta regalis Prophetæ dictum: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*: Et Zachariàs Propheta inquit: *Emisisti vinctos tuos de lacu*; sed mirandum summoperè multos reperiri, qui se potiùs aquis peccatorum immergunt; quàm ab hac amorosâ Aquilâ capi permittant.

*Christus ascendens secum Patres è Limbo adduxit.*

Ephes.4.8.

Zachar. 9.11.

*Christus rectè cælum ascendit.*

28. De modo autem Ascensionis ejus quid referemus? Similitudo Aquilæ invitat nos ut credamus ipsum recto tramite cælum petijsse: quod Ecclesia quoque picturis suis ubique exprimit. Hoc tamen sine admiratione capi non potest; cùm enim aliquis

ex

ex patria discedens, ubi chara relinquit pignora ad quæ facilè redire non sperat, sæpiùs illa respicit; ut de Demosthene Athenis, & de vxore Loth à Sodomis recedente legitur. Sponsa quoque in Canticis ad fugam cervorum hortabatur dilectum dicens: *Fuge dilecte mi, aßimilare capreæ hinnuloq; cervorum.* Si videlicet ad montes cælorum ascendere velis, vade juxtà beneplacitum tuum; sed recordare te cervo similem, qui fugiens quandoque retrospicit an quispiam sequatur: ego te semper sequar, si non effectu, saltem affectu, tu quoque aliquando respice, & me amoroso consolare intuitu.

Cant. 8. 14.

*Vtrùm ascendens non respexerit Apostolos.*

29. Cùm ergo Christus ardentissimo amore matrem charissimosque prosequeretur Discipulos, quomodo tam repentè ab illis discedere potuit? Quomodo benedictione datâ oculos manusque ad cęlum attollens ad Patrem ascendit? Quomodo à charissimis filiis sine intuitu avelli potuit? Numquid amor est pondus ingens, quod amantem ad amatum pertrahit? Hoc optimè noverat S. Augustinus dum dixit: *Amor meus pondus meum, eò feror quocumque feror.* Si amor ergo Christi ad familiam suam immensus erat, quomodo non ipsum inferiùs trahebat. Vel si contrarius amor Patris ipsum ad cælum evehebat, quomodo rectè ascendere poterat? Fulgur non rectè de cælo cadere solet, sed tortuosè se inflectendo; unde volunt aliqui illud intelligi per verba illa Iob: *Obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.* Cujus inflexionis rationem assignantes inquiunt, idcircò per gyrum descendere, quia ex petrâ & igne compositum, ignis illud sursum trahit, petra autem ad terram remittit. Quomodo ergo Christus, qui amore Discipulorũ quasi gravi pondere ad terram trahebatur, & amore Patris in altum ferebatur, recto tramite ascendere poterat, & non potiùs in unam vel aliam trahebatur partem? Admirabilia profectò sunt illa, *sed quis poterit scrutari vias ejus?*

*Quomodo amor Christum rectè ascendere sinebat.*

Iob. 26. 13.

*Cur Christus cælos ascenderit.*

30. Diutiùs his immorati admirationibus, ad alia animæ nostræ magis utilia transeamus, videamusque cur Christus cælos ascendere voluerit? Quid ergo dicemus, ascendisse eum ut patriã exhilararet cælestem, vel ut gloriam & beatitudinem augeret proprij corporis? Vt Patri referret grates pro honore ab ipso recepto vel ut pro tantis victoriis cõdignè præmiaretur? Vt Regni sui acciperet possessionem, vel ut nobis in illo pararet locum? Vt cælum bonis repleret terrenis, vel ut inde in terram bona transmitteret cælestia? Vt sese ab hominibus eriperet, vel ut homines secum ad cælos attraheret? Hæ & similes adduci possent rationes Ascensionis Christi in cælum, quas doctissimè & pulcherrimè explicat

D. Thom. 3. p. q. 57. a. 1.

*Ascendit ut cælum exhilararet.*

Angelicus Doctor in Summâ, quas breviter describendo prosequemur. Maximam profectò gloriam, & summum gaudium cælestis illa recepit patria in glorioso pariter ac victorioso Regis & Domini sui reditu: Si enim tantum in cælis est gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, eò quòd speretur Beatorum adjungendus collegio; quanta fuit lætitiæ festivitas, dum Sanctum Sanctorum in suo receperunt Cælestes consortio, ex cujus præsentiâ plus gloriæ & beatitudinis acquisiverunt, quàm ex omnium aliorum receptione? Si propter reditum filij prodigi tantam exhibuit pater festivitatem; quantam putes triumphum Pater cælestis ostendit in reditu obedientissimi sui Filij, qui non nudus & spoliatus, sed tantis victoriis & spoliis onustus gloriosissimè reversus est? Si tantum monstrarunt Angeli gaudium dum in vili nasceretur stabulo; quanto putatis exultaverint jubilo, dum in cælo super omnes beatorum spirituum ordines eum consedisse admirati sunt? Si in hoc mundo Princeps ex bello ad patriam victoriosè rediens, aut novellus Rex nuptias cum sponsa celebrans, ac Regni possessionem accipiens, tanto recipitur festorum apparatu, ac solemnissimâ pompâ; quàm beatissimi Spiritus festivum exhibere debuerunt apparatum, dum gloriosus illorum Rex cum sponsâ suâ amantissimâ Ecclesiâ (quam acquisivit Sanguine suo) cælum victoriosus intraret? Quàm faustas illi apprecati sunt acclamationes? Quàm pretiosa dona obtulerunt? Hic enim omnibus Principibus & victoriosis Ducibus gloriosior, omni triumpho excellentior, omni sponso gratiosior, infinitam paradiso cælesti attulit gloriam. Si Arca illa Testamenti veteris tanto est excepta jubilo in terrestri hac Ierosolymâ, ut nihil ubique audiretur quàm instrumentorum sonus, & exultantium jubilus; qualis debuit fuisse cælestis curiæ applausus, cùm vera illa humanitatis Christi Arca in cælestem deportata fuit Ierusalem?

*Quantam in Ascensione Angeli exhibuerunt festivitatem?*

31. Nulli ergo dubium esse potest, quin summa fuerit Angelorum exultatio; nec minor Christo gloria & honor, cùm Angelicos omnes supergressus choros, omnium thesaurorum ac gratiarum cælestium supremus fuerit constitutus dispensator, & ad æterni Patris dexteram in altissimo collocatus throno, suæ gloriæ factus perpetuus hæres. Nec soli Salvatori hæc cessit gloria, verùm etiam Ecclesiæ suæ utilitati & decori. Licet enim primo intuitu dubitare de eo aliquis possit, cùm per ejus absentiam tanto patrono viduata remanserit; dubium tamen tollitur, cùm ipsemet dixerit, *Expedit vobis ut & ego vadam.* Hoc multis possemus confirmare rationibus, unum tamen dicam: sicut

*Ascensio Christi ipsi maxima gloria.*

*Et summa Ecclesia utilitas.*

Ioan. 16. 7.

Aquila

Aquila volans antiquis erat felicitatis symbolum, sic nos majorem non possumus expectare felicitatem, quàm à Christo cælos ascendente.

32. Affirmant Astrologi, ex planetâ illâ quæ in nativitate alicujus ascendit, totius vitæ cursus felicitatem dependere. Sed quidquid de eo sit, non tantam afferre possunt utilitatem, quantam ex vero nostro Ascendente recipere possumus. Hanc verò felicitatem ipsemet præfigurasse videtur, dum in cælum ascendens, legem promulgavit Baptismi, qui spiritualis est nostra nativitas, quo veri regeneramur filij Dei, ipsomet dicente: *Oportet vos nasci denuò.* Sed cur, quæso, ad ultimum usque discessum hoc distulit instituere Sacramentum? numquid illud primum est omnium? numquid præ omnibus magis necessarium? quare ultimo ergo instituitur loco? Ad hoc respondeo, quòd cùm hoc Sacramentum sit nostra spiritualis nativitas, voluit ipse tunc esse astrum ascendens, ut felix nobis esset nativitas; ideoque ultimo momento Apostolis dixit: *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*; & cùm hæc dixisset elevatus est in cælum. O quàm felix hæc nativitas! Hoc benè intellexit S. Seno Veronensium Antistes, loquens enim Neophytis recenter baptizatis, dixit: *Parvulis morem geram, sacriq; Horoscopi pandam totâ brevitate secreta.* Nos ergo sequentes vestigia Astri nostri ascendentis ut spirituales Astrologi, bona omnia quæ ipsi in planetarum fabulantur ascensione, in hoc nostro Ascendente potiori reperiemus ratione fundata.

*Christus ascendens signum felicitatis in nativitate spirituali.*

Ioan. 3. 7.

Matth. 28. 19.

*Baptismus cur ultimò institutus?*

S. Seno sermone ad Neophytos.

*Bona quæ astra tribuere dicuntur Christus perfectiùs largitur.*

33. Considerandum ergo in principio, planetas aliquos benignum habere aspectum, alios verò malignum. Primi generis sunt Iupiter, Venus, & Sol; secundi generis Saturnus & Mars: alij indifferentes sunt & mutabiles, ut Mercurius & Luna. Meliùs tamen affirmant alij, planetas omnes, licet malignum habeant influxum, ex seipsis quoque benignum aliquem habere, ita ut prodesse possint vel obesse, propter malam subjecti dispositionem, conjunctionē alterius astri, aut aliquod aliud impedimentum obveniens. Consideremus ergo breviter præcipua quæ ex astris provenire solent bona (ut ajunt Astrologi) & longè uberiùs illa in nostro reperiemus ascendente Astro.

34. De Saturno primo planetâ ajunt Astrologi, quoties benigno aspectu in alicujus repetitur nativitate, infans qui nascitur diuturnæ erit vitæ, sanus, moribus gravis, constans & immutabilis in cunctis: hic enim planeta est omnium in motu tardissimus, & altissimus in cælo. Sed quid hæc cum effectibus nostri Ascendentis? Ipse enim non longam solum-

*Saturnus largitur sanitatem & constantiam.*

modò vitam, sed perpetuam promittit: non tantùm sanitatem, sed felicitatem continuam: non constantes solùm efficit, verumetiam invictos: non solùm immutabiles, sed ne quidem ulli passioni aut corruptioni obnoxios. Hoc Christus apertè docet in Evangelio: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* (quod est spiritualiter renasci) *salvus erit,* æternâ videlicet fruetur vitâ, & absque omni corruptione in felicitate gaudebit.

*Christus hoc meliùs efficit.*

Luc.16.16.

*Iupiter omnia fausta largitur.*

35. Saturnum sequitur Iupiter, quem magni facimus in nativitate alicujus; dicitur enim secum omnia adferre utilia, & removere nociva. Multò tamen meliùs Iupiter supremus, dum nativitati nostræ præest, idipsum perficit; omnia quippe mala in bonum convertens, nihil nobis nocere sinit, ut clarè testatur Doctor gentium, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quid magis hominibus nocivum quàm venenum? Sed ne hoc quidem tibi nocebit, si sub nostro ascendente Iove natus sis: Audi ipsum in Evangelio dicentem; *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.*

Rom.8.28.

*Christus ab omnibus malis nos defendit.*

Luc.16.17.

*Mars victoriam & fortitudinem tribuit.*

Iovem Mars comitatur æquo ferè passu, cùm hic influxu suo fortitudinem, animum invictum, & victorias promittat. Sed facescant inanes hæ fabulæ: Mars noster ascendens, non victoriam solùm & fortitudinem contra hostes promittit terrenos, verumetiam *contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, Apostolo teste, & contra infernales hostes plenam de facto tribuit victoriam. *In nomine meo dæmonia eiicient,* inquit in suâ ascensione.

Ad Ephes. 6.12.

Luc.16 17.

36. Præ omnibus planetis Sol desiderari solet in nativitate ascendens, ipse siquidem Imperia, Regna, aliasque promittere solet dignitates. Sed frustrà hæc à Sole hujus mundi expectas, qui illa minimè largiri potest. Verus Sol Christus hæc omnia, dum in nativitate nostrâ ascendens fuerit, largiri potest. Hoc siquidem S. Ioannes testatur Evangelista, dicens: *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Quod videntur etiam Apostoli intellexisse ex illis Christi verbis in ultimo suæ ascensionis dicentis: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos dies*: ex quo S. Lucas infert, illos de Regno suo subitò cogitasse, ac propterea à Christo petiisse quando regnare inciperent. *Igitur* (inquit) *qui convenerant interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* Vbi notanda particula illa *igitur*, quæ illativa est, & ex præcedentibus hanc petitioné infert. Sed quomodo ex dictis hæc infertur petitio? Ad quid de Regno locutio, cùm nihil horum Christus promiserat? Quin imò dico ego, Regni promissionem optimè acceperant, intellexerant siquidem in verbo illo *baptizabimini*, quod spiritualem indicat nativi-

*Sol Regna & dignitates largitur.*

Apoc.5.10.

Actor.1.6.

*Christus cælestè & terrenum regnum promittit.*

tivitatem, in quâ dum verum Solem ascendentem cognoscebant, promitti illis Regnum & dignitates sciebant, ac propterea interrogabant, si modò hæc illis futura essent. Benè quoque hoc percepit S. Ludovicus Francorum Rex, qui asserere solebat, se plus accepisse dignitatis ubi baptizatus fuerat, quàm ubi coronatus.

*Venus benignum promittit amorem.*

37. Non minùs eligunt multi amorem, & hominum in se benevolentiam, quàm dignitates & imperia; ideoq; si in illorum esset potestate, Venerem pro ascendente in nativitate eligerent, quæ homines amatos, amabiles, & benevolos efficit. Ille tamen amor qui à Venere expectatur plus nocere quàm prodesse solet. Vtilem ergo & desiderabilem nobis Christi optemus amorem: ideò nempe cælum ascendit ut eum nobis in terram mitteret: *Si enim non abiero* (inquit) *Paracletus non veniet ad vos*: quod etiam Apostolis promisit, dicens: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Sed quæ conjunctio Baptismi & Spiritus sancti? quæ convenientia aquæ & ignis? Hoc rectè inquit, ut sciremus Spiritum sanctũ non ignem solùm esse, qui omnia inflammat, verumetiam aquam quæ cuncta abluit & mundat, hominesque amabiles & speciosos efficit: cognosceremus quoque maximam esse convenientiam inter nostram nativitatem per Baptismum significatam, & hunc divinum amorem per ignem explicatum.

Ioan. 16. 7. *Christus verum largitur amorẽ.* Actor. 1. 5.

*Mercurius sapientiam promittit.*

Quid ultrà à quoquam desiderari potest? sapientia forsan aut eloquentia, quam Mercurius in nativitate ascendens largiri solet? Sed falsa hæc & vana est sapientia: noster verò Ascendens veram sapientiam promittit & eloquentiam; ideoque illis donum impertivit linguarum, *Linguis loquentur novis.* Luc. 16. 17.

38. Magni denique fit Luna in nativitate favens, cùm enim prædominetur humoribus, corporumque dispositionibus, unde tota dependet hominum sanitas, inde sanitatem aut corporis infirmitatem homines colligere solent. Sed quis magis hominum prædominatur corporibus quàm factor eorum? qui si in nativitate ascendens fuerit, corporum sanitatem amplissimè promittit: *Supra agros manus imponent, & benè habebunt*: Non enim in semetipsis solùm sanitatem assequentur, verùm etiam aliis eamdem poterunt impertiri. O quàm benigni felicesque sunt influxus nostri Ascendentis? Beati reverà, qui suâ culpâ sese non reddent incapaces: quod de iis dici non potest, qui Christum nec in Resurrectione suâ imitari volunt, nec cum eo montem ascendere Oliveti, contra Apostolicum consilium: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* & S. Bernardus ait: *Si consurrexistis, & coascendite.*

*Luna sanitatem corporis & animæ largitur.* Luc. 16. 18.

Ad Colos. 3. 1.

*Cum Christo resurgere & ascendere debemus in cælum.*

39. Nec solùm à peccatis resurgere debemus, verùm etiam cum Christo resurgere: qui enim cum ipso surrexerunt, morti ampliùs subjecti non fuerunt. Sic nos peccata totaliter relinquentes, non ampliùs in illa relabamur. Dum autem à peccatis absoluti, cum Christo surreximus; montem cum illo Oliveti ascendere oportet, ubi primò Passionem suam inchoavit; elevare videlicet affectum à rebus terrenis, ex parte nostrâ efficere quod Deus suggerit;& si cum Christo cælum ascendere non possimus, ad montem aliquem ad minùs ascendamus;non hæreamus in valle:nimirum virtutum amplectamur exercitia, extra mundanos nos efferamus turbulentos motus, nec hæreamus in illis expectantes donec Salvator suâ virtute nos eriget,non enim sine necessitate miracula fiunt. Mortificationibus denique assuescere, ac voluntariè cum Christo aliquid in monte perpeti necesse est. *Si enim compatimur & conglorificabimur.* Et si cor nostrum ab hac divinâ Aquilâ rapi permiserimus,felicissimum erit præsagium, nos Regni cælestis fore possessores.

*Mortificanda sunt corpora.*

Rom.8.17.

IN

# IN FESTO PENTECOSTES

## DISCURSUS DUODECIMUS.

### *De admirabili, amoroso, & mysterisoo Adventu Spiritus S. super Apostolos.*

### Navis in mari tempestate quassata

### *Serenum erit.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

*DEscriptionem navium signaq́; serenitatis exhibet 8. primis num.*

*Ecclesiam navi comparat num 9. 10.11.12.*

*Quali & quàm mirabili modo Spiritus S. datus est, à num 13. usque 19.*

*Donum simul & rapina est. 20.*

*Amoroso modo Spiritum S. donatum refert 21.22.*

*Cur tamdiu exspectatus 23.24.25. 26.27.28.*

*Cur Eliæ in sibilo tenui, Apostolis in commotione missus 29.30.31.*

*Mysterioso modo Spiritum S. missum demonstrat 32.33.*

*Cur in linguis igneis venerit 34.35. 36.*

*Cur linguæ divisæ 37.38.39.*

1. PUlcherrima invẽtio, & felix partus humani ingenij, & audaciæ, fuit illa prima navis fabrica & usus, per quam velnti armato ephippio dorsum illius indomiti & ferocis equi, maris, inquam, furiosas comprimimus undas; & parvo gubernaculo, quasi fræno injecto, quocumque voluntati placuerit, iter nostrum dirigimus. Sed cui tam heroicum opus, audaxque facinus primò adscribemus? Tot sunt auctorum opiniones, ut nemini certò laus illa tribuatur. Neptuno Cretenses adscribũt, quem multi Deum maris credunt. Minervam hujus inventricem affirmat cum Poëtis Tertullianus: incredibile tamen est mulierem eò devenisse audaciæ. Clemens Alexandrinus Atlanti hoc ipsum attribuit; aliique plurimi

*Pulchra navis inventio.*

*Cui adscribenda?*

Tertull. lib. de Corona.

plurimi variis illius inventionem adscribunt, ut videre est apud Giraldum, & Polydorum Virgilium.

Girald. lib. de Navigatione c. 1 Polid. Virg. lib. 3. cap. 6.

*Ante diluvium non reperta naves.*

2. Ego tamen certiùs crederem, ante diluvium, & Arcæ fabricationem, artem navigandi, navemque conficiendi non fuisse repertam, sed hanc à Deo traditam; posteà verò mortales, qui facilè jumentis addere solent, ad hanc quam videmus formam navigantibus commodissimam, paulatim reduxisse. Refert Atheneus, Reges antiquos naves admodum extruxisse amplas, quæ plus incredibilitatis quàm admirationis habere videntur. Inter quas unam refert à Ptolomæo Philopatore ædificatam, quæ, ut ex Calisseno rerum Alexandrinarum Scriptore refert, quadraginta ordines remorum continebat, longa ducentis octoginta cubitis, & ab uno introitu ad alterum larga triginta octo cubitis, cujus altitudo usque ad aperturam navis, quadraginta cubitorum erat, à summitate autem puppis, ad illam usque partem quà mare attingebat, reperiebantur quinquaginta tres cubiti. Quatuor habebat gubernacula triginta cubitorum, remique majores, triginta octo cubitorum erant. Duodecim operiebatur tabulis, quarum singulæ cubitos habebant sexcentos. Nautæ & remigantes tria millia erant, quadringenti remiges; reliqui verò aliis officiis erant occupati; plurimam quoque gentem ac rerum omnium continebat abundantiã. Ornamenta verò navis magnitudini excellentiæque ipsius respõdebant. In puppi & prora statuæ variorum animalium duodecim exstabant cubitorum, nec locus erat, qui omnis generis picturis ornatus non esset. A remis ad carinam frondibus, hedrâ, & thyrso decorata fulgebat; in eaque maxima repeciebatur armorum copia. Ut autem Nilus mari tantam non inviderct pulchritudinem; aliam hac non inferiorem idem Ptolomæus fabricari jussit. Erat hæc longa medio stadio, decimâ sextâ nimirum millionis Italici parte, larga plus quadraginta cubitis; paulò minor quinquaginta cubitis erat. In circuitu hujus à tribus partibus ad ambulandum, quarum circuitus spatium quinque jugerorum terræ continebat. De variis cubiculis non loquor, quorum aliqua viginti capiebant lectos columnis, statuis, aliisque ornamentis ex ebore auroque fabricatis pulcherrimè ornata.

Atheneus lib. 5. cap. 6.

*Antiqua naves maxima & pulcherrima Navis Ptolomai Regis admirabilis.*

*Undique picturis & statuis ornata.*

*Navis Nili aquè pulchra.*

3. His tamen omnibus non obstantibus, non defuerunt qui illius magnificentiam, si non superare, saltem æquare contendebant. Inter alios fuit Hieron Siciliæ Rex, confidens in summo Archimedis ingenio (quem Architectum elegerat) tantâ lignorum multitudine unicam fabricabat navem, ut sexaginta inde triremes confici facilè potuissent, Athenæo teste. Ad hanc fabricandam

*Navis Hieronis Regis superbissima.*

candam integro laborabant anno trecenti magistri cum suis ministris. Viginti habebat remorum ordines: in medio autem vniuscuiusque lateris, quatuor erant cænacula quorum vnumquodque triginta capiebat lectos, exceptis aliis cubiculis, locisque Naucleris destinatis. Pavimentum cœnaculorum vario lapide & opere musivo intextum, totam Homeri continebat iliadem; in parte superiori navis, loca erant exercitiis, ambulationibusq; destinata; hortique varii, ac vasa ex creta, aut plumbo terrâ repleta varias arborum continebant species, quæ simul cum hortis adaquabantur. Nec hîc deerant scholæ, librariæ, Templa, balnea, equorum stabula, piscium vivaria, turresque in angulis, & medio navis. Et ut paucis multa restringam, omne quod in palatiis principum solet inveniri, hîc repeririebatur. Sentina quoque grandis quæ per canalem in mare facilè purgari poterat; ab Archimede hæc fabricata erat. Armorum denique fortitudo, ornamenta, ac valorum copia, magnitudini eius correspondentia. His tamen omnibus major erat Hieronis Regis animi magnitudo, & excellentia: Hanc siquidem navem frumento, carne salsa, alijsque ad victum necessariis oneratam, in Ægyptum (ubi hæc deesse audierat) ad Regem Ptolomæum dono transmisit, ipsique nomen Alexandria imposuit, quæ ante Syracusa vocabatur. Archimedi verò qui in laudem eius Epigramma composuerat, sexcentos frumenti modios, propriis sumptibus in portum usque Atheniensem transmisit.

*Athenæus lib. 5. c. 7.*

*Trecenti magistri uno anno conficiebant.*

*Horti & arbores in navi.*

*Templa scholæ & librariæ.*

*Illam omnibus cibis repletam Ptolomæo misit.*

4. Non adeò ampla, sed non minùs fortè superba, & delitiosa, fuit Cleopatræ navis, quâ per Nilum ad occurrendum M. Antonio navigabat; refert enim Plutarchus puppim totam fuisse deauratam, vela purpurea, remosque argenteos, qui ad sonitum fistularum & instrumentorum movebantur; pulcherrimi quoque juvenes ad modum Nereidum, ac gratiarum adornati, partim navem gubernabant; partim vela, cordasque tendebant. Regina verò Veneris instar, pulcherrimè ornata sub aureo requiescens tentorio, hinc inde juvenes aliquos velut cupidines, socios habebat. Cum Cleopatra cõtendisse videtur Cajus Caligula (ut Suetonius refert) qui sibi navem ex tabulis cedrinis fabricaverat, cujus puppis gemmis ornata, ac vela ex diversis erant confecta coloribus. Hæc autem adeò ampla erat, ut in ea porticus, balnea, cubicula lectis pro conviviis instructa, cum magna vitium aliarumque arborum varietate erant, sicque epulando, inter musicorum choros per littora spatiabatur Neapolitana.

*Cleopatra navis speciosissima.*

Plutarchus in Marco Antonio.

Suetonius in Caligula cap. 37.

*Caligula navis gemmis ornata.*

5. Nec nostra hæc ætas simili-

*Magni ducis Etruriæ*

*Navis sumptuosissima*

bus exstitit privata triremibus: multi siquidem Reges, & principes sumptuosissimas exstruxerint. De illa quippe quâ Magnus Æturiæ Dux filiam suam Henrico quarto Galliarum Regi in uxorem transmisit, refert Petrus Matthæi; longam fuisse septuaginta passibus, & triginta in ea scamnorum ordines, exteriusq; erat totaliter deaurata. Puppis quoque exterior pars, vario artificio, & arundine Indicà elaborata. Interius autem margaritis, unionibus, & lapidibus pretiosis decorata, ebore quoque, & ebeno insignis erat. Viginti ferrei circuli deaurati ad tentoria recipienda ipsam tegebant, latera autem topaziis, smaragdis, unionibus, crystallo, aliisque lapidibus pretiosis intexta. Cortinæ, cubiculorumque apparatus, ex telâ aureâ curiosè elaboratus fulgebat, nec aliquid deerat, quod ornatum tantæ sponsæ augere posset: adamantes pariter rubini, saphirique in vestibus resplendebant.

Petrus Matthæi lib. 3. narrat. 5. num. 3.

*Ornatus pretiosissimus.*

*Navis Magallanes victoriosissima*

6. Cui si non æqualis divitiis, in victoria non minor erat navis Ferdinandi Magallanes, victoria nuncupata, quæ prima omnium totum circuivit mundum, nam ex Hispaniâ per Oceanum occidentalem, ad Orientales discedens Indias; per idem mare iterum reversa est, cum in tam longo, & periculoso itinere tres integros annos complevisset. Profectò digna, quæ sicut Thesei navis ab Atheniensibus, in perpetuum conservaretur. Hanc siquidem Plutarcho teste, in tantum conservarunt, ut veteribus deficientibus lignis, nova ad conservationem apponerentur, quæ ad Demetrii usque Regis tempora apud illos permansit. Vnde philosophis materiam disputandi dedit utrum eadem esset navis, an alia, vel utrum prima destructa dici deberet. Hanc navem singulis annis in Delos insulam mittebant ad votum adimplendum, tunc à Sacerdotibus Apollinis puppis coronabatur; & donec in patriam reverteret, neminem Athenis publicâ justitiâ interficere licebat. Quare, Platone referente, multum temporis intercessit inter capitalem Socratis sententiam ac mortem, sententia enim data erat præcedenti die quàm hæc cæremonia navis fieret. Major tamen honor ab antiquis navi Argos nuncupatæ fuit attributus, quâ Iason & socii ad vellus aureum tendebant, quàm inter astra relatam quadraginta stellis finxerunt fuisse decoratam. Si tamen victoriæ navis in cælis illata non est, encomiis tamen, ubique extitit celebrata.

Plutarchus in Theseo.

*Navi Thesei assimulata.*

Plato in Phedone.

*Navis Argos calis illata.*

*Mare neminem revereatur.*

7. Ex his tamen omnibus enumeratis, nullâ tantâ excellit pulchritudine, ut ei mare aliquem honorem exhibeat, & benigniùs se erga eam demonstret. Licet enim aliquando patienter dorsum ponderoso ligno submittat, ac

festivè

festivè quasi ridendo benignè excipere gestiat; sæpiùs tamen superbire, illam conquassare, pedibus conculcare, imò penitùs devorare conspicitur: ac instar ferocis equi pondus omnino excutere. Quo in periculo dum sese navigantes constitutos vident, nullum melius optare possunt augurium, nec major ipsis spes salutis, quàm geminus ille ignis aut lumen, quod arbori navis adhærens, statim maris tranquillitatem quasi cælesti numine adducit, & designat. Qui effectus tam mirabilis antiquis apparuit, ut ei divinitatem attribuere non dubitaverint, illosque Deos beneficos, & hominibus faventes Castorem, & Pollucem appellaverint. E contra tamen cùm unum solummodo viderent lumen, pessimum augurium sumebant, illudque Helenam nominabant, sororem quidem aliorum dicebant, sed occasione ejus tã crudelia bella Græcos gessisse; vnde Troia eversa est. De quibus hæc refert Plinius; *Graves cùm solitariæ venere, mergentesque navigia, & si in carina unà deciderint, exurentes: geminæ autem salutares, & prosperi cursus prænunciæ, quarum adventu fugari diram illam ac minacem appellatamq; Helenam ferunt, & ob id, Polluci, & Castori hoc numen assignant.* Diodorus Siculus etiam horum mentionem facit, quin imò fictam illam originem gentiles inde traxisse autumat, quòd dum Orpheus cum Argonautis navigaret, subitò furiosâ tempestate obortâ, vota precesque diis obtulit, ac continuè duo splendores putati, Castor, & Pollux apparentes, mare pacatum, tranquillumque reddiderunt. Licet ergo gentiles ignem Deum nominando erraverint; negari tamen non potest, quin prudenter ignem naufragium causantem, nomine mulieris pulchræ expresserint, illa siquidem quantumvis resplendens, & bene ornata appareat, certissima tamen adolescentum ruina est: nec aliquid magis luminibus duobus assimulari potest, quàm juvenes robore validi, ac ætate florentes, hi quippe certissima sunt civitatis, & patriæ defensio.

*Gemina lux felix in tempestate signum.*

*Antiqui hanc lucem Deos putabant.*

*Vna lux signum infelix.*

Plinius lib. 2. c. 37.

Diodor. lib. 4. histor.

*Fabula hujus lucis.*

*Mulier pulchra ruina juvenum.*

8. Nautæ moderni, hæc duo lumina pro felici signo serenitatem præsagiente habere solent, & ab Hispanis *S. Ermo* vocantur. Nescio tamen utrum ipsi distinctionem unius vel duorum admittant. Sed in Philosophia, ubi scitur hæc duo lumina non esse nisi exhalationes ab infima regione aëris sublevatas, & in aëre accensas, facilè rationem assignare non possumus, cur signa sint futuræ serenitatis, aut cur unum solum signum naufragii, vnde multi hanc distinctionem negantes dicunt, sive unum sint, sive duo, semper serenitatis signa esse. Rationem autem hujus assignantes, aiunt, hos ignes levissimos esse dumque sese in navibus firmant, signum est nullum restare ventum, ac ideò tempestatem subitò sedan-

*Distinctio philosophica harum.*

*Ratio philosophica cur bona signa, vel mala.*

tò sedandam. Sed si alii hanc distinctionem tenere vellent, quam rationem adferre possemus, ad hoc probandum? Fortè quia duo lumina materiam raram designant, quæ facilè à ventis portari posset, dum autem sese in superiori arboris parte continent ventum jam cessasse indicant. E contra dum unum solum est, materiam significare potest densam, & conglutinatam, unde decensus illius potiùs videtur attribui gravitati ejusdem, quàm tempestatis cessationi? Fortè etiam quia duo non tam facilè asportari possunt, quàm unum? vel quia in judicio unum testimonium nihil efficit, & duo plenam fidem astruunt, sic unus ignis non est sufficiens indicium serenitatis, sed duo eam demonstrant.

*Lux illa optimè spiritui sancto tributa.*

9. Quomodocumque fiat, negari non potest hoc optimè attribui adventui Spiritus Sancti, super Apostolis in cænaculo congregatis, ibi enim Ecclesia congregata erat, quæ navi tempestuoso in mari collocatæ, assimulari solet. Quod multò meliùs de eo tempore affirmari poterat, in quo tot calamitates, afflictionesque persequentium cernebantur: Sed dum Spiritus Sanctus in igne dimissus apparuit, & super Apostolorum capita sedit, certissimum serenitatis, & felicissimæ navigationis futuræ signum dedit.

*Ecclesia navis in mari agitata.*

10. Ecclesiam verò in navi bene præfigurari adeò perspicuum est à temporibus antiquis, ut inde materiales Ecclesiæ in forma navis ædificentur, & anterior templi pars communi vocabulo navis appelletur. Nec hujus metaphoræ rationes desunt; Prima est, quod sicut extra navem nemo potest in mari iter conficere, quin ab undis demergatur, & absorbeatur, sic extra Ecclesiam nulla est via salutis, sed æterna damnatio. Secunda, nulla navis divisionem tolerare potest, divisa enim inutilis est ad quævis, imò unum solum foramen eam aquis immergere potest: sic nullam divisionem admittit Ecclesia, imò si quis in uno solo discordet articulo totam perdidit fidem. Tertia, sicut navis à solo vento movetur & impellitur, nec propriis portatur pedibus ut animalia, nec à mancipiis remorum vi propellitur, ut triremes: sic Ecclesia solo Spiritus Sancti afflatu gubernatur, nec affectibus aut opinionibus movetur hominum ut respublicæ mundanæ. Quarta, navis mille periculis maris est exposita; ita Ecclesia mille periculis persecutionum, & hæreticorum. Quinta, ab uno solo nauclero navis, & ab uno solo summo pontifice tota Ecclesia gubernatur. Sexta, navis à parte inferiori undique clausa est, sed aperta superiùs; contraria domibus, quæ tecto superiùs clauduntur, & inferiùs supra terram immediatè hærent: sic Ecclesia, hæc terrena contemnit, sed ad cælum aspirans seipsam desuper apertam tenet, ut illius

*8. Rationes cur Ecclesia navi comparata.* 1. 2. 3. *Spiritus S. afflatu movetur* 4. 5. 6. *Desuper cælestem recipit instixum.*

illius recipiat influentias. E contra regimen mundanũ terrenis rebus totaliter inhians, vix ullam cælestium curam gerit. Septima,
7. primi inter navigantes ultimo loco consistunt, in postrema quippe parte navis gubernatores sedent; in Ecclesia qui primi esse volunt, aliorum sint servi, necesse est; sic summus Pontifex se Servum servorum Dei appellat. O-
8. ctava, navis in medio est larga, in principio & fine stricta; Ecclesia in principio graves persecutiones sustinuit, & in fine graviores sufferet; sed in medio prout est modo, pace & unione perfruitur.

*Persecutionibus agitatur.*

11. Conditiones bonæ navis, leviter à Senecâ descriptæ sunt, his verbis: *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus depicta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum, nec cujus tutela ebore calata est, nec quæ fiscis, ac opibus regiis pressa est; sed stabilis ac firma, & junctivis aquam claudentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, & consentiens vento.* Talis revera est sancta Ecclesia, firma, & stabilis, *quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: bene conjuncta in suis partibus per Charitatem, & contra aquam abusuum multarum legum fortiter armata; ad sufferendas persecutiones fortis, & patiens; Gubernatori qui summus est Pontifex, multum obediens in navigationibus & via virtutis, ut hinc in Indiã se transferat, & de terra ad cælum velocissima vadat: tandem vento Spiritus Sancti consentiens. Brevius, sed non minus eleganter declarat bonitatem navium S. Basilius: *Quæ mare permeant naves non item moram trahunt in eo, neque immerguntur undarum æstu, undique commendabiles sunt*: quod pariter animabus applicans inquit: *& qui in carne quidem degunt, non etiam militantes secundùm carnem, calcantes hujus vitæ æstuosos fluctus, & undis ipsis superiores effecti, faciunt operationes in aquis multis.*

*Seneca epi. 76. lib. 10. Conditiones bonæ navis.*

*Ecclesia firma & stabilis.* Matth. 16. 18.

S. Basil. in c. 2. Isaiæ. *Unde bona navis cognoscatur?*

12. Navem ergo non dedecet agitari ab undis ac fluctibus & à ventis circumferri, nunc illam in profundum deiicientes, nunc in altum elevantes dummodo ab aquis non absorbeatur, aut illas intra se admittat. Pariter Ecclesia aut anima Christiana dedecus reputare non debet, à mundo affligi, & variis concuti calamitatibus, dum nullas intra se mundanas admittit cogitationes, Quod exemplo Arcæ Noë indicat S. Alcimus inter alia dicens:

*Sed sic cedamus, fluxum ne sentiat intus,*
*Peccatumve trahat mens impenetrabilis ullum.*

*Ecclesia persecutionibus non fit deterior.*

Alcimus lib. 8. de diluvio.

Quid denique navi Ecclesiæ deesse potest, si habeat arborem fidei, anchoram spei, funes charitatis, antennas Crucis, vela boni desiderii, gubernaculum prudentiæ; clavos mortificationis, victualia sanctorum Sacramentorum,

*Ecclesia spiritualibus navis instrumentis ornata.*


rum,

rum, picem humilitatis, remos boni operis, puppim status Ecclesiastici, proram status secularis, & medium corpus religiosorum: O quàm admiranda hæc navis, de quâ S. Marcus ait: *erat navis in medio maris*! Hæc navis multò meliùs, ac perfectiùs totum mundum circumdedit, quam quæ victoria est nuncupata; illa siquidem plurimos ex suis perdidit, Ecclesia autem multos quotidiè lucratur: navis multò major, & pretiosior, quam Hieronis, & Ptolomæi quæ à Christo gubernatur; cui etiam cedit ab Archimede confecta. Navis denique quæ non fabulosè ut Argonautarum, sed verè transfertur ad Regna cælestia.

Marci. 6. 47.

13. Hæc navis post Christi Ascensionem, quia præcipuo orbata mansit nauclero, ac variis iisque gravissimis concussa persecutionum tempestatibus, videbatur totaliter absorbenda, at apparuit illi auxilium de cælo; Spiritus Sanctus in forma ignis, & venti, in forma ignis, ut tenebras avertat, & tranquillitatem cælo inducat; in forma venti, ut vela commoveat, & prosperum iter ad vitam æternam dirigat. Nec profectò mirabiliori, magisque amoroso vel mysterioso modo huic conquassatæ navi succurrere poterat. Vnde nostro dicendi modò videri poterant omnes tres personæ divinæ inter se concertasse ut navi conquassatæ succurrerent. Pater potentiâ, ut eam mirabiliorem, filius sapientiâ, ut magis mysteriosam, Spiritus Sanctus bonitate, ut magis amorosam efficeret. Quàm admirabilia videmus, vel audimus hac die facta, per adventum Spiritus Sancti, quis non cognoscat hunc modum extraordinarium? Ventus qui semper pluviam generat, modò ignem portat; ignis qui naturaliter sursum ascendit, præter naturam super capita descendit Apostolorum, ibi hæret, nec comburit; lingua semper humida, nunc ignita apparet, & contra membrorum ordinem super caput uniuscujusque sedet: homines qui numquam extra patriam habitarunt, totius mundi linguis loqui audiuntur; timidi, doctrinaque carentes, fiunt Prædicatores ac Doctores confundunt: quis hæc intuens non obstupescat?

*Hæc navis post ascensionem Christi à Spiritu S. gubernata.*

*Tres modi quibus Spiritus Sanctus datur.*

*Quàm admiranda in adventu acciderunt Spiritus Sancti!*

14. Si externæ apparentiæ, & circumstantiæ ita cunctos in admirationem rapiant, quid non faciet substantia? Primum mihi in hoc admirandum videtur Deum omnibus suis apertis thesauris illisque omninò distributis, & effusis, adhuc novos invenire potuisse modos, quibus sese hominibus communicaret. Sciunt quidem homines variis modis uti, non ut præbeant, sed potiùs ut auferant: pauperes se fingunt, negant se habere quod petitur, milleque inveniunt dandi excusationes. Antigonus Macedoniæ Rex, dum Comicus quidam ab ipso talentum

*Mirabilis hæc Spiritus Sancti donatio.*

Seneca lib. 2. de beneficiis. c. 17.

*Homines parci in dando.* tum postularet, dixit; non convenire ipsi tantum exposcere: da mihi ergo, inquit, denarium, cui Antigonus, meæ non convenit magnitudini, tam pauca elargiri. En principum excusationes, qui si aliquid concedant, volunt per manus multorum transire ministrorum, ut excusationi locus detur nec obtineatur quod concessum est. Sed Deus mirabiliores adinvenit modos non ad negandum, sed ad donandum; vnde meritò Isaias Propheta dicebat;
Isaiæ 12. 4. *Notas facite in populis adinventiones ejus.*

*Deus semper invenit modum dandi.* 15. Quando Deum omnes thesauros exhausisse credis infinita reperit danda, ex nostris enim necessitatibus dandi occasionem sumit: & quamvis nulla in nobis merita reperiat, suâ bonitate, & magnitudine infinitâ, quasi toties seipsum multiplicat, & tot (ut ita dicam) personas assumit, non ut recipiat (ut solent homines) sed ut largiatur, quod Evangelicus
*Deus in donatione se multiplicat.* testatur Propheta, dicens: *Multus est ad ignoscendum*, vel ut alii le-
Isaiæ 55. 7. gunt, *multiplicabitur ad ignoscendum*; & licet unus sit ad castigandum, dum tamen de remissione loquitur multiplicari videtur. Quando Deus hunc mundum creavit, omnia videbatur dedisse homini, quia totum ad utilitatem hominum condiderat, idcirco David
Psal. 8. 8. dicebat: *Omnia subjecisti sub pedibus eius.* Majora tamen postmodum invenit beneficia, gratiasque infinitas hominibus elargitus est. In lege antiquâ nullus sciebat Deum habere Filium, *sed in lege novâ*, Deus bonitate suâ infinitâ *In lege nova filium suum & plurima dedit.* seipsum modo sublimiori quò poterat, mundo cognoscendum tradidit, & hoc medio omnia nobis donavit quæ habuit, teste Apostolo: *Quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Rom. 8. 32. Videtur Deus seipsum quodammodo bonis expoliasse, ut nos divites faceret; *propter nos egenus factus est, ut nos illius inopiâ divites essemus.* 2. Corinth. 8. 9. Sed dum omnem dando exhausisse videtur potentiam, novos invenit modos, nova nobis dona conferendi; quin imò ipsemet Filius non contentus uno se modo in propriâ dedisse substantiâ, mille quoque aliis modis *Diversis modis filius se nobis donavit.* se nobis præbere voluit: in pretium nempe, in magistrum, exemplar, præmium, in cibum denique & potum. Quid amplius ab ipso expectare, aut desiderare possemus?

16. Nihilominùs novum invenit, & inauditum modum, quo *Novo modo Spiritum sanctum nobis donavit.* nobis non Filium solùm, sed & Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate personâ modo visibili, in similitudine nempe ignis, ultrò donaret. Sed quomodo? Vnitum fortè hypostaticè, ut verbum naturæ humanæ unitum erat? Non, quia dicere non possumus, *Spiritus S. ignis factus est*, sicut dicimus, *Verbum Caro factum est*; Sed *Spiritus sanctus in igne apparuit.* Numquid donū fuisset majus si hypostaticè

igni

igni unitus fuisset? Neutiquam, non enim conveniens erat ut creaturæ irrationali uniretur; voluit insuper hoc privilegium homini propriè convenire, idcirco nec Angelis quidem concessit: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quomodo igitur elemento irrationali illud concedere poterat, & collocare supra homines, ac efficere ut ab hominibus adoraretur. Vt hominibus ergo datum conservaret privilegium, se igni hypostaticè unire noluit. Dubium hic rursus consurgit, quomodo Spiritus Sanctus se nobis donavit? Numquid unius ejusdemque est cum filio naturæ? Et cùm hic nobis datus sit, numquid & ipsum pariter habemus? Verum quidem est, sed Spiritus Sanctus novo se modo dat hominibus: in quantum videlicet fons, & origo omnis sanctitatis, gratiæ, & amoris.

Ad Hebr. 2. 16.

*Spiritus peculiariter datus ut fons gratiæ.*

17. Natura mulieribus duo concessit ubera, & licet lac unius non sit ab alterius lacte diversum; Mater tamen sæpius nunc unum, nunc aliud infanti porrigit. Eodem modo Pater duo (ut ita dicam) habet ubera, filium & Spiritum Sanctum; cumque in utrisque sit eadem natura, & essentia, non contentus se in Incarnatione unum præbuisse, alterum etiam nobis in hac sacratissimâ die Pentecostes donat. Licet quoque verum sit quadam appropriatione multa attribui filio, quæ non attribuuntur Spiritui Sancto, cùm hæc tamen juxta exigentiam illorum personalem fiant; meritò una persona nobis concessa dicitur, & non alia.

*Vt omnia daret spiritum sanctum dedit.*

18. Recordor me legisse in Athenæo, de fabulatore quodam Diopetes nomine, qui tali modo sibi ubera accommodare noverat, ut ex uno lac, ex alio vinum deflueret. Sed quod ipse arte aut fictione aliquâ perficiebat; verè, & infinitè perfectius, effecit Deus: vultis uber lactis? Ecce Verbum Incarnatum; ô quàm suave, & charum lac! ideoque in nativitate eius inquit Propheta; *In illâ die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac, & mel:* Et Apostolus Petrus de eodem loquens, *quasi modo* (inquit) *geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Vultis uber vini? Ecce Spiritus sanctus vinum pretiosissimum: quod lætificat, & inebriat, ac fortitudinem mirabilem confert: propterea mirandum non fuit, si Apostoli qui ex hoc vino biberant à circumstantibus ebrii censebantur. Vbera certè admiranda, de quibus Propheta Isaias dicebat: *omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, & emite vinum & lac.* Ad aquas primò invitat, in similitudine quippe aquæ uterque promissus fuit, de filio dicitur: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum:* de Spiritu Sancto; *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Sic

*Quidam ex duobus uberibus fictè vinum & lac effundebat.*

*Deus pater verum vinum & lac exprimit.*

Ioel. 3. 18.

1. Petri 2. 2.

*Spiritus S. vinum d. t.*

Isaiæ 55. 1.

*Filius & spiritus S. in aquâ promissus.*

Isaiæ 45. 8.

Ezechiel. 39. 25.

Sic uterque cùm sit ejusdem naturæ, sub eadem metaphorâ fuit promissus, postmodum verò sub metaphorâ vini, & lactis expressi sunt, propter diversos quos in nobis operantur effectus, & modum quo nobis uterque communicatur.

19. Vultis cognoscere modum quo Filius, & Spiritus Sanctus in hunc mundum processit; ex prædictâ metaphorâ elicere poterimus. Pulcherrima siquidem est differentia inter modum quo lac fit, & communicatur; & modum quo vinum efficitur, & præbetur. Quomodo enim fit lac? Natura mirabiliter, & absconditè in pectore muliebri hoc ipsum operatur, ita ut nemo ejus rationem reddere possit. Quomodo ergo communicatur? Etiam absconditè, ex uberibus, nempè in os infantis influit, ita ut nemo illud videat. Sed vinum quomodo exprimitur? Omnino contrariè; tempore siquidem vindemiarum, strepitus ubique, & fragor auditur vindemiatorum, hic clamat, ille cantat, hic rumor calcantium vinum, ibi sonitus auditur torcularis: hinc Ieremias ait; *Celeuma quasi calcantium concinetur.* Quomodo postea bibitur? Apertè, & palam, & scyphis crystallinis, cum invitatione circumstantium, maximâ lætitiâ, & gaudio, ita ut fragor, & sonitus longè audiatur. Ecce quàm ad vivum exprimitur modus, quo Deus in communicatione harum duarum personarum usus est. Verbum divinum quomodo Incarnatum est? Quomodo hunc mundum intravit? Per modum lactis absconditè: *Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.* Sine strepitu aliquo, aut rumore, ita ut dæmonem lateret ejus nativitas. Quomodo datus fuit Spiritus Sanctus, manifestè, multis præsentibus, cum strepitu vehementi: *factus est repentè de cœlo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis.* Aliam quoque rationem præter prædictas addere possumus; nimirum, Christum venisse ut aucupem, qui in silentio expandit rete suum, & absque strepitu expectat aves venientes; Spiritum autem sanctum venisse vt capitaneum qui fortitudinem adderet, & doceret subjugare mundum, sicque cum strepitu venit.

*Diversimodè vinum & lac conficitur.*

Ieremiæ 25. 30.

*Filius cum silentio venit in hunc mundum.*

Sapient. 18. 14.

*Spiritus S. cum strepitu*

Actor. 2. 2.

20. Crescit insuper admiratio dum cognoscimus Spiritum Sanctum, donum simul esse & rapinā, quæ duo videntur sibi contraria, si quis enim mihi aliquid donat, de suo dat, qui aliquid à me rapit, ex meo tollit; qui mihi aliquid dat ditiorem me reddit, qui à me aliquid aufert, pauperiorem me efficit. Quomodo ergo hæc duo simul stare possunt? Fuit hæc mirabilis Christi inventio, reperire aliquid quod simul esset donum, & rapina; donum quod rapit, & rapina quæ donat; donum quod

*Spiritus S. donum & rapina mirabiliter.*

pauperiores homines efficit, & rapina quæ ditiores; donũ quod nostra aufert, & rapina quæ nobis aliena donat: sic ipsemet Deus per Prophetas suos declaravit, dum per Davidem dixit: *Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus.* Ecce donum. Rapina est, quia tollit spiritum nostrum; *Auferes spiritum eorum, & deficient*; donum est, quia dat ex suo, *Emittes spiritum tuum & creabuntur*: Rapina, quia ad se omnes nostros trahit affectus; *Cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum*: Donum, quia nobis seipsum donat, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Rapina, quia pascitur nostro amore, *Si quis mihi aperuerit canabo cum eo*, donum, quia dat nobis cibum & potum, *& ipse mecum.* Alia tamen Dei dona, non dicuntur propriè rapina, non enim secum infallibiliter trahunt cor, & amorem hominum. Quot dona nobis contulit Deus, ingenii, libertatis, & sanitatis, quibus plurimi Deum offendunt? Quot dona divitiarum, dignitatum, honorum, pro quibus ingrati sumus? Sed hoc donum Spiritus sancti, infallibiliter rapina est, semper quippe rapit corda nostra, præstat enim ut Deum semper amemus, ipsi grati simus, & corporis nostri, ac cordis absolutus fiat Dominus. Amor humanus, magnam habet trahendi vim, quia *magnes amoris amor*, sed non infallibilem, cùm non semper qui amatur redamet. Nónne igitur meritò vocari potest admirabilis hæc inventio? mirabiliórne excogitari poterat?

Psal. 67. 19.

Psal. 103. 30.

Ibid.

Ioan. 12. 32.

Ioan. 14. 23.

Apocal. 3. 20.

*Alia dona Dei non dicuntur rapina.*

21. Sed non minùs amorosa est, quàm admirabilis. Primò, quia donum est, non merces; qui debitum solvit ex justitiâ ad hoc tenetur, qui donat ex amore donat; nec aliquid est, cui magis nomen doni conveniat, quàm Spiritui sancto. Omnia alia accidentaliter sunt dona, quia possunt esse dona, & merces: si enim quis tibi equum donat, poterat etiam vendere, sicque de cæteris. Sed Spiritus Sanctus essentialiter donum est, nec enim potest vendi, aut emi; S. Petro affirmante: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecuniâ possideri.* Summum quoque est donum quod hominibus dari potest, quia amor est: *beneficium* (inquit Seneca) *non in eo quod fit aut datur consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo*: & qui amat, seipsum dat, quia *amor amantes, suos esse non sinit*: inquit Dionysius Areopag.

*Amorosa donatio Spiritus S.*

*Spiritus S. essentialiter donum.*

Actor. 8. 20.

Seneca lib. 1. cap. 6.

22. Nec solùm pro meritis hoc pretiosum donatur donum, verùm etiam multis cum demeritis. Mundus etenim quia unicum Dei filium adeò infami, & crudeli morte peremerat; merebatur puniri, & totaliter destitui, mittit tamen Deus illi Spiritum sanctum, ut eum sanctificet, & illuminet. Quis non obstupesceet tantum

*Hoc donum etiam immeritis datur.*

Genes. 1. 2. tantum intuens amorem. Genesis primo dicitur; *tenebræ erant super faciem abyssi*, nihilominus subjungitur, quod *Spiritus domini ferebatur super aquas*, non respiciebat Spiritus sanctus tenebrosas, aut lutosas aquas, utrum hoc mererentur, sed solam bonitatem suam attendebat. Quid modò dicam de abundantiâ, quâ seipsum in nos effudit? audistis quod promissus fuerit in aquâ; *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini*: & iterum *vos autem baptizabimini Spiritu sancto*: postea tamen advenit in igne: *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*. Quid sibi vult tam diversa promissio, & executio? fortè quia per modum aquæ, lavat, & refrigerat? non ideo solùm, verùm etiam quia abundanter largitur. Si liquor aliquis pretiosus in vas accipitur, bene advertitur, ne effundatur, sed si aqua sit, licet effundatur, nihil curatur. Vt aqua datur Spiritus sanctus, ideoque supereffluenter datur: *Seditque supra singulos eorum*, intùs quoque eos replet, quia *repleti sunt omnes Spiritu sancto & cæperunt loqui*, tanta erat abundantia, ut supereffluerer. Nec possent seipsos cohibere eloqui quod acceperant.

Ezechiel. 36. 25.

Act. Apos. 1. 5.

Act. Apos. 2. 3.

*Cur in aqua promissum in igne datum?*

Act. Apos. 2. 4.

23. Sed si ex amore datur Spiritus sanctus, cur à Deo tam diu postulandus? qui libenter dat citò dat: ait enim Seneca: *non intelligis, tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis? omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò facere, qui tardè dedit, non ex animo fecit*. Si ergo est donum infinitè amorosum, & amorosè datum, quare non subitò missum? Cur decem expectatum diebus? fortè deliberandum erat, utrum mittendum foret an non? Crescit insuper hæc admiratio, quod ipsemet Christus instigaverat corda Apostolorum ad petendum, imò promiserat se rogaturum patrem ut mitteret: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis*. Si apud nos is, qui libellum supplicem offert deberet etiam subsignare, proculdubio subitò expediret; in hoc casu sic agebat Spiritus sanctus, divo Bernardo teste: *Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita & in patre delicta donat cum ipso patre, advocatus noster ad patrem in cordibus nostris. Dominus noster, in corde patris*. Si ergo ipse est advocatus, & Judex, & si ad ipsum spectat petere, & concedere, quomodo non subitò exaudit preces suas? fortè petitio parum urget; vel aliqua tantùm ceremonia est, quæ superficialiter fieri debeat? Quinimò nihil à sanctâ Ecclesiâ majori cum fervore, & efficaciâ petitur quàm Spiritus sanctus.

*Cur tamdiu expectatum hoc donum?*

Lib. 2. de de benef. cap. 5.

Ioann. 14. 16.

S. Bernard. serm. 1. in die Pentecost.

24. Non advertitis quomodo Spiritus sanctus ab Ecclesiâ petatur, & quomodo aliæ personæ in Trinitate? Spiritus sanctus semper cum verbo imperativo vocatur; *Veni creator Spiritus*; *veni*

*Cur Spiritus S. imperativè vocatur, aliæ personæ non?*

*sancte Spiritus, adsit nobis virtus Spiritus sancti*: aliàs personas cum supplicatione, & obsecratione rogamus; *quæsumus Domine, supplices te Domine deprecamur.* Quid ergo sibi vult, quòd Ecclesia in invocatione Spiritus sancti, imperativo modo utatur, in aliis verò non? Dicere possem Ecclesiam rogare more amantis, patrem obsecrat ut Monarcham totius universi, filium ut Principem, & Dominum suum, sed Spiritum sanctum, ut amicum: amor enim seponit majestatem, & maximam addit amanti audaciam quando scit se amari, propterea Ecclesia quasi in virtute amoris præcipiendo supplicat Spiritum sanctum. Vtitur etiam hoc modo, propter maximam necessitatem hujus Spiritus, eius siquidem opera summè indiget. Dum temporalia nobis largiri petimus conditionem addere oportet, si prosint ad salutem, sed Spiritus sanctus liberè petendus est; scimus enim petendo nos errare non posse, cùm in ipso consistat tota ratio nostri boni, ipsiq; re nostra summopere placeat petitio, ideò imperativo modo illum rogamus.

*Ecclesia more amantis invocat.*

*Ob necessitatem imperat.*

25. Tandem utitur hoc modo Ecclesia, propter affectum quo illum petit; qui enim est in vitæ periculo, & auxilium petit, non utitur phrasibus, aut modo rethorico, cum loquitur, sed clamans alta voce dicit, venite, adjuvate me festinanter. Ita sancta Ecclesia tanto fervore, & efficaciâ invocat Spiritum sanctum, ut relinquendo cæremonias & modum loquendi, clamet altâ voce, *veni sancte Spiritus, veni Creator Spiritus.* Si ergò tam efficaciter petitur, & à personâ summè amante, quomodo tanto tempore expeditio differtur? Multas hîc possem adducere rationes, sed hæc magis proposito nostro inservit, ut Apostoli omnes intelligerent, excellentiam hujus doni, qui multum perdiderant; dum ab illis recessisset illorum magister, Pater, Pastor, & Consolator, nec possibile videbatur, æquivalentem posse reperiri qui illud compensare posset.

*Differtur hoc donum, ut magis æstimetur.*

26. Mittitur ipsis ignis de cælo, bene quidem; sed quis nesciat, absentiam solis malè compensari igne, cùm iste splendentibus suis radiis totum mundum spiritu vitali, & calore repleat; hic verò calore suo, & lumine omnia devoret & comburat? Sed quid datum est Apostolis in adventu Spiritus sancti? Lucidus ignis; *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis?* quidnam illis ablatum fuerat? Verus sol Iustitiæ; *Quamdiu sum in hac mundo, lux sum mundi*, dixit Christus. Quis nescit quàm amara sit commutatio ipsius personæ amatæ, præsentis & alloquentis, cum epistola iam absentis? Sed quid datûm est Apostolis in die Pentecostes? Epistola de cælo missa, scripta quidem non litteris

Actor. 2. 3.

Ioan. 9. 5.

*An Apostolis bona facta commutatio Spiritus S. pro Christo?*

litteris aureis, sed spiritu Dei vivi,
2. Corint. 3. 3. juxta illud Apost. *Epistola estis Christi, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi.* Quo verò privati erant! præsentiâ reali, & amabilissimâ sui charissimi domini, juxtà illud
Ioan. 8. 21. quod dixerat, *Ego vado, quæretis me, & non invenietis.* Quis nescit, assuetum bibere lac, & comedere mel, non contentum fore si loco istorum detur panis, & aqua? Sed quid acceperunt Apostoli? aquam purissimam, sicut inquit Salvator;
Ioan. 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ:* & subjungit Evangelista; *Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Quid Apostolis ablatum erat, ille profectò Dominus, de quo in Canticis
Cant. 4. 11. Sponsus dicebat; *favus distillans labia tua, mel, & lac sub linguâ tuâ.*

*Vt Apostoli hoc donum æstimarent tamdiu dilatum.*

27. Non æqua illis videbatur commutatio facta, receptione Spiritus sancti, propterea Christus non misit illum subitò, sed voluit ut expectarent decem diebus, amorosis suspiriis illum desiderantes, quasi cælum non contentum se tantum recepisse thesaurum, humanitatem, nempe Christi, dubitaret utrum pro commutatione istius dare debuisset Spiritum sanctum in terra. Licet enim Christus in consistorio sanctissimæ Trinitatis monstrasset suæ dolorosæ passionis merita; non tamen se resolvere poterant, ut desolatæ, & afflictæ familiæ mitteretur consolator Spiritus sanctus. Tam excellens, pretiosum, & divinum erat illud donum; cùm esset ignis non terrenus, & comburens, sed cælestis, & illuminans; esset epistola, sed non discrepans ab amato scriptore; esset aqua, sed ex fonte vitæ, de quo dixit Propheta Regius: *apud te est fons vitæ.* Vt ergo ob facilitatem recipiendi illud donum Psal. 35. 10.
non vilipenderetur; voluit Deus, ut postquam Apostoli reliquerant omnia, postquam Christus pretiosum sparserat sanguinem, illumque Patri totaliter obtulerat, non credant tamen cælestis patriæ cives, ex debito justitiæ debere mitti Spiritum sanctum, ideoque debeant illum præstolari, & desiderare affectuosis suspiriis, & receptum, ut summum donum magnificare.

*Tamdiu expectatus Spiritus S. ut non videretur debitus ex justitia.*

28 Si ergo ex doni excellentiâ colligatur magnitudo amoris, cùm donum Spiritus sancti, quod Apostolis datum est, sit immensum, concludere debemus, amorem etiam fuisse immensum, fuit hic modus mittendi amicissimus, ingratissimi sunt qui se non demonstrant gratos; cæci sanè qui non conspiciunt hic summum latere mysterium. Lingua profectò ignea quæ illo tempore super Apostolos cecidit necessaria foret, ut tot tantaque mysteria explicare possemus, unde hîc breviter aliqua prout ipse nobis suggeret, explicare aggrediemur.

*Ex magnitudine doni, amoris colligitur magnitudo.*

29. In primis ergo dignum con-

3. Regum 19. 11. *Cur Elia sine commotione & Apostolis in commotione apparuit Deus.*

consideratione occurrit, quomodo aliter Deus apparuerit Prophetæ Eliæ, quàm Apostolis die Pentecostes in cænaculo, ibi dictum fuit: *Non in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus*: Sed hîc è contra dicere possemus; in spiritu Dominus, in commotione Dominus, in igne Dominus. Quæ ergo hujus rei causa? fortè quia Elias expectabat adventum secundæ personæ, quæ venire debebat maximâ cum humilitate, & mansuetudine, propterea repræsentata est, in aurâ suavis sibili: Sed in die Pentecostes tertia advenit in Trinitate persona, quæ optimè vento assimulari potest, quia ipsi convenit nomen spiritus, & igni, quia symbolum est amoris, commotioni quoque, quia mediâ contritione Christo viam præparat. Venit autem tali modo, non ut remaneat in angulo terræ, (Indæa nempe) sed ut se gloriosè per universam diffundat terram. Dicamus etiam se capacitati subjectorum accommodare voluisse, ac propterea Eliæ, qui homo erat terribilis, & zelosus, in aurâ tenuis sibili apparuisse, ut ipsum doceret humilitatem, & mansuetudinem, quam puniendo sequi deberet: Apostolis autem qui timidi erant & parvi animi, ut illis robur, & fortitudinem adderet, in vento, commotione, & igne apparuit.

*Varia rationes istius.*

30. Dicamus quoque respexisse Deum tempora, & status diversos, quia Elias vixit tempore antiquæ legis, in quo prędicatio sanctissimi nominis Dei, non debebat extendi ad gentes, sed in Iudæâ permanere, propterea in tenuis auræ sibilo apparuit; Apostolis verò Evangelii prædicatoribus qui fidem annuntiare debebant in universo mundo, cum admiratione & omnium gentium conturbatione, in commotione, vento, & igne apparuit. Alia fortè ratio aliquibus arridere potest, quòd Prophetæ Eliæ demonstraverit Deus, qualis deberet esse fraterna correctio, ad modum videlicet tenuis sibili propter secretum, & dulcem agendi modum, quo fieri debet; Apostolis autem ostenderit publicam prædicationem, quæ in vehementiâ verborum, commotione corporis & spiritus, ac zelo igneo facienda est. Voluit quoque repræsentare Deus diversitatem vitæ solitariæ, qualem Elias isto tempore agebat in deserto; & vitæ publicę quam in civitate prælatus exercet, quales tunc erant Apostoli, isti enim convenit quies, oratio, & humilitas, quę bene in tenui sibilo figuratur: huic verò zelus, vigilantia, & operatio, quæ in igne, vento, & commotione repræsentantur.

*Prosequitur rationes.*

31. Optimè ergo *factus est repentè de cælo sonus*, etenim qui de nocte personæ amatæ suavem exhibere vult musicam, antea commotionem aliquam seu strepitum excitare solet, quo dormientes

Actor. 2. 2. *Sonus factus ut excitaret Apostolos.*

tes excitentur, & attenti reddantur; sic Apostoli altissimâ quasi contemplatione sopiti, ut illam suavem melodiam quæ in illorum cordibus resonabat, & linguas eorum de cælo ignitas reddebat, commodè perciperent; fuit repentè sonus iste excitatus, qui omnes commovit: Post quem vehemens secutus est ventus; *Tamquam advenientis spiritus vehementis*: qui ultra rationes jam assignatas, tribuere veniebat vitam nobiliorem, & digniorem illâ, quam primus homo susceperat; quando Deus creando hominem, *inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ*: Spiraculum illud symbolum fuit Spiritus sancti, ut S. Cyrillus Alexandrinus refert: *Spiraculum vitæ, id est, inspirato Spiritu sancto, ipse enim est spiritus vitæ.* Sed cùm Adamo contulerit Deus tantummodo vitam mortalem, quæ solùm corpus vivum reddebat, nec multùm durare poterat, spiraculum illud exiguum fuit: hîc verò datur vita animæ, quæ æternaliter durat, & divinum quid spirat, ideo meritò majus est, *tamquam advenientis spiritus vehementis.* Si enim ventus aërem purgat, nubes tollit, pluviam causat, animalia refrigerat, terram exsiccat, naves ad portum reducit; quis nescit divinum hunc spiritum purificare mentes, mittere prædicatores, donare lachrymas, calorem concupiscentiæ refrigerare, humores carnalium voluptatum exsiccare, ac tandem ad portum æternæ salutis adducere.

Actor. 2. 2.

*Cur tantus ventus in adventu Spiritus S.*

Genes. 2. 7.

S. Cyrill. lib. de adore in spiritu, & veritate.

Actor. 2, 2.

*Ventus Spiritus S. omnia purificavit.*

32. Mysteriosa insuper conjunctio illa est quæ inter linguam, & ignem videtur: lingua siquidem ad vocem formandam sola non sufficit, sed necessarius est flatus aliquis, sive spiritus, qui ad modum venti à partibus missus interioribus locutionem efficit: dum enim non respiramus, & linguam movemus, nullam possumus formare vocem, ita ut ex vento sive flatu sonum habeamus, ex linguâ distinctionem, sive, ut ita dicam, vocum articulationem. Ut igitur Apostolorum verba omnino essent cælestia, non linguam solùm, verùm etiam ventum misit Deus de cælo. Nec minùs mysteriosè ventus igni conjungitur, etenim ignis à vento insufflatus, faciliùs accenditur, & per diversa loca diffunditur. Dum ergo Deus Apostolis ventum misit & ignem, voluit quasi dicere, non credatis, ô Apostoli mei, vobis solis hunc mitti ignem, sed volo ut per universum diffundatur mundum, quare simul cum illo ventum mitto, qui illum portet, vos quoque euntes in mundum universum illum ubique accendere possitis.

*Mysteriosa fuit donatio Spiritus S.*

*Ventus ignē accendit, & diffundit.*

33. Super omnia tamen pulcherrimum, & propriissimum Spiritus sancti symbolum ignis est, de quo plurima dicenda occurrerent: Sed ne longiùs evagari me oporteat, maximè in rebus notis

*Spiritus S. ignis est.*

notis, non dicam Spiritum sanctum ignem esse, quia amor est, aut quia ad similitudinem ignis sibi assimilat, unit, & transformat cuncta; sibi assimilat, quia reddit homines spirituales: *vos qui spirituales estis*: unit animam Deo; *Qui adhæret Deo unus spiritus est*: & transformat in Deum: *Ego dixi Dii estis.* Has & reliquas ignis proprietates relinquens, dicam solùm divinum hunc spiritum in formâ apparuisse ignis, quo significaret se venire, ut nos felices, beatosque efficeret, quandoquidem ignis semper lætitiæ, & Regiæ dignitatis indicium fuerit. Vnde non solùm Persarum Reges, verùm etiam Romanorum Imperatores illum ante se portari jubebant, solum hoc ornamentum adeò solicitè curabant, propterea (inquit Herodianus) Commodus Imperator Martiæ suæ dilectæ omnes imperiales prærogativas concesserat, excepto quòd non posset ignem ante se jubere portari. Cùm ergo ignis super Apostolorum capita descenderit, videntur Imperatores, & Monarchæ totius mundi declarati.

Ad Galat. 6.1.
1. Corinth. 6. 17.
Psal. 81. 6.

*Ignis lætitiæ & Regiæ dignitatis præsagium.*

*Cur ignis in formâ linguarum apparuit?*

34. Inquiret fortè quispiam, cur hic ignis in formâ linguarum divisarum descenderit; quia *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*? Mundúsne linguis indigebat? Nullius rei tanta reperitur abundantia, & homini nil magis solitum quàm lingua, ita ut totus homo quandoque videatur lingua, vnde per psalmistam dicitur: *vir linguosus non dirigetur in terra*; non sufficit ei linguâ loqui, vult etiam manibus, pedibus, oculisque indicare sermonem. His tamen non obstantibus, mysteriosè admodum in linguis apparuit; linguarum siquidem bonarum, & cælestium, maxima penuria est. Quinimo divinus hic spiritus per modum linguæ loquitur, *& postulat pro nobis patrem gemitibus inenarrabilibus.* Per servos insuper suos, & prædicatores loquitur ut Christus Apostolis dixit: *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris mei qui loquitur in vobis.* Quinimo ex ore Dei cordibus nostris quid agendũ sit indicat: *Spiritus paracletus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quacumque dixero vobis*: Et sicut lingua causa sæpius mortis est, *Mors, & vita in manu linguæ*; sic Spiritus sanctus venit in linguis ut mortem carni, & vitam adferret animæ.

Act. 2. 3.
Psal. 139. 12.

*Quia bonæ linguæ omnibus desunt.*

Ad Rom. 8. 26.
Mat. 10. 20.
Joann. 14. 26.
Prover. 18. 21.

35. Notandum hîc quoque est, tempore antiquæ legis, ex gratiâ particulari, Isaiæ Prophetæ carbone ignito labia fuisse tacta: Apostolis non solùm labia, & linguæ tactæ fuerunt, verùm integra lingua ignea donata. An fortè Apostolorum lingua immundior fuit quàm Isaiæ Prophetæ? ad hanc enim mundandam simplex sufficiebat tactus: ad illam verò integra lingua ignea opus erat? Non ita arbitror, sed ostendere voluit Deus, negotium ad quod

*Cur Isaiæ labia igne tacta, & Apostolis linguæ igneæ datæ.*

Apostoli

Apoſtoli mittebantur, multò majoris eſt momenti eo, ad quod Iſaias miſſus fuerat. Sicut enim miles qui ſingulari certamine inimicum aggredi debet, procurat ut arma bene ſint diſpoſita; dum autem cum potentiſſimo hoſte ex parte principis duellum ſuſcipit, non ſolùm arma optimè aptat, ſed procurat id quod in armamentario principis inſigne reperitur ſibi concedi. Sic Iſaiæ qui ſolùm contra Hebraicum populum procedere debebat, ſufficiebat carbo ignitus, qui labia tantùm tangeret; ſed Apoſtolis qui contra principem tenebrarum pro gloriâ ſui Regis, decertare debebant arma nova ex cæleſti armamentario ſunt donata.

*Apoſtolis linguæ datæ, quia totum mundum convertere debebant.*

*Differentia inter ignitum & ab igne tactum.*

36. Maxima inſuper differentia eſt, inter rem quæ ſolùm ab igne accenſa eſt, & rem quæ tota ignis eſt: illa quippe non propterea ſuam relinquit gravitatem, ſed ſcintillam tantùm aliquam in altum emittit, ut videtur in ferro ignito, & ligno accenſo; quæ autem tota ignis eſt, motum ignis ſequitur ut apparet in flamma. Quò ergo tendebat prædicatio Iſaiæ? quid promittebat? bona terrena, *ſi audieritis me bona terræ comedetis*, & ſcintillam aliquam æternæ beatitudinis emittebat. Non ergo lingua ipſius tota erat ignea, ſed ab igne ſolùm tacta: Apoſtoli verò qui docebant terrena contemnere, & ad cæleſtia tota mente ſe erigere dicebant, *non enim hîc habemus manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*: linguam omninò ignitam habebant, & inſtar flammæ ad cæleſtia aſcendebant.

Iſaiæ 1. 19.

Ad Hebr. 13. 14.

*Cur linguæ diviſæ apparuerunt?*

37. Sed cur linguæ diviſæ apparuerunt? numquid locutioni meliùs inſerviſſent linguæ integræ! numquid Spiritus ſanctus amor eſt, cujus eſt proprium diviſa unire? numquid veniebat conjungere linguas in turri Babylonicâ diſperſas, numquid ipſe unus eſt? Dicunt aliqui linguas diſpertitas fuiſſe, id eſt, volubiles, & mobiles valdè redditas, ſicut ſerpens dicitur habere tres linguas, quia illam quam habet, adeo velociter movere poteſt, ut videatur triplex. Sed hoc contradicere videtur ſacro textui, ibi enim dicitur: *ſeditq; ſupra ſingulos eorum.* Non ergo propter motum linguæ videbantur diviſæ, ſed quia revera diviſæ erant in diverſas linguas. Non abſque myſterio hoc accidiſſe credendum eſt; ut oſtenderet Spiritus ſanctus ſe unum loquendi modum ipſos docere non velle, ſed plures; vel etiam quia venerat illos ſeparare à mundo juxta dictum Salvatoris; *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium, veni enim ſeparare filium à patre, &c.* & illud Jeremiæ, *ſi ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Fortè etiam, ſicut Spiritus ſanctus à duabus procedit perſonis, patre, & filio; ita duo genera amoris producere veniebat, amorem nimirum

Actor. 2. 3.

*Propter varietatem linguarum.*

Mat. 10. 34.

Ierem. 15. 19.

mirum Dei, & proximi. Dicamus quoque non solùm animam amore divino accendisse, verùm etiam corpus castum, & ab omni inquinamento purũ reddidisse: ita ut non solùm interiùs mentem lingua ignea ad orationis exercitium inflammare; sed & corpus exteriùs ut verba ignea, & amore divino plena cum fervore populo annuntiare possent, illustrare cuperet. Vt denique ab Emblemate nostro longiùs non recedamus, Spiritus sanctus geminus ille ignis dici potest, qui navigantibus in tempestate felicissimus apparet; Apostolis etenim sævissima persecutionis tempestate quassatis, in signum felicissimæ navigationis divisus illuxit. Idcirco dictum illud apposuimus, *serenum erit*: acceptum ex Evangelio S. Matthæi ubi Christus arguit Iudæos, quod cognoscere sciebant signa cælorum, non autem sui adventus, ait enim vesperi dicitis; *serenum erit, rubicundum est enim cælum.* Voluit ergo Dominus ex signis meteorologicis ostendere doctrinam suam.

*Ignis divisus fuit ut felix esset navigationis indicium.*

Matth, 16. 2.

*Cur dictum illud Emblemati appositum?*

38. Sed quomodo, dicet aliquis, Ecclesia tranquillitate frui poterat,in tantis persecutionibus? Apostoli martyrio affecti fuère, totus simul mundus insurgere videbatur in Ecclesiam primitivam? Respondeo in primis hic non dici, *mare tranquillum erit*, sed *cælum serenum erit*: accidit quippe aliquando ut licet serenum sit cælum, mare tamen non quiescat, sed à præcedenti tempestate commotum adhuc agitetur: ventisque quandoque in terra non spirantibus mare summopere effervescat. Non aliter Ecclesia post adventum Spiritus sancti, mare hujus mundi semper turbatum habuit; quia ut inquit Psalmista; *Mirabiles elationes maris*: Sed cælum semper ipsi serenum apparuit, Christus enim Ecclesiam suam semper protexit contra ingruentia infidelium bella. Vel meliùs dicamus, persecutiones, & tempestates quas Ecclesia pertulit, ipsi favisse, his siquidem magis excrevit, & ad portum æternæ salutis citiùs pervenit: vnde dicebant Apostoli: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*: quasi dixissent navigantibus, nolite timere, non cadatis animo, quamvis vehementes videatis insurgere ventos, navim concutere, ac navigationem nostram laboriosiorẽ efficere, quia citiùs ad portum desideratum perducunt.

*Quomodo Ecclesia in persecutione tranquilla?*

Psal. 92. 4.

*Persecutiones Ecclesiam ad cælum evexerunt.*

Actor. 14 22.

39. Quod etiam igni qui supra capita Apostolorum apparuit, rectè convenit: in igne quippe duæ sunt qualitates, lux, & ardor, illa delectabilis oculis, hæc nociva tactui. Gentiles credebant ignem symbolum honoris, & dignitatis esse, ad quam per lites & tribulationes devenire debebant. Quod Poëta Virgilius bene intendit, dum de Lavinia loquens ait:

*Ignis super capita dignitatis indicium.*

Virgil.

*Præ-*

*Præterea castis adolet dum altaria flammis,*
*Et juxta genitorem astat Lavinia Virgo,*
*Visa (nefas) longis comprehendere crinibus ignem &c.*
*Namque fore illustrem fama, fatisq; canebant*
*Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.*

Quod veriùs de Ecclesia affirmare possumus, dum enim in primo suo vigore sacrificium orationis offerebat Deo in cænaculo, subitò caput ejus ignitum apparuit, & resplendens per adventum Spiritus sancti. Quod ipsi signum felicitatis, & gloriæ fuit, non tamen absque difficultatibus, & turbationibus obtinendæ. Ne timeamus ergo, nec fugiamus tribulationes, & persecutiones, auxilio enim Spiritus sancti, omnia facilia, & dulcia nobis reddentur, & ad majorem gloriam, felicitatemque nostram convertentur.

*Eccles. per tribulationes salvata.*

# IN FESTO

# SS. TRINITATIS

## DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

### *Cur hoc SS. Trinitatis mysterium in veteri Testamento absconditum in novo revelatum fuerit?*

### Tria specula sibi invicem opposita;

### *Idipsum invicem.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

*Speculum ejusque refert mirabilia septem primis num.*

*Christum rectè dici speculum ostendit. num. 8. & 9.*

*Mysterium SS. Trinitatis antiquis absconditum nobis revelatum declarat num. 10. 11. 12. 13.*

*Templum Salomonis SS. Trinitatis fuisse figuram exhibet num. 14. 15.*

*Ab Isaia SS. Trinitatē adumbratam in aquavino, & lacte docet n. 16. 17. 18.*

*In antiquo Testamento sæpè SS. Trinitatem obscurè revelatam demonstrat n. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.*

*In novo aperta ejus cognitio non hæresis occasio, sed multorum bonorum causa fuit n. 27. 28. 29. 30. 31.*

1. Ut inter omnes sensus absque ullâ contradictione, propter nobilitatem & eminentiam principem locum oculus obtinet: sic inter omnia artium instrumenta (ne dicam inter omnia objecta sensibilia) meritò coronam ac sceptrum quasi Reginæ, speculo tribuere possumus. Etenim proportio & similitudo inter speculum, & oculum tanta est: ut dicere possimus, oculum esse animatum speculum, & speculum inanimatum oculum; vel oculum esse naturæ speculum: artium autem oculum esse speculum. Oculus speculum dicitur, non solùm quia imaginem repræsentat intuentis; verùm etiam quia animum indicat & cor proprii domini. Speculum quoque oculus est, quia ad similitudinem oculi imagines recipit objectorum, luce indiget, & omni colore privatum existit. Oculo fidelis est amicus, & quasi servus speculum; ut amicus enim efficit ut seipsum cognoscat, defectus, maculas, & imperfectiones proprias

*Maxima proportio inter oculum & speculum.*

*Oculus naturæ speculum, & speculum oculus artis.*

propriás videat, pulchritudinem, laudes, & ornamenta ostendit: & quod nemo alius indicare audet ipsi apertissimè exhibet. Lumine quoque indiget, unde Pythagoras discipulis imperabat, ut ad lumen solis, non autem lucernæ, speculum inspicerent, dicere volens eos doctissimis se comparare debere, si vellent suam probare scientiam. Ego potiùs dicerem, si nosmetipsos investigare velimus, & propriam cognoscere scientiam, cælesti lumine nobis utendum, non verò opinionibus hominum credendum.

Cælius Rodig. lib. 19. cap. 13.

*Cælesti lumine in cognitione nostrâ utendũ.*

*Intellectus instar speculi cuncta repræsentat.*

2. Nec corporis solùm oculo speculum inservit, verùm etiam mentis, qui est intellectus; qui multis in rebus maneret obscurus, si à speculo non illuminaretur. Quomodo enim cognosceret imagines, siue repræsentationes à Philosophis species intentionales vocatas, tam mirabilis naturæ, ut cùm ex seipsis sensibiles non sint, causa tamen sunt sive medium quo alia cognoscantur. Sicut enim in speculo imago reflectitur, sic hæ intellectui repræsentant quæ cognoscere debeat. Quomodo modum intelligere potuit, quo intellectus materialia percipit objecta, nisi similitudine speculi, quâ species sensibiles antea cognitæ ipsi repræsentátur? Sicque variis multisque quæstionibus pulcherrimis occasionem disputandi prębet intellectui speculum? Multum à Philosophis agitatur hæc quæstio, utrum simile possit agere in sui similes v. g. si calor æquè intensus in alium similem calorem, quod à plerisque negatur.

*Vtrum simile agat in simile?*

3. Videmus nihilominus intra specula similia, & æqualia actionẽ dari unius in alterum, ut singula idem repręsentent ut in Emblemate nostro posuimus, ideoque hoc dictum adjunximus *idipsum invicem*, quod nimirum omnia tria eamdem recipiant imaginem, & eandem invicem transmittant. Occasione cujus non ampliùs in Philosophia absolutè admittitur, quòd simile non agat in sui simile, sed ad illa restringitur agentia quæ agendo se invicem lædunt vel destruunt: non autem ad illa quæ se invicem agendo perficiunt, ut sunt specula, corpora luminosa &c. Ex eodem speculo explicare possumus quomodo illa intelligatur regula, *idem non potest agere in seipsum*: per speculũ quippe non solùm oculus seipsum videt, verùm etiam lumẽ seipsum reduplicat per actionem reflectivã, est enim qualitas amica, non inimica. Hæ & similes Philosophicæ quæstiones non parum adjutorii à speculo recipiunt.

*In speculo hoc verum est.*

4. Est ergo speculum instrumentum nobilissimum, & multò magis æstimaretur, si tanta eorum non esset abundantia, nam ars, & natura simul contendunt, ut omnibus provideant specula. Mate-

*Speculum instrumentum nobiliss.*

ria enim speculi artificialis (ut Polidorus Virgilius refert) est argentum, ferrum, plumbum, crystallum, vitrum, aliaque simul commixta. Speculi autem naturalis materia sunt marmora, gemmæ, crystallum omnesque ferè liquores cum aliquâ tamen differentiâ: nam ut auctor notat margaritæ philosophicæ, oleum reddit imaginem intuentis gratiosam, & pulchram, sanguis è contra nigram, & pallidam ostendit, quod varias ob causas accidere potest: vel quia non tantùm admittit lucis, vel quia vivaciorem habeat colorem.

*Polidor. Virgil. lib. 2. cap. 20.*

*Specula naturalia quæ?*

*Quomodo in aquâ defluente imago fixa repræsentetur?*

5. Supra omnes tamen liquores nihil clariùs ac naturaliùs imagines repræsentat, quàm aqua, in quâ aliud quoque mirabile apparet, quòd quantumvis illa velocissimè defluat, imago tamen fixa, & immobilis remanet. Sed imago hæc numquid accidens est? & alia accidentia numquid sequuntur sua subjecta? Quomodo ergo dum aqua movetur, non movetur pariter imago quæ ipsi ut accidens inhæret? si quis dicat non esse accidens aquæ; cur ergo dicam ego dum aqua movetur aut conturbatur totaliter, imago pariter confunditur, & conturbatur? Ut hoc perfectè explicare possemus, subtili opus esset philosophiâ, & longâ disputatione, quam brevitatis causa omittentes rationem hujus rei breviter assignabimus.

*Duo sunt genera accidentum.*

6. Advertendum ergo est, duo esse genera accidentum; unum quod productum non ampliùs à producente dependet, ut sunt calor, sapor, odor, & hæc cum subjecto cui inhærent moventur, & quiescunt. Aliud quod non solùm in productione, verùm etiam in conversatione à subjecto dependet, ut lux, dum enim sol, vel aliud corpus luminosum recedit, etiam lumen quod ab ipso dependebat, subitò evanescit; tales sunt imagines in aquis repræsentatæ. Hinc fit, ut defluente aquâ, non cum ea defluant. Dices ergo imagines istæ, per se manebunt ibi absq; ullo subjecto, aut transibunt ab uno subjecto in aliud, quæ duo veræ philosophiæ repugnant? Respondeo nullum ex his inconvenientibus sequi, non enim sunt eædem imagines quæ in sequenti aquâ apparent, cum istis quæ in præcedenti, sed aliæ de novo generatæ ipsis simillimæ cùm ab eadem causâ producantur, sicque non cognoscitur ista mutatio, sicut dum una candela ex cubiculo aufertur, & alia eodem tempore ponitur, non videt oculus diversitatem effectus, propter similitudinem luminis.

*Non transit de subjecto in subjectum sed nova formatur.*

*In speculo movetur imago, & non in aquâ.*

7 Obiiciet aliquis dum speculum movetur, etiã imago movetur quam repræsentat; cur non pariter in aquâ? aliqua fortè est differentia inter imaginem speculi, & imaginem aquarum? Certè nulla: videtur tamen in speculo imaginem moveri,

moveri, quia simul cum speculo moveri solet imago intuentis, & cùm in loco istius aliud non succedat speculum, ut in aquâ fit, sic etiam imago alia non potest repræsentari. Varia quoque per speculum possunt fieri mirabilia, sicut istud, quod ante templum Cereris in Achaia fiebat, ubi speculo in fonte emisso, & oblationibus Deæ Cereri factis, subitò in speculo imago apparebat illius, pro quo vota fiebant, videbaturque juxta colorum diversitatem utrum moriturus esset, an supervicturus, quod oraculum certissimum ipsis erat, sed diabolicum: sic speculum morientibus adhibitum nobis ostendit si flatus supersit, vel jam defecerit. Mirabile quid referunt multi sed veritati non ita consonum, si nimirum in speculo versus lunam converso litteræ scribantur sanguineæ, easdem quoque in luna apparere. Verum quidem est per speculum cogitationes nostras in cælum ascendere posse, ibique cælestia contemplari, ut aiebat Apostolus; *Videmus nunc per speculum in ænigmate*:

*Speculum mirabilia efficit.*

1. Corinth. 13. 12.

8. Iuxta S. Gregorium quoque Christus in speculo optimè figuratus, utpotè qui cum ipso magnam habet similitudinem, sicut enim speculum ex duabus componitur rebus, unâ lucidâ & transparente, vitro nempe, alia obscurâ, & gravi videlicet plumbo. Sic Christus duas habet naturas, unam divinam, omninò lucidam, & splendidam sicut crystallum, ita ut in ipsam nulla visio terminari possit, alteram humanam, quasi plumbum gravem, sed per se obscuram, quæ conjuncta crystallo divinæ naturæ, efficit ut illam intueri possimus, & cognoscere altissima eius secreta. Speculum hoc S. Ioannes nobis repræsentavit dum dixit: *Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius: Verbum*, ecce crystallum, *Caro factum est*, ecce plumbum, *vidimus*, ecce factum visibile quod primò videri non poterat: de hoc speculo intelligi potest Apostolus: *videmus nunc per speculum in ænigmate*. Nullum quippe aliud habemus speculum, in quo nos ipsos, & Deum melius cognoscere possimus. In hoc cognoscimus deformitatem nostrarum culparum, ad quas abluendas, balneum pretiosissimum ex sanguine Christi fuit confectum. In hoc insuper excellentiam animarum nostrarum perspicimus, cùm ad eas salvandas, ipsemet è cælo ad terram descendere dignatus fuerit. Notitiam omitto rerum cælestium, & divinarum, quas per hoc speculum acquisivimus, cùm sic numquam finire possemus; unum solùm modò referam, quod per illud cognitionem Sanctissimæ Trinitatis & imperscrutabilis illius mysterii arcana, Angelicis Spiritibus abscondita, percipere potuerimus.

S. Greg. homil. 7. in Evang.

*Christus optimè speculo comparatur.*

*Humana natura & divina speculum efficiunt.*

1. Ioan. 1. 14.

1. Corinth. 13. 12.

*In Christo omnes nostros cognoscimus defectus.*

9. Non poterat hoc ineffabile cognosci

*Mysterium Trinitatis*

*naturaliter non potest cognosci.* cognosci mysterium, per causas naturales, effectus quippe naturales à Deo ut uno procedunt, nec aliquid habent, quo Trinitatem ipsius innotescere faciant. Sicut cytharœdo cytharam pulsante facilè intelligimus, sitne peritus an non; sed utrum habeat patrem, vel filium, ex sono audire non valemus, hic enim non procedit ab illo tamquam à patre, sed tamquam ab homine. Sic ex mirabili harmoniâ, & hujus mundi gubernatione, colligere possumus unum esse principium, & motorem universi, potentiæ, & sapientiæ infinitæ; sed quod habeat filium, & trinus sit in personis, cùm omnes operationes externæ indivisibiliter à tribus procedant personis, tamquam ab uno Deo, & principio, nullo modo in iis Trinitas cognosci potest.

*Noluit Deus in lege veteri mysterium Trinitatis revelare.* 10. Potuisset quidem Deus in lege veteri hoc altissimum revelare mysterium, noluit tamen apertè efficere, vel quia intellectus illorum ad hoc non erat dispositus, & proni nimiùm ad idololatriam, & adorationem plurium Deorum, vel quia tenerrimus ille divinus amor non patiebatur ut quod nobis reservaverat, illis aperiret. Sicut enim sponsus summoperè sponsam diligens vult ut ipsa possideat quantumcumque habet; si tamen cognoscat commodiori tempore aliquid differendum, non vult ut antea cognoscat tale quid ipsum possidere, ne suspicetur subdolè secum agere. Ita Deus naturam humanam summoperè diligens volensque omnium bonorum participem reddere, in novissimis tamen temporibus filium proprium illi dandum reservavit; nec primò illum vel in minimo innotescere permisit, ne populus dilectus suspicaretur se ab eo verè non amari.

11. Ad tempora ergo felicissima gratiæ, duplicem hunc reservavit favorem, quod nimirum cognoscere possimus Deum esse trinum, & unum in personis mirabili modo. Nec enim absque cognitione perfectè frui nec sine fruitione perfectè cognoscere potuissemus. Merito igitur S. Gregorius Thaumaturgus laudans beatam Virginem inquit: *Per te ô beata Deipara supersubstantialis Trinitas mundo innotuit*: quia per ipsam habemus filium, & per filium duas alias personas cognoscimus, unde cùm Isaias Propheta, & S. Joannes describunt Deum glorificatum, in mysterio Trinitatis, vel à Seraphim, & quatuor animalibus laudatum, illum in throno constituunt Regali, per quem adumbrata est beatissima Virgo, dum enim Christum in visceribus concepit, mysterium sanctissimæ Trinitatis nobis innotuit. *Ad tempora gratiæ illud reservare voluit.* Gregor. Thaumat. in serm. de B. Virg. Isaiæ. 6. 1. Apocal. 4. *B. Virgo mysterium illud nobis innotescere fecit.*

12. Alia non contemnenda ratio se mihi offert, quare voluerit Deus se manifestare Trinum hoc tempore potiùs, quàm tempore antiquæ legis: Quia illud erat tempus *Tempus legis veteris erat tempus timoris, hoc est tempus amoris.*

tempus timoris, servitutis, & castigationis; unde tunc vocabatur Deus exercituum, sed hoc est tempus amoris, benignitatis, & misericordiæ, unde modò vocatur: *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*: Sed quis nescit multò plus declarari Deum misericordiâ, & pietate, quàm rigore, & justitiâ? magis flecti ad condonationem, quàm ad vindictam? desiderare potiùs amari, quàm timeri? Non ergo mirum dum de rigore, & justitiâ agatur, non velle apparere trinum, sed unum, ut triplicatas non expectemus tribulationes, sed simplices: Cùm autem de gratiâ & favore agitur tunc se trinum ostendit, ut multiplicet beneficia, juxtà illud: *favores ampliandi, odia restringenda.* Hoc etiam Isaias Propheta significare videtur dicens: *quoniam multus est ad ignoscendum*: quasi diceret; ad castigandum unus, ad ignoscendum verò multiplex, ut sæpiùs possit ignoscere. Quis enim non videat, quàm bonæ commoditates, & occasiones se offerant in hac sanctissima Trinitate, ut misericordiam, & remissionem consequamur? Molestum siquidem videtur semper ad unum confugere, ac quasi diffidentiam innuit, pro gratia semel impetrata ad eumdem iterum recurrere; sed dum plures sunt personæ major confidentia, & audacia crescit: propterea si hodiè à patre veniam postulavimus, cras filium adeamus, postmodum Spiritum sanctum. Nunc patrem rogemus amore filii, nunc filium per amorem patri exhibitum, nunc utrumque per Spiritum sanctum, aut Spiritum sanctum per amorem utriusque; & sic Trinitatis mysterium magnam nobis adfert consolationem, & confidentiam, imò triplicem exhibet viam per quam ad nos gratiæ divinæ possunt descendere.

2. Corinth. 1. 3.

*Deus in puniendo unus est, in miserendo multiplex.*

Isaiæ 55. 7.

*Trinitas triplicem dat confidentiã.*

13. Non dicat ergo ampliùs Isaias: *verè tu es Deus absconditus*, quia jam factus est manifestus. Desinat Hypocrates silentium portis templorum affigere, non amplius digitum ori apponat Deus adorandus, quasi de ipso nihil loqui possemus: non dicat Propheta David: *posuit tenebras latibulum suum*: non ultra prohibeamur ab introitu in sancta sanctorum, ubi hoc altissimum mysterium optimè figuratum erat.

*Deus absconditus nobis revelatus.*

Isaiæ 45. 15

Psal. 17. 2.

14. Erat antiquitus Salomonis templum multò mysteriosius in tres distinctum partes, quàm ab architecturæ regulis, in hunc modum ordinatum. Vna pars vocabatur atrium, quò omnis populus intrabat; altera sancta, ubi solùm Sacerdotes sacrificia offerentes admittebantur; Tertia sancta sanctorum, quò soli summo Pontifici introitus patebat. In eo ergo tres gradus perfectionis, quos in Deo considerare possumus, figurabantur. Primus, de Deo in quantum naturæ auctor, ut videlicet

*Distinctio triplex Salomonis templi tres gradus perfectionis divinæ indicat.*

*1. Gradus Deus ut auctor naturæ.*

licet est, Creator & Rector totius universi, ad quam cognitionem cùm etiam Philosophi gentiles venire poterant Apostolo teste: *quia quod notum est Dei, manifestum est illis &c.* meritò per atrium figurabatur, in quod omnibus introire licebat. Secundus est, in quantum auctor gratiæ, operator miraculorum, sanctificator animarum, dator legis, remissor peccatorum, & promissor vitæ æternæ. Ad hanc cognitionem Philosophi numquam ascendere potuerunt lumine naturali; sed Hebræi per revelationes sibi à Deo factas pervenire valuerunt; ideò per sancta figurabatur, quò solis Sacerdotibus dabatur accessus. Tertius gradus est cognoscere Deum, ut auctorem unionis hypostaticæ, & consequenter trinum in personis, & unum in essentiâ; hæc cognitio non fuit concessa populo Hebræo, sed reservata solis Christianis; quare præfigurata est in sancta sanctorum, quò solus summus Pontifex intrabat, qui figura erat Christi populique Christiani.

*Rom. 1. 19.*

*2. Vt auctor gratiæ.*

*3. Vt auctor unionis hypostaticæ.*

15. In hoc loco pulcherrima sanctissimæ Trinitatis figura reperiebatur, Arca Testamenti, quę tria continebat, Virgam Aaron, Tabulas legis & vas Mannæ. Quę melior sanctissimæ Trinitatis figura reperiri poterat? Arca una erat, & una divina essentia, tres continens personas. Virga signum est potentiæ, & auctoritatis, quæ patris personam optimè designat: Tabulæ legis dictatæ à sapientiâ Dei, denotant filium, sapientiam Patris, Manna dulcissimum omnem continens saporem, Spiritum sanctum, dulcissimè omnes suâ gratiâ reficientem clarissimè figurat. Notandum quoque est, summum Pontificem dum in sancta sanctorum intraret, tria debuisse habere, incensum vel Thymiama fumigans, & campanulas, malo granatis in fimbriis vestium distinctas. Sic nos hoc altissimum sanctissimæ Trinitatis mysterium considerantes, tria Deo offerre debemus, Thymiama fumigans, fidem videlicet, quâ nobis persuadere debemus, non posse nos mysterium illud cognoscere vel perfectè comprehendere, sed contentos esse debere in fumigante Thymiamate fidei obscurè percipere. Campanulas sonoras laudis, & gratiarum, & Malogranata amoris ferventis. Sicque tres nostras potentias, Intellectum fide illuminatum, memoriam gratam beneficiis, & voluntatem promptam ad amandum, SS. Trinitati dedicare poterimus.

*Arca testamenti figura Trinitatis.*

*Summus Sacerdos figura Trinitatis.*

16. Hanc cognitionem Deus Prophetæ Isaiæ indicavit dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas*; & paulò post, *venite & emite vinum, & lac*: Per hos liquores sitim extinguentes scientiam intelligit divinam, quam maximè intellectus noster appetit, ac propterea Chaldæus interpres transtulit: *Heus omnis qui vult discere, veniat, & discat*, discite:

*Cur in aqua vino & lacte S. Trinitas ab Isaia figurata.*

*Isaiæ 55. 1.*

*discite absque pretio, & absque pecunia doctrinam meliorem vino, & lacte.* Sed cur primò assimulatur hæc cognitio aquæ, & postea vino, & lacti? Vt doceat tres perfectionis gradus, à nobis antea relatos. In aqua significatur cognitio naturalis Dei, in vino cognitio ipsius ut auctor est gratiæ, & in lacte cognitio incarnati Verbi & Sanctissimæ Trinitatis. Aqua communis est omnibus etiam animantibus; sic cognitio naturalis Dei communis fuit omnibus etiam gentilibus, qui pecudum more potiùs quàm ratione utentium vivebant. Vinum non datur pecoribus, sed servis; quod populo Hebræo qui servus erat legis, datum fuit, quia cognovit Deum ut auctorem gratiæ. Lac conceditur filiis, & cognitio sanctissimæ Trinitatis, populo Christiano tamquam filio reservata fuit. Aqua pura non nutrit (ut aiunt Philosophi) & naturalis Dei cognitio nullius est meriti, quod nutrimentum est animæ naturali; siquidem ratione comprehenditur, & viribus animæ acquiritur. Vinum parum dat nutrimenti, nec ad hominis sustentationem sufficit; sic cognitio secunda Dei, cùm supernaturalis sit, meritoria quidem est, non tamen ad æternam salutem sufficit; necessarium quippe est ut implicitè, vel explicitè credamus in Christum Salvatorem.

*In aquâ cognitio naturalis Dei in vino auctoris gratia in lacte SS. Trinitatis.*

*Duæ primæ cognitiones non sufficiunt.*

17. Lac verò optimum est alimentum, quod solùm sufficit ad vitæ sustentationem, ut homo, manere possit in fide sanctissimæ Trinitatis; imò continet quidquid necessarium est ad æternam salutem, Christo attestante: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Lac profectò mirabile ac pretiosum, aptum magis infantibus & simplicibus, quàm sapientibus, & ætate provectis, quia, *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*; Lac quod oculis clausis bibitur: quia hoc mysterium curiosè investigari non potest, *Scrutator enim majestatis opprimetur à gloriâ.* Lac quod ex divino sugitur pectore, quia nec naturali lumine cognoscitur, nec ex effectibus quantumvis miraculosis, sed sola Dei revelatione haberi potest. Lac quod cælestis illa sponsa multum sitiebat dicens: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino,* per hoc enim osculum non solùm intelligebat unionem hypostaticam (hæc siquidem naturæ singulari concessa fuit) verùm etiam doctrinam quam Verbum incarnatum mundo tribuere veniebat, ut S. Bernardus aiebat: *cujus utique sermo, cujus & efficax osculum mihi est:* Verbum autem Hebraicum quod voci osculum correspondet, non solummodo significat osculari, sed etiam docere, idcirco in Psalmo. 2. ubi nos legimus *apprehendite disciplinam*, ipsi legunt, *oscu-*

*Tertia cognitio lactis satisfacit.*

Ioan. 17. 3.

Mat. 11. 25.

Proverb. 25. 27.

*Lac divinum omnes satiat.*

Cantic. 1. 1.

S. Bernar. serm. 2. in cantica.

*Per hoc lac significatur doctrina.*

Psal. 2. 12.

*osculamini filium* videlicet docentem.

Apocal. 1. 16. 18. Ex ore sponsi vidit S. Ioannes procedere gladium acutum, quis ergo appropinquare audebit, ut eum osculetur? Quomodo ori eius appropinquabit juvencula tenera, & delicata? Quinimo propterea osculari desiderat, ut ab hoc gladio transfigi posset, non alius siquidem est quàm verbum divinum Apostolo dicente: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c.* Verbum ergo Christi, & osculum, & gladius est; osculum propter delectationem, gladius propter efficaciam, *quia attingit fortiter, & disponit suaviter.* Osculum propter præmia quæ promittit, gladius propter pœnas quas minatur: Osculum, quia animam Deo unit, gladius, quia separat illam à cunctis rebus terrenis: Osculum, quia per amorem ad se trahit; gladius quia sancto timore animam configit: Osculum, quia cum dulcedine sentitur; gladius, quia non hæret in sensibus externis, sed penetrat, & *pertingit usque ad divisionem animæ & spiritus*: Osculum, quia pacem suadet, gladius, quia ad bellum & mortificationem carnis hortatur: Osculum denique iis qui illud observant; gladius iis qui non obediunt. Sed cur sponsa tantopere hoc desiderabat osculum? *quia meliora sunt ubera tua vino*: lac enim cognitionis sanctissimæ Trinitatis habere volebat, quod melius est vino, absolutâ videlicet cognitione Dei quam habere possumus ex vitibus ab ipso plantatis, ex effectibus nimirum; cùm lac aliunde quàm ex pectore habere non possimus.

Hebræor. 4. 12.

Sap. 8. 1.

*Verbum Dei osculum, & gladius,*

Hebr. 4. 12.

19. Dicebamus antea has tres cognitiones Dei in tribus partibus templi Salomonis significatas. Idem S. Gregorius Nazianzenus asseverat, dicens: *Tota Trinitas in unitate collecta adoranda, sola in sancta sanctorum penetrãs, res autem omnes cõditas foris relinquẽs, alias primo velo, alias secundo interclusas, atque diremptas, primo nimirum cælestes, & angelicas à Deitate, altero velo naturam nostram à cælestibus.* His adjungere poterimus differentias luminum quæ in tribus partibus templi erant: Atrium quippe cùm esset apertum, lumen solis recipiebat, sanctum, lucernâ septem lampadum illuminabatur: sed sanctum sanctorum nullum admittebat lumen, nisi fortè obscurum ex lucerna anteriore, aut ex gemmis in pectore summi Sacerdotis, aliquis splendor oboriri poterat, qui talis erat, ut ex isto summus Sacerdos augurabatur divina oracula secundùm Iosephum: quod rectè proposito nostro inservit, nam lumine naturali acquirere possumus primum gradum cognitionis divinæ, quod est Atrium à Sole illuminatum: ex scripturis sacris secundus gradus divinæ cognitionis dependet,

*Tres cognitiones Dei in tribus partibus templi significata.*

Greg. Nazian. orat. duodec.

*Triplex lumen in templo Salomonis.*

Ioseph. lib. 3. antiq. Iudaic. cap. 5.

*Tres gradus cognitionis Dei indicat.*

1. Ex lumine naturali. 2. Ex Scripturis. det, qui est secundus locus vocatus sanctum, cui lumen præbebat lucerna sacerdotum accensa symbolum antiquæ legis, secundum dictum principis Apostolorum: 2. Pet. 1. 19. *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*: 3. Ex revelatione divina. à nemine tamen alio quàm à Deo ipso recipere possumus cognitionem sanctissimæ Trinitatis, quam Christus ipse mundo attulit: quod est sanctum sanctorum illustratum à gemmis in pectore Sacerdotis.

20. In hoc sanctum sanctorum, cùm à Christo Salvatore nostro introducti sumus, dicere possumus, nos cum S. Paulo Apostolo ad tertium usque cælum raptos, ubi simul cum sanctis Seraphim, illum perpetuò laudare possumus. Verùm quidem est, quod à candelabro lumen aliquod obscurum per velum, aut per solem obliquum, aut reflexum haberi poterat; quia in scriptura sacra aliqua sunt loca quæ hoc mysterium obscurè innuunt, & in rebus naturalibus non desunt similitudines, ut sunt tres potentiæ animæ nostræ, memoria, intellectus, & voluntas inter se quidem distinctæ, sed unum quid cum anima componentes; radius, lux, & calor in sole: radix truncus, & ramus in arbore, & similes.

*SS. Trinitas obscurè à nobis cognoscitur.*

21. In antiquo testamento multa sunt loca quæ hoc innuere videntur; ex quibus aliqua adferemus. In principio Genesis legitur: *In principio creavit Deus cælum, & terram*: ubi advertendum quòd in Hebræo vox *Elohim* ponatur pluraliter; sed quomodo conjungitur cum singulari? Ad docendum in Deo esse singularitatem, & pluralitatem, singularitatem essentiæ, & pluralitatē personarū. Sicut hîc nomen plurale adjungitur verbo singulari, sic paulò post verbo plurali adjungitur nomen singulare: *Dixit verò Deus, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: ut fortè doceretur omnem personarum divinarum perfectionem, contineri in unicâ essentiâ, & infinitam essentiæ perfectionem communicari tribus personis. Verùm quidem hoc est, ut notat Bellarminus, hunc modum loquendi usurpare sacram scripturam non solùm in mysterio sanctissimæ Trinitatis, sed etiam in aliis occasionibus; unde nullum hinc potest efficax colligi argumentum pro hoc mysterio, quod idcirco factum credo, quia noluit Deus illud omnibus manifestum fieri; sed ita revelare, ut fidelibus solum amicis apertum, & cognitum foret, curiosis autem, & impiis occultum. Propterea SS. Patres illud in variis sacræ scripturæ locis reperiunt, ubi Iudæi, & hæretici invenire non possunt.

*1. Gen. 1. In antiquo testamento Trinitas indicata.*

*Gen. 1. 26.*

*Bellar. lib. 2. de Christo cap. 6.*

*SS. Patribus in antiquo testamento Trinitas revelata.*

22. Similiter S. Ioannes Chrysost. in illis verbis *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*

*Chrysost. lib. 3. de Trinitate.*

*nostram*, mysterium Trinitatis agnoscit; *Vide, oro, testimonia sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, dicit igitur Deus & Pater Deo filio, & Deo Spiritui sancto, faciamus hominem secundùm imaginem nostram, & non dixit meam, & vestram, neque meam, & tuam &c.* Sed clariùs fortè hoc mysterium Abrahæ Patriarchæ monstratum fuit, quando in convalle Mambre tres Angelos adoravit, quibus tamen in singulari loquebatur: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Sed cur hoc loquendi modo utebatur? fortè unum solùm recipere volebat? numquid vidit tres simul? sed dicamus cum Ecclesia in divino officio *Tres vidit, & unum adoravit.* Postea autem dixit: *loquar ad Dominum meum cum sim pulvis, & cinis,* sciens tres personas unicam tantùm habere essentiam. Sed quid sibi vult, quod duo soli postmodum iverunt ad Loth? plures alibi rationes attulimus, hîc solum ea dicemus, quæ S. Augustinus adfert; quia nimirum duæ sunt personæ missæ, cum primâ personâ à nemine mittatur; Angeli autem dixerunt Loth: *Dominus misit nos ut perdamus illos.*

Gen. 18. 3. *Abraham cognovit SS. Trinitatem.*

Ibidem

Gen. 19. 13.

23. Nec minus clarè (licet solùm verbis) mysterium illud Moysi revelatum fuit, in mysterioso illo nomine *Iehova*, de quo Deus Moysi: *Nomen Iehova non indicavi eis.* Hoc nomen ab Hebræis dicitur ineffabile, & tetragrammaton, id est quatuor litterarum. Sed cur ineffabile? quia fortè non bene proferri potest ut sunt multa alia vocabula Hebræa, aut quia non est licitum illud proferre? utraque ratio ab auctoribus approbatur: sed mirum videri potest, cur proferri non possit, cùm à Moyse pronuntiatum fuerit, imò litteræ nominis simul compositæ, nullam habent in prolatione repugnantiam; ad quem enim finem ponuntur nomina, nisi ut proferantur & indicent personam cujus sunt nomen. Quod etiam non fuerit licitum proferre, probabile non videtur, cum nullibi reperiatur præceptum contrarium, imò laudabile erat cum Deo loqui, & ad minùs summus Sacerdos dum orabat illud proferre poterat. Nec admirandum hoc nomen quatuor habere particulares litteras, eodem quippe modo quatuor habet nomen Adonai aliaque plurima. Licet etiam huic soli conveniret, componi quatuor litteris quid magni ibi continetur? Numquid perfectius esset tribus litteris cōponi, cū ternarius numerus sit perfectissimus, & in nominibus magis brevitas commendetur, quàm longitudo?

*In nomine Iehova S. Trinitas significata.*

Exod. 6. 3.

*Cur nomen Iehova ineffabile dicitur?*

24. Non displicet mihi ratio P. Alcasar, hoc nomen compositum ex quatuor litteris initialibus quatuor verborum, sicut apud Romanos quatuor illæ litteræ S. P. Q. R. sunt initia quatuor verborum *Senatus Populusq. Romanus;*

Alcasar in Apocal. *Ex quatuor litteris compositum vel ut ex quatuor verborum initiis.*

*nu*; & idcirco bene potest intelligi quare dicatur ineffabile, quia videlicet quatuor litteræ non erant positæ in hoc nomine, ut simul unicam formarent dictionem, sed erat abbreviatio quatuor aliorum verborum, quæ omnia concurrebant ad formationem divini nominis, & sic per excellentiam dicitur esse nomen. quatuor litterarum, initialium videlicet verborum, unde nomen *Iehova* non videtur proprium nomen sed fictum ex quatuor litteris; ut si quis ex litteris D. O. M. formaret vocem *Dom*, & sicuti ex vocabulo Machabæi quæ sunt litteræ initiales verborum, *Quis similis tui in fortibus Domine*, formatur nomen Machabæorum eo quod illud dictum istis litteris abbreviatum in vexillis ponebant.

Alcasar in Apocal. *Quæ sunt illa verba?* Apoc. 1. 4.

25. Alcasar quoque quem nos sequimur dicit has voces nomen *Iehova* conficientes esse, *erit*, *est* & *fuit*; ad quæ Ioannes in sua Apocalypsi alludit dicens: *Gratia vobis & pax ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est.* In quo nomine mirabiliter mysterium sanctissimæ explicatur Trinitatis; Sicut enim in Trinitate est una essentia in tribus personis, sic unum verbum in tria distinctum est tempora, & sicut istæ tres personæ conjunctissimæ sunt, sic hæc tempora in una sunt conjugatione. Sed quænam persona in istis temporibus repræsentatur? Respondeo persona patris in verbo *erat*, persona filii in verbo *est*, persona Spiritus sancti, in *fuit*, juxta ordinem verborum, & personarum divinarum. Sed cur hæc distinctio temporum? numquid omnes personæ sunt æternæ absque principio, & fine? verum quidem est, non sine ratione tamen futurum patri appropriatur, præsens filio, præteritum Spiritui sancto; eadem quoque ratione potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto tribuitur ut videlicet à nobismetipsis tollamus suspicionem contrariarum imperfectionum.

*Tria verba SS. Trinitatem formant.*

*Cur patri potentia, filio sapientia, Spiritus S. bonitas attributa?*

26. Nostris siquidem sensibus repræsentari solet Pater cælestis, ut senex & plenus dierum, ut ergo non credamus illum debilem, viribusque orbatum tribuitur ipsi potentia. Filius quoque ut persona juvenis depingitur, ut ergo non credamus illum minùs sapientem, ipsi sapientia tribuitur. Dum quoque spiritum nominari audimus, terremur quasi nec credibile apparet, inter spiritum, & carnem posse esse amicitiam, ideoque Spiritui sancto bonitas, & amor adscribitur. Pariter ergo cùm nulla poterat esse suspicio patrem fuisse, sed potiùs cùm haberet filium sibi succedere debuisse non dicitur ipsum non fuisse, sed quod erit. Cur autem (dicet aliquis) hunc ordinem S. Ioannes immutavit, & dixit: *Ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est?* Respondeo meritò hoc ita dixisse, cùm enim in lege veteri Deus cognitus esset ut pater,

*Apoc. 1. Cur S. Ioannes ordinem immutavit temporum?*

pater, ideoque ut prima persona dici potest magis cognita aliis personis: sic è contrà cum incarnatus fuisset filius, plus à nobis est cognitus, quia per eum devenimus ad cognitionem aliarum personarum, meritò ergo S. Ioannes illum in novâ lege proponit, & incipit à verbo *est*, sicut in lege antiqua incipiebant ab *erit*. Multæ similes auctoritates ex veteri, & novo testamento adduci possent, quas scholasticis indagandas relinquimus.

*SS. Trinitas non fuit occasio hæresum in Ecclesiâ.*

27. Dicet fortè quispiam hujus mysterii revelationem occasionem fuisse multarum turbationum & schismatum in Ecclesiâ; cùm enim intellectus humanus capere non posset quomodo hæc omnia subsistere possent, ideoque multi curiosè nimis hoc indagarent, variæ exortæ sunt opiniones, hæreses, & schismata, ut fuerunt Arii, Sabellii & aliorum; videtur ergo melius fuisse non revelari? Respondeo nullo modo abscondi debuisse, sic enim bonum, & altissimum mysterium à malo victum fuisset; quod est contra Apostolum dicentem: *noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Si hoc admitteretur, deberet Deus abstinere ab omni beneficio, cùm mali ex omni bono semper aliquam rationem calumniandi accipiant.

Rom. 12. 21.

*Sed multorum bonorum.*

28. Dico insuper, bona inde nata multò majora fuisse, quàm mala. Primò, quia bonorum infinitorum causa nobis fuit incarnatio Verbi divini, quæ absque manifestissima sanctissimæ Trinitatis cognitione haberi non poterat. Secundò, quia revelatio hujus altissimi mysterii, causa fuit sublimis illius cognitionis majestatis divinæ, cæterorumque eius attributorum. Tertiò, quia fides nostra meritoria magis exstitit. Tandem ab ipsis hæresibus multa bona Deus in Ecclesiâ excitavit: probando nimirum veram doctrinam à falsâ.

*SS. Trinitatis revelatio omnes hæreses ab Ecclesiâ abstulit.*

29. Sed melius dicamus, hoc mysterium non fuisse alioquin occasionem hæresis, sed omne potiùs abstulisse dubium, & hæresim. Nam si ad earum recurramus principium, reperiemus non fuisse errorem in intellectu; sed perversitatem in voluntate: non difficultatem in credendis fidei mysteriis, sed facilitatem consentiendi propriis passionibus, unde inquit S. Hieron: *Hæreses ad sua principia revocasse, refutasse est.* Quidam ex ambitione commoti hoc asseruerunt, ut Arius, quidam ex invidiâ ut Tertullianus, & Novatus, quidam propter lucra ut Lutherus, quidam ex libidine ut Gnostici &c. Nec solùm contra sanctissimam Trinitatem, sed contra omnes fidei articulos hæretici insurrexerunt; similiter Manichæi duo rerum principia affirmarunt, unum malum, alterum bonum. Licet ergo revelatum non fuisset sanctissimæ Trinitatis

*Hæretici non solum contra Trinitatem sed contra omnes fidei articulos.*

nitatis mysterium, non tamen hæreses defuissent in Ecclesiâ, sicut enim hanc modò impugnarunt, sic alia quoque impugnassent. Vnde potiùs dicendum videtur ab hoc mysterio hæreses potiùs diminutas, quàm exortas esse: cùm minor culpa sit negare mysteriũ quod intellectu nostro impossibile videtur, quã aliud quod apertum est, & clarum. Quandoquidem ergo hæretici parati erant à fide rebellare, maxima fuit Dei clementia, ipsis tale tribuere mysterium, quo possent aliquatenus errorem perfidiæ detegere: Sicuti multò tolerabilior est ille studiosus, qui in difficillimo explicando loco, aliquo modo errat, quàm qui in vulgari, & communi lectione.

*Maximum beneficium revelatio SS. Trinitatis.*

30. Maximum ergo beneficium ex omni parte fuit revelatio altissimi mysterii sanctiss. Trinitatis, cui non solùm ingrati sunt hæretici, qui illud negant, verùm etiam fideles, qui licet credant, & adorent, nihilominus ut se gentilibus Poëtis, & oratoribus conforment, malunt in litteris scriptis, & locutionibus suis uti phrasibus illorum, quàm more Christianorum proferre, ita ut velint potiùs dici Ciceroniani, aut Virgiliani, quã boni Christiani; dicunt enim: *si Diis placet, Dii meliora, Diis faventibus* &c. Plus certè gentiles ipsi unitati divinæ tribuebant, dicit enim Plato in epistolâ quadam tunc seriò se scribere cùm nomen Dei in singulari poneret, tunc verò iocosè cùm in plurali: *Quoniam*, dicit ipse, *multi petunt à me ut scribam, quos haud facile est apertè repellere; seriæ epistolæ est initium Deus; at verò Dii, eius, quæ minus seria est.* Credo Platonem voluisse Dionysio insinuare, quòd dum sæpiùs rogaretur ut litteras commendatitias scriberet hoc ei pro signo dedisse, ut sciret quænam commendatio ex affectu procedebat. Sed Eusebius & Theodoretus inde colligunt Platonem seriò unum Deum coluisse, alios verò fictè secundùm usum gentium.

Plato in epist. ad Dionys.

*Plato cognovit SS. Trinitatis mysterium.*

31. S. Augustinus dicit illum perfectè Trinitatem, & unitatem agnovisse, refert enim se legisse in operibus illius primum caput Evangelii S. Ioannis usque ad illa verba *Verbum caro factum est*, licet diversis verbis. Quidquid de hoc sit, certum est non posse cognosci unam personam sine alia; sicut enim in duobus speculis sibi invicem oppositis unum ex alio colligitur, sic in divinis personis una ex aliâ cognoscitur, juxta dictum Christi: *Qui videt me, videt & Patrem.* Nec tam simile vnum speculum alteri est, quàm divinæ personæ sibi invicem æquales. Verum quidem est, omnia in divinâ essentiâ relucere, sed diverso modo quàm sunt in seipsis, etenim in seipsis sunt materialia & corruptibilia, in Deo autem immaterialia, & incorruptibilia. Res

S. August. lib. 3. confess. cap. 6.

*Vna persona sine alia cognosci non potest.*

Ioan. 14. 9.

*Omnia in SS. Trinitate reluceant.* *Rom. 1. 20.*

quoque creatæ dici possunt speculum divinæ essentiæ, quia *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: Sanctissimam autem Trinitatem, ut diximus, repræsentare non possunt, licet similitudine illorum utamur. Credamus hîc ergo firmiter, & ferventer amemus, ut tandem aliquando in cælis apertè frui, & gaudere eius aspectu mereamur.

IN

# IN FESTO CORPORIS CHRISTI

## DISCURSUS DECIMUSQUARTUS.

### *De Christo se nobis in cibo amorosè offerente.*

### Panthera caput abſcondens, ut odore ſuo animalia trahat.

*Omnia traham.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

*Christum Panthera aſsimulat tribus num.*

*Duplicem in eo amorem exhibet, nu.* 4. 5. 6.

*Mirabiles divini amoris inventiones enarrat.* 7. 8. 9. 10.

*Ad quam inventionum ſpeciem hanc potiſsimùm SS. Sacramenti exhibitionem reducere poſsimus. num.* 11. 12.

*Conditiones ferventiſsimi amantis Christo applicat. à num.* 13. *uſque ad num.* 27.

*Amantis zelotypi cum geſsiſſe figuram deſcribit. num.* 28. 29. 30.

*Omnes virtutes in hoc Sacramento contentas, num.* 31. 32. *proſequitur.*

*Panthera nomen unde formetur?*

1. I nomen formationemq; Pantheræ inſpiciamus, duo ſignificare poteſt, cum ex duabus vocibus componatur, *Pan* & *Thera*, id eſt, omnis fera; græcè ſiquidem θηρ beſtia dicitur: poteſt etiam à θηρα derivari, quod ſignificat venationem, ita ut dicatur quaſi venatrix omnium. In primo ſignificato diabolo comparari poteſt, qui in Apocalypſi vocatur beſtia & Draco gerens ſeptem capita; in ſecundo, Chriſto, qui ut venator omnium in hunc mundum venit, ut de illo præfiguravit Iacob Patriarcha *ad prædam fili mi aſcendiſti.* Gen. 49. 9.

*Panthera conditiones*

*Hugo à S. Victore Lib. 2. cap. 23.*

2. Nil novi adferimus, dum Salvatorem noſtrum Pantheræ comparamus; etenim ante nos Hugo à S. Victore idipſum effecit, qui longè diverſas conditiones Pantheræ adfert ab aliis auctoribus: dicit enim animal eſſe manſuetum, cum nemine inimicitias exercens, quàm cum Dracone, ſuavitate quoque odoris animalia ad ſe attrahere, Dracone excepto, qui ſe abſcondit. Poſt-

quam autem ingentem bestiam consecuta est prædam, se in spelunca abscondens, tribus iisdem continuis diebus dormiendo immoratur; quæ omnia facillimè Christo possunt applicari.

Prima causa, cur Christo pantheram tribuimus? 3. Duabus tamen, potissimùm de causis Pantheram Christo in venerabili Sacramento comparamus, quarum prima est, quod sicut illa abscondit caput, vel ut alii volunt, toto corpore se contegit: sic sub accidentibus panis, & vini in sanctissimo Sacramento abscondita est potentia, & majestas divina. Secunda est, suavis odor quem panthera emittere dicitur, quò cætera animalia attrahit: multò autem suaviorem Christus emittit odorem, quo ad se omnes trahit; id testatur sponsa in Canticis: *trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. 3. Prima ratio à Deo ipso assignata videtur, quando dixit Moysi, *Ostendam tibi omne bonum, faciem autem meam videre non poteris*: Exod. 33. 19. ubi enim consistit omne bonum nostrum, nisi in facie Christi? Quomodo autem monstrari poterit, & non videri? non alio profectò modo quàm se operiendo, veluti dum aliquis larvato occurrit amico, quem cognoscit, dicit se amicũ talem conspexisse, cujus tamen faciem non est intuitus.

Christus in Sacramento velatum se exhibet. 4. Idem nobis accidit in divinissimo hoc Sacramento, ubi Christus se nobis exhibet, sed facie velatâ: Isaias gloriatur se ita Isaiæ 6. 1. vidisse Deum; *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Sed quomodo illum vidisti indica nobis, Isaia; qualis erat facies eius, severa, aut benigna; senex aut juvenis? tráne canus, aut abundans capillis? non potui, inquit, cognoscere, quia duo Seraphim alis illam tegebant. Ad minus dic nobis quale erat corpus ipsius, & pedes? magni, aut parvi? quibus ornamentis erant decorati? auróne, an argento? ne hoc quidem cognoscere potuit, quia Seraphim aliis duabus alis tegebant pedes eius. Si ergo nec caput, nec pedes vidisti, quomodo dicis te illum conspexisse. Hoc ipsum est, quod Moysi dictum fuit: *ostendam tibi omne bonum, faciem autem meam videre non poteris.* Exod. 33. 19. Nec sine mysterio dictum est Deum à duobus velatum fuisse Seraphinis, qui symbolum sunt amoris; ex eo enim quòd Christus in medio duorum sit positus amorum, occasionem accepit nobis relinquendi hoc admirabile Sacramentum. *Christus in medio duorum amorum.*

5. Primus amor fuit æterni Patris, qui illum ex hoc mundo discedere volebat, unde dicebat; *Si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Ioan. 14. 28. Alter erat amor quo nos prosequebatur, ne suos derelinqueret. Quid ergo effecit ut duos hos simul conciliaret amores? Modum invenit eundi ad Patrem ut primus requirebat amor, & remanendi in terris, ut secundus expetebat: præsentiâ *Quomodo univit hos duos amores?*

enim

enim corporali ascendit ad Patrem, præsentia autem Sacramentali remansit in terris. Optime quoque dicuntur, Seraphim velasse faciem eius, & pedes; cùm enim in Incarnatione solummodo tectum fuerit caput (divinitas nempe, quia *Caput Christi Deus*) in hoc sanctissimo Sacramento pedes eius cooperti fuerunt, sanctissima videlicet humanitas, de qua dictum, *adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est.* Sed si Isaias nec caput, nec pedes Dei viderit, quid ergo in Deo vidit? si suprema, & infima pars contecta erat, quid remanebat apertum? si Divinitas, & humanitas eius abscondita, quid ergo ipsi revelatum fuit? Respondeo cor detectum permansisse, Seraphim enim duabus mediis alis volabant, id est, apertas tenebant alas per modum volantis; sicque medium corpus detectum erat, quod divinus amor non patiebatur contegi. In hoc ergo admirabili Sacramento amorem omnibus exhibet, quem ut videamus, opus est optimo oculo, qui in tenebris videre possit, oculo nimirum fidei, qui videt cum inevidentia, propterea ab Isaia dicitur: *Domus repleta est fumo.* Hæc quoque visio in templo apparuit, quia in Ecclesia solùm hoc divinissimum reperitur Sacramentum.

1.Corinth. 11. 3.

Psal. 98. 5.

*Quid Isaias in Deo viderit?*

*In SS. Sacramento elucet.*

Isaiæ 6. 4.

6. Secunda causa cur Christum Pantheræ comparavimus est odoris fragrantia, de qua dicebat sponsa in Canticis: *meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*, id est, suaviora omnibus deliciis mundanis. Per hæc autem ubera sanctissimum intelligi Sacramentum, probatur ex verbis S. Petri, qui fidelibus scribens, dicit: *sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite*; ubi per lac rationabile sine dolo, à grauissimis auctoribus intelligitur cibus sacratissimi corporis Christi; quod rectè concordat cum sequentibus, *fragrantia unguentis optimis*, propter admirabilem suavitatem, & odorem hujus sanctissimi cibi, qui maximam vim habet animas trahendi, ut subjungit sponsa. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum*: hi siquidem odores, sunt splendor virtutum, & amoris Christi, quorum memoriale est hic divinissimus cibus. Vt columbarium aliquod frequentetur à columbis, solitum est dulces, & odoriferos apponere cibos, quorum odore columbæ allectæ, illud semper frequentant, quæ quamvis aliquando discedant, non rarò tamen eò redeunt. Sic Christus ut animæ nostræ frequenter ad eum redirent, suavissimum hoc & odiferum instituit Sacramentum; quem effectum ex hoc sanctissimo Sacramento provenire debere, prædixit Regius Propheta David: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi.*

*2. Causa, odoris fragrantia.*

Cantic. 1. 1.

1. Pet. 2. 2.

Cantic. 1.

Cantic. 1. 3.

*Columbæ amant odores.*

Psal. 21. 27.

*Christus suavi odore allicit animas.*

*saeculi; reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terrae.* Quasi diceret, qui suavi allecti odore Christi, & propriis coacti necessitatibus, ipsum quaerunt, in hoc sanctissimo cibo illum reperient, quo manducato saturabuntur, & fortitudinem recipient ut in aeternum vivant: cùm autem ab hoc recesserint, suavitatis eius memores redire subitò desiderabunt. Hunc odorem sanctus ille senex Isaac Patriarcha percipere videbatur dum dixit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni; cui benedixit Dominus*: mirabilis tamen haec videri potest comparatio, odor sicut agri pleni; sed si recordemur potissimam plenitudinem quam campus habere potest, esse plenitudinem frumenti & vini videbimus eum sermonem suum direxisse ad illum, qui sub specie panis, & vini se nobis exhibet; ex genere enim Jacob descendere debebat; ideoque odoriferum & benedictione paternâ dignum judicabat. Notandum quoque est, Isaac subjunxisse: *cui benedixit Dominus*, quasi alluderet ad benedictionem panis, & vini quam Christus consecrando corpus, & sanguinem dedit. Meritò etiam subjungitur: *serviant tibi populi, & adorent te tribus*; gentiles videlicet, & Iudaei, quod conforme est illi Davidico: *convertentur ad Dominum universi fines terrae*, & inscriptioni nostri discursus, *omnia traham*, quod non est intelligendum

Gen. 27. 27.

*Isaac benedicendo filium ad Christum respexit.*

Gen. 27. 29.

Psal. 21. 28.

*Quomodo Christus omnia trahat?*

de violentiâ, sed de repraesentatione objecti delectabilis, & summè appetibilis prout illud explicuit divus August. *trahuntur homines, & voluptate*, juxta dictum poëticum: *trahit sua quemque voluptas.*

S. August. tract. 26. in Ioan.

7. Sed quid sibi vult Pantheram trahere animalia ad se ut devoret, Christus autem trahere homines ut se permittat ab illis manducari? Respondeo licet videamur manducare hunc divinissimum cibum, non tamen negare possumus, quin etiam ipse nos manducet: si enim proprium manducantis est, convertere cibum in suam substantiam, non convertimus substantiam Christi in nostram, sed ipse convertit nos in se, quod magis nobis est desiderandum; sic quippe quodammodo participes reddimur ipsius divinae essentiae, ut bene August. sibi Christum dixisse refert: *cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* Mirabilis profectò inventio, quae ab alio procedere non potest, quàm à Deo qui tam in amore, quàm in sapientia, & potentia infinitus est, unde Isaias de tanto amore in admirationem raptus exclamabat: *notas facite in populis adinventiones eius*; praedicate, & clamate populis; quid praedicabimus ô Isaia? Beneficiáne & opera eius admiranda? minimè; sed ingeniosas artificii inventiones, amores admirabiles, quibus verbis Isaias

*Panthera trahit homines ut devoret, Christus ut devoretur ab illis.*

S. August. in lib. confess.

*Christus à nobis comeditur, & nos comedit.*

Isaiae 12. 4.

*Mirabiles amoris inventiones.*

Isaias se exhibere videtur ut ferventissimum amantem, qui postquam multa amoris signa versus personam demonstravit amatam; die noctuque cogitat quomodo ampliùs amorem suum ipsi exhibere possit, ut vel sic eius voluntatem magis alliciat. O quantus est divinus amor; parum ipsi videbatur nobis dedisse universum mundum, parum se hominem pro nobis factum, parum tanta tolerasse, mortem denique subiisse acerbissimam, cælum nobis promisisse; novos quotidie inquirebat modos, quomodo se etiam totaliter nobis donaret, & aperiret vehementissimam amoris flammam, quam in pectore continebat; ideo meritò exclamabat; *Notas facite in populis adinventiones eius*, effectus tanti amoris omnibus indicate.

*Quanta pro nobis Deus fecerit?*

Isaiæ 12.4.

8. Nec hîc sistit Isaias, sed adjungit, *Memento te quoniam excelsum est nomen eius*: quasi diceret, si persona ordinaria totum hoc pro nobis effecisset, magnâ admiratione dignum non foret: sed quod Deus, adeò magnus, excelsus, & immensus, tot nobis amoris signa ostendat, omnem excedit admirationem. *Mementote quoniam excelsum est nomen eius*. Advertite bene, licet enim ipsum sub habitu peregrino videatis, & sub figura medici panis, & vini absconditus lateat, non tamen magnitudinis, & majestatis eius obliviscamini; quæ sub his speciebus non minuitur, aut deperditur; *cantate domino quoniam magnificè fecit*, laudate illum, & glorificate; etenim inventionem quàm sapientia excogitavit & potentia factibilem ostendit, amor exequi voluit, *quoniam magnificè fecit*: cùm enim aliàs se liberalissimum ostendisset, opus denique suâ magnificentiâ dignum effecit. Aristoteles ait, liberalem unumquemque vocari posse, qui libenter donat, licet parum, sed ut aliquis denominetur magnificus, multò amplius requiritur, non enim sufficit libenter dare, sed oportet maxima tribuere: unde magnificentia propriè Principibus, & Regibus tribuitur. Ignosce igitur mihi Deus si dicere audeam, quod licet in mundi creatione opera fecisti heroica, fundasti terram, fabricasti cælos, ordinasti elementa, creasti hominem, & constituisti eum super omnia opera tua; solummodo dici possis liberalis, non magnificus, respectu tuæ potentiæ, & excellentiæ; hæc enim omnia minora fuerunt, quàm si princeps obulum alicui tribueret. Sed in exhibitione magni illius convivii, corporis videlicet & sanguinis tui, magnificus dici potes, tunc enim donum tuâ magnificentiâ dignum tribuisti. Meritò itaque Isaias exclamat: *Cantate Domino quoniam magnificè fecit*.

Isaiæ vbi supra.

Isaiæ ibid.

Aristot. in morali philosoph.

*Quis denominetur liberalis, & magnificus?*

9. Sed quomodo (dicet aliquis) tanta magnificentia exhibetur, in re tam exigua, ut est hostia

*Quomodo in re tam parva adeò magnifica exhibeãtur?*

hostia consecrata? ibi potiùs videtur vilipendi Deus, quàm magnificari. Verùm quidem videri potest; sed hîc admirabiles eius inventiones magis elucescunt, quòd in re adeò exigua. parvique momenti, ut sunt panis & vinum, abscondat maxima & præcipua dona totius mundi; in parvo circulo absconditur quem cæli capere non possunt; idcirco meritò Isaias admirando dicit: *Notas facite in populis adinventiones eius*. David quoque cælestium thesaurorum Secretarius, in nullo meliùs animam suam pascere solebat, quàm in amorosis his inventionibus, *Meditabor* (inquit) *in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor*; quasi diceret, opera tua quidem considerabo, quia admiranda sunt; sed particulariter, & cōtinuò exercebor in amorosis tuis inventionibus. O quàm sancta, & delectabilis consideratio, non jam curioso intellectu, sed amante affectu contemplanda. admirabilis sanè & amabilis hæc Christi inventio fuit in sanctissimo Sacramento.

*Isaiæ 12.4.*

*Inventiones Dei admirabiles.* Psal.76.13.

*Hominum industria in novis inventionibus.*

10. Si humanæ inventiones delectent unumquemque in arte sua, omnesque in eo maximè laborare studeant, ut novis, ac insolitis modis negotia sua promoveant; miles ut hostes vincat, mercator ut ditescat, amans ut redametur, fures quoque, mirabiles reperiant modos, ut furta meliùs, cautiusque exercere possint; delectabit etiam mirabiles audire Christi inventiones, quibus hunc mundum gubernat, & seipsum præ nimio amore mirabili modo omnibus donat. Si enim hunc mundum (quem fortuitò, & casu fecisse videtur, cùm scriptum sit, *ipse dixit, & facta sunt*, & Sapiens ait, *ludens in orbe terrarum*) adeò pulchrum, & delectabilem effecit, tam variis ornatum deliciis, ut maximum contemplantibus gaudium pariat: Quid erit, si considerentur opera divina, ad quæ facienda tanta diligentia, & industria usus est, ut propriè vocentur inventiones Dei?

*Mirabiles Christi inventiones.*

Psal. 148. Prov.8.31.

11. Sed ad quam speciem inventionū, hanc nostram reducemus? Ad stratagemata fortè militaria, quæ dux ad vincendum exhibet? Sic quidem dicere possemus; etenim dum generosus dux vi locum aliquem occupare non potest, arte & deceptione occultâ illum invadere aggreditur, mutando vestes, aut arma militibus, ut vel sic occultè locum ingrediantur; ita Christus cum multo tempore corda nostra occupare tentasset, nec umquam eò pervenire potuisset; non misit occultum aliquem militem, sed ipsemet mutatis vestibus, & sub habitu panis & vini intrare voluit, ut vel sic possessionem cordium nostrorum acquirat. Inventio fortè medica hæc fuit? & hoc etiam dicere licet, etenim dum infirmus medicinam sumere recusat, medicus illam

*Si hæc inventio stratagema dicatur?*

*Si inventio medici dici potest?*

illam inter cibos infirmo gratos, aut potum commiscens, infirmo sumendam tradit. Sic homo infirmus nolens medicinam suorum peccatorum, & salutis æternæ intra se sumere; abscondit Deus dignitatem majestatemque suam; ac seipsum sub speciebus panis, & vini (quod est ordinarium hominis nutrimentum) tradidit, ut vel sic medicinam quam renuerat intra se reciperet, & cùm ea æternam biberet salutem. Fortè Agricultoris hæc fuit inventio, qui dum arbores fructum silvestrem aut inutilem proferre videt, domesticum & bonum eis inserens fructum, utiles, ac fructuosas reddit? Et hoc quidem dicendum videtur, quandoquidem Deus noster Agricultoris aut hortulani speciem, & similitudinem assumere dignatus est: advertens in nobis fructus plurimos silvestres, & ingratos; ex carne propria fructum domesticum, & suavem nobis inserere voluit, ut per hunc efficiamur operibus bonis referti.

*Si inventio agricultoris?*

12. Sed melius tribuamus, honorem cui debetur, dicamusque inventionem hanc esse amoris, & sponsi amantissimi artificium. O dilectissime Deus quid intentatum reliquisti ut in cordibus nostris sanctum amoris ignem accenderes? Quid ampliùs excogitare poteras ut immensum amorem erga creaturas adeò viles, & abominabiles patefaceres? Consideremus cùm omni affectu inventionem amantissimi Dei nostri: undénam incipiemus? Quis dux erit adeò excelsi, & absconditi itineris? Attendamus quid ingeniosi, & ferventissimi hujus sæculi amatores facere soleant, & inde elevemus corda nostra ad divini amoris inventiones admirabiles contemplandas. Semper tamen illud Isaiæ cogitantes, *quoniam excelsum est nomen eius*; à majestate enim divina omnes imperfectiones sunt tollendæ, & in summo perfectionis gradu omnia consideranda.

*Potius inventio amantis dicitur.*

*Deus imitatur hujus sæculi amatores, sed altiori modo.*

Isaiæ, ubi suprà.

13. Quid ergo facit cupidissimus amans, si verè & non verbis solum amat? Nihil magis desiderat, quàm frui optatâ præsentiâ suæ dilectæ, & cum ipsa perpetuò conversari, ut optato potiatur fine, mille adinvenit modos, nullis parcit sumptibus, modò vestes mutat, modò habitu vili, superbo modò induitur, ut domum intrare, & sine prohibitione desideratâ eius præsentiâ liberè frui valeat. Quid non effecit Deus ut animas nostras sibi amore perpetuò devinceret? *Notas facite in populis adinventiones eius.* Summo tenebatur, desiderio cùm ipsis perpetuò commorandi, in quo tota eius jucunditas consistebat. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Ad quem finem consequendum, quibus modis non est usus? formam assumpsit humanam in similitudinem servi factus est, seipsum totaliter

*Sic Deus nobis semper adesse cupit.*

Isaiæ, ubi suprà.

Proverb. 8. 31.

taliter immutavit; audi Apostolum idipsum pulchrè nobis explicantem: *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Sistendum hîc non est, ulterius transeamus; videns enim taliter hominem sibi devincere non posse, seipsum in tantum humiliavit, ut etiam pœnas intolerabiles, mortemque acerbissimam pro eo subiret; ut vel sic commotus, ad ipsum ultrò accurreret, & quo amore illum ardere videbat, accenderetur, filiabus Ierusalem id innuere volebat, dum se sequentibus dicebat: *filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete*, quasi diceret, videtis me amore vestri hæc perpeti, lugete; non propter me, sed quia pari amore pœnas meas compensare non possitis.

Ad Philip. 2. 7.

*Omnibus modis hominis secum unire cupit.*

Lucæ 23. 28.

14. Nec hîc quievit immensus amor, sed considerans se morte interveniente non posse semper cum hominibus conversari, nec interiùs ipsis adhærere; quasi cibo, & potui invidens, qui in hominis vertitur substantiam, se etiam in cibum, & potum nobis præbuit, propterea in ultima cæna, quando se discessurum cernebat, *deposuit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se*: quoties enim in sacra mensa altaris, hic divinissimus cibus consecratur, toties Christus se spoliat vestibus gloriæ suæ, & albo linteo (speciebus videlicet albi panis) se cingens, nobis seipsum in cibum exhibet. O quàm admirabiles inventiones Domini? *Notas facite in populis adinventiones eius, sed memento te quoniam excelsum est nomen eius*, non se humiliat, aut vilipendit, vestem servi, & formam panis accipiens; imò potiùs magnificè exaltat, & mirabilem ostensionem suæ potentiæ, & majestatis exhibet. Quid enim divinissimum sacramentum aliud est, quàm compendium, & epilogus omnium miraculorum, quæ Deus in hoc mundo operatus est? *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*: inquit Propheta Regius.

*Nec morte ab homine separari potuit.*

Ioan. 13. 4.

Isaiæ suprà

Psal. 110. 4.

15. Hîc videre est miraculum in substantia, panis siquidem trāsit in substantiam Christi; hic miraculum in accidentibus, manent enim sine subjecto; miraculum in quantitate, quia secundario privatur effectu, non se extendit, nec locum occupat; imò ut spiritualis indivisibiliter est ibi præsens: in qualitate miraculum, præsens quippe est, & coloratus, & tamen invisibilis: in relatione similiter, Christus enim novam acquirit dependentiam, & non novum esse: in actione, quia verba vim habent productivam, & si alibi non esset, hic produceretur: in passione quoque, licet enim Christi caro in plures dividatur partes, integra tamen manet, nec manducata consumitur, nec producta

*Quanta miracula in hoc SS. Sacramento.*

ducta

*Miracula in omnibus prædicamentis.* ducta crescit in loco, quia idē corpus diversis in locis simul est præsens: in tempore, eodem quippe instanti, est in cælo, & in altari: in motu, quia simul est a dextris, & sinistris, superius, & inferius; idem quoque corpus movetur situ, quia caput non longè abest à pedibus, nec pedes longè à capite, cùm sit indivisibiliter, in quavis hostiæ particulâ, pedes tamen non sunt immediatè capiti conjuncti, sed mediantibus cæteris membris. Quàm admirabilia & inaudita sunt miracula, quæ, quia intelligi non possunt, dicere sufficit, *Mementote quoniam excelsum est nomen eius.* Isaiæ suprà

*Amans amata dona transmittit occulta.* 16. Quid ultrà cupidissimus operatur amans? Dona suæ dilectæ præparat, sed secreta, & abscondita esse cupit, nec umquam ab aliis cognosci; propterea mille inventionibus illa operit, nunc in cortice nucum clausa, nunc herbis, & floribus tecta, nunc sub nomine alterius personæ dispensat, & mille aliis modis sua dona occultat. Sed quid noster efficit amans? *Notas facite in populis adinventiones eius.* Quis crederet sub speciebus tenuissimi panis, donum aliquod latere absconditum, pretiosissimum tamen ibi reperitur quod in Apocalypsi vocatur: *Manna absconditum, quod nemo novit nisi qui accipit*: hoc donum adeò absconditum est animæ, ut ne quidem servi intrinseci idipsum cognoscant; quis enim sensuum hominis (qui servi illius sunt) cognoscit hîc latere Christum? Oculus nihil videt præter panem, tactus, & sapor nihil aliud invenit, odor ibi fallitur; solus auditus legatus fidelis hunc sermonem percipit, & menti transmittit, ignarus quid sibi hæc verba velint. Mirabile profectò, & secretissimum donum; *Mementote quoniam excelsum est nomen eius*, ideoque non exiguum aut vile donum animæ amatæ præbet, sed infiniti pretii, quo nihil majus reperiri potest, adeò excelsum ut sola omnipotentia divina illud largiatur. ubi suprà.

*Christus dilectis suis dona abscondita donat.*

Apoc. 2. 17

*Quanta magnificentia hujus doni?* 17. Hujus doni magnificentiam optimè noverat S. Ioannes, dum in eius institutione refert Deum Patrem omnia dedisse filio: *sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus.* Quid opus erat ista referre? ut intelligeremus Christum adeò magnificum præparasse donum, ut absque absolutâ potentiâ patris præbere non potuisset. Cùm ad legatum cujusdam Regni causæ deferuntur ordinariè, subitò illas exequitur; sed dum negotium maximi momenti expedire cupit, commissionem suam intuetur, utrum eousque se extendat. Non aliter Christus dum varios curaret infirmos, & mortuos revocaret ad vitam, uno verbo sine ulla difficultate hoc præstabat, dum verò hoc admirabile opus sanctissimi Sacramenti patrare vellet commissionem suam, & Joan. 13. 3.

 potestatem

ubi suprà. potestatem inspicere voluit; quare Evangelista dixit: *sciens Iesus, quia omnia dedit ei pater in manus*: tantum hoc extitit beneficium, ut ipsemet Christus nihil videretur dedisse, donec summum contulisset beneficium sacratissimi corporis, & sanguinis sui.

*Reliqua Christi dona in comparatione hujus nulla sunt.*

18. Vsque modo visus est mihi Christus instar filii Regis, nondum Regni possessionem adepti, qui quandoque amicis suis dona largitur, sed dum illa modica nec magnificentiâ suâ digna considerat, exhortatur ut patientiam habeant donec Regni possessionem injerit, dicens amicis: cùm thesauris patris potitus fuero, liberalem me erga vos exhibebo, cognoscetisque quanto vos amore prosequar. Hoc autem ita esse ex eo cognoscere licet, quod Christus in nuptiis Cana Galilææ gessit, deficiente enim vino, benigna eius mater compassione mota, & plena fide dixit filio: *vinum non habent*, modestè ab ipso exigens quod deerat, ipse verò respondit? *Nondum venit hora mea*; Ioan. 2. 4. per hoc innuere volens, nolle se illis negare miraculum, quod paulò post fecit, sed quasi diceret, mater mea ut sponsis his vinum provideam, res parvi momenti est, vellem ipsis vinum multò pretiosius offerre, sanguinem nempe meum, sed nondum venit hora mea, & tempus in quo disposui omnia. Quando autem advenit hora eius, & factus est hæres omnium bonorum Patris (ut inquit Evangelista: *Sciens autem Iesus, quia venit hora eius, & quia ei dedit Pater omnia in manus*) tunc maxima exhibuit dona, Regiâ majestate digna, instituens hoc sanctissimum Sacramentum, non solùm omnium donorum maximum, verùm etiam pretiosissimum, ita ut cælestis gloria, quæ finis est, & pretium omnium donorum, non sit illo major. Quid enim majus est, pignus rei, aut res ipsa pro qua pignus datur? Non est dubium, quin pignus sit multò majus; si ergo pignus cælestis gloriæ est hoc sanctissimum Sacramentum, ut canit Ecclesia; *O sacrum convivium in quo Christus sumitur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur*; numquid majus esse debet cælesti gloriâ? Theologi dicunt in cælesti gloriâ Deum uniri intellectui nostro intentionaliter per modum speciei intelligibilis, in hoc Sacramento unitur animæ nostræ realiter per modum cibi, ergo majus videtur hoc esse donum cælesti gloria. O pretiosum, & admirabile donum! Ioan. 3. 3

*Hoc donum cælesti gloriâ majus est.*

19. Quid ampliùs efficit ingeniosus amans, ut non intelligantur eius secreta ab aliis, quàm à persona amata? Modum invenit occultum scribendi, quo per fictos characteres, aut non apparentes litteras mentem suam dilectæ innuat, quæ ingeniosa certè inventio, quâ scriptura ignota per inimicorum manus securè transiens, soli

*Amans occultâ scripturâ secreta intimat dilectæ.*

ſoli illi cognita fiat, ad quem deſtinatur. Nec communibus operibus hæc deſervit inventio, ſed principum negotiis, ac amoroſis ſecretis digna eſt miniſtra, quæ penna amoris ſcripta, perſpiciliis amori correſpondentibus indiget, ut intelligatur. Sed meliùs dicamus divinam hanc eſſe inventionem, non humanam: ita quippe proprium eſt Deo loqui, & ſcribere numeris, & fictis litteris, ut dum vellet Iſaiam ſcribere clarè legationem ſuam, ipſi dixerit: *ſcribe in libro ſtylo hominis*, vel ut Chaldæus interpres refert, *ſcripturam claram*; quaſi diceret, noli Iſaia ſcribere conſueto modo per numeros, ſed ſcribe conſuetudine humana, & clara. Quod autem Deus obſcurè, & per numeros ſcribere ſoleat, ſæpiſſimè in ſacra ſcriptura reperitur, ut patet in convivio Balthaſaris Regis, ubi illa ſcriptura *Mane Thecel Phares* adeò obſcurè digeſta erat, ut nullus eam legere poſſet, præter Danielem, cui erat divinitus revelata. Sed magis propoſito noſtro convenientem in novo teſtamento ſcripturam digeſſit; ô quàm admirabilis inventio illa fuit in Incarnatione (*notas facite in populis adinventiones eius*) quando amoroſo nexu naturam humanam cum divina copulavit; quod pulchrè Iſaias prædixit dicens: *verbum abbreviatum faciet Dominus ſuper terram*: quaſi diceret, multa locutus eſt Deus, quæ omnes intelligere

*Sic Christus quoque.*

Iſaiæ 8. 1.

Danielis 5. 26.

*Incarnatio eius ſcriptura ſecreta.*

ad Roman. 9. 28.

potuerunt; ſed modò ſtupendam exhibebit ſcripturam abbreviationibus, & numeris plenam, quam nemo intelligere poterit, abſque notitia fidei, & luminis divini illuſtratione. Admirabilis profectò poteſt dici hæc inventio ſanctiſſimi Sacramenti, in ipſo ſiquidem ſecreto modo, continetur totum hoc, quod in aliis omnibus haberi poteſt.

20. Inter alias ſcribendi inventiones nobiliſſima eſt illa, cùm charta alba mittitur, in qua licet curioſè inſpicias, nullum tamen ſignum, aut notam reperies: ſed dum perſonæ ad quam fertur tradita eſt, eamque igni applicat, ecce ſubitò magna cum admiratione prodeunt litteræ ſenſum formant, & ſcriptura legitur, veluti ſi calore ignis, impreſſio aliqua ſubſecuta foret. Similem ſcribendi modum, Deus in hoc diviniſſimo adinvenit Sacramento. Quid enim in ſacra hoſtia apparet niſi charta alba? Nullum ibi ſignum, nullámve formam in ea reperire poſſumus niſi candorem, & figuram panis: ſed ſi intra te habes aliquid ignis divini, ô quàm admiranda in eo leges? quæ ſecreta cæleſtia percipies? qualia amore divino plena reperies verba? hoc teſtatur divinus ille Propheta Ioannes: *vincenti dabo calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* S. Hieron. in hunc locum ſcribens, dicit alludere hîc S. Ioannem

*Secreta ſcriptio in charta alba.*

*In hoſtia ſacra maxima reperiuntur ſecreta.*

Apoc. 2. 17. *Aſſimulatur calculo candido.*

 nem

Isaiæ 6.6. nem ad visionem Isaiæ, quando Seraphim forcipe de altari tulit calculum, non carbonem, ut multi dicunt, sed carbunculum, lapidem pretiosum, qui albus esse fertur, unde per ipsum bene adamantem figurare possumus pulcherrimum sanctissimi Sacramenti symbolum, in quo reperitur verus adamas, seu verus Deus amans. Sed gemma hæc alba simul erat, & scripta? videntur hæc sibi contradicere; dicere posset aliquis, per inscriptionem sculpturam intelligi, ut antiquitus fiebat. Sed melius dicendum scripturam fuisse, quandoquidem addatur, quòd legi non poterat illo nimirum modo scripta, quo ante diximus chartâ albâ manente, quæ igni apposita optimè legitur. Id autem hîc verè intelligi, ex consequentibus verbis patet: *nemo novit nisi qui accipit.* (Vbi suprà.) Quid hoc sibi vult? Nisi taliter hoc scriptum esse ut nullus legere possit, nisi is cui Deus artem legendi, & secreta mysterii revelare voluerit: idcirco dum Christus semel hoc prædicaret mysterium obscurè, Iudæi scandalizati abierunt retrò dicentes: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*: (Ioan.6. 61.) quasi dicerent, quàm obscurè loquitur, quis intelliget, nisi explicetur? proptereà subjunxit Christus; *Quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt; sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* (Ibid. 64.) Quasi diceret, si non habetis spiritum fidei in vobis, laborate quantum vultis, nunquam poteritis hoc intelligere mysterium.

*Hanc scripturam nemo legit nisi à Deo inspiratus.*

21. Hunc spiritum fidei non habuit Nestorius, propterea negavit adesse naturam divinam; nec habuit Echolampadius, ideo dixit: non adesse verum corpus Christi: neque Calvinus hunc modum scribendi novit, idcirco dixit; nos accipere corpus Christi per fidem tantùm, non autem realiter: hi omnes nescierunt modum legendi hanc scripturam, deerat enim illis divini amoris ignis & Spiritus fidei, ideo in vanum laborarunt. Sed Ecclesia Catholica, & animæ devotæ, quæ hunc modum legendi habent, quàm admirabilia, & alta mysteria in hac divina epistola abscondita legunt! O verbum abbreviatum quàm multa comprehēdis! Quasnam virtutes, ibi non addiscimus? Quæ attributa divina ibi non reperimus! Sapientia, potentia, bonitas, & super omnia amor ibi resplendet. Quódnam nostræ fidei mysterium ibi non reperitur figuratum? Quod beneficium vel operatio divina ibi non apparet expressa? Idcirco meritò hoc mysterium à longè prospiciens Propheta Regius exclamat; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Psal.110.4 In hoc admirabili cibo exhibuit Deus memoriam, & epilogum, omnium operum quæ umquam mirabiliter fecit. O quàm admirabilis hic scribendi modus!

*Ecclesia Catholica mirabilia in hac scriptura reperit.*

*In hac reperiuntur omnia fidei mysteria.*

Notas

Isaiæ 12. 4. *Notas facite in populis adinventiones eius*, sed magis, *Mementote quoniam excelsum est nomen eius.* Recordamini bonitatem, sapientiam, & charitatem, in Deo esse infinitam, nec umquam amantem, aut ingeniosum scriptorem eò pervenisse, ut potuerit vel in minimo Dei sapientiam adæquare. Quantumcumque enim ingeniosè invenerit, nunquam efficere poterit ut eadem epistola per modum interrogationis, & responsionis ad interrogata deserviat; ita ut sponsæ suæ missa, animum suum, & petitionem indicet; & eadem remissa significet quæ sponsa respondere velit. Hoc tamen Deus hac epistolâ efficere potuit; ô admirabilis inventio divinissimi Sacramenti, quæ interrogationem, & responsionem adeò acutè continet, ut si pro singulis fuisset institutum! Sicut enim nihil meliùs Deo offerre possumus quàm seipsum, cùm nobis seipsum donet; sic in quantum illud sanctissimum Sacramentum est epistola amoris nobis transmissa, nullum meliùs responsum dare possumus, quàm eodem amore correspondendo; hæc est amorosa & ingeniosa epistola, quæ nobis explicat amorem divinum ergà nos, & vicissim Deo amorem nostrum exhibet. Illud nos reddit memores beneficiorum divinorum, & Deo memoriale nostrarum necessitatum exhibet.

*Hæc simul est epistola & responsio.*

22. Hoc ego solus non assero, sed Propheta David mecum, dum dicit: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quid ergo, nobisne solùm suavissimus hic cibus memoriale erit? minimè inquit, verùm etiam Deo idipsum præstat, subjungit enim: *Memor erit in sæculum testamenti sui*: sed quis memor erit? proculdubio Deus, de quo subjungit, *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.* Deus ergo, cùm frequentamus hoc sanctissimum Sacramentum recordatur fœderis, & pacti sui cũ homine, quòd nimirum pro illo passus, & mortuus sit, ideoque debeat uti misericordiâ erga ipsum: ita ut hic sanctissimus cibus non solùm sit memoriale respectu nostri, sed etiam respectu Dei, ut ad misericordiam moveatur, videndo tale pignus misericordiæ se reliquisse in terris. Quis ergo non stupebit considerando Christi amorosas inventiones, ut homines ad se trahere possit? Quis non fatebitur meritò Isaiam dixisse: *Notas facite in populis adinventiones eius*, Isaiæ 12. 4. eas solummodo populo prædicate, & videbitis quàm magnifica in eis contineantur. Sed ulteriùs perscrutemur magnalia Dei.

*Hæc scriptura est memoriale nostrũ ad Deum, & Dei ad nos.* Psal. 110. 4.

Ibid. suprà

*Per hanc Deus ad misericordiam movetur.*

23. Quid ampliùs solet facere ingeniosus, & nobilis amans, ut amoris sui flammam amatæ sponsæ adaperiat? Emblemata aliqua effingere solet, quibus certis figuris, & signis desiderium suum, & amorem immensum erga ipsam manife-

*Amans sponsæ suæ emblemata mittere solet.*

manifestet. At Deus noster ut amorem immensum, quo animam nostram prosequitur explicare posset, & illam secum in venerabili Sacramento unire: à mundi principio usque modò mille emblematibus, & figuris hunc sanctissimum cibum expressit. Fructus paradisi terrestris quid aliud præfigurabat? Manna illud omnem saporem suavitatis continens in deserto, quid aliud exhibebat? panis & vinum Eliæ ab Angelo allatum in cujus fortitudine ambulavit? panes propositionis ante faciem Domini? Arca veteris testamenti, & alia infinita, quid aliud prænotabant, quàm hoc sanctissimum Sacramentum? Quinimo hoc divinissimum Sacramentum maximam habet cum emblematibus conformitatem; etenim si hæc habent duas partes, figuram, quæ est quid reale, & verba; in Sacramento duæ etiam sunt partes, res, quæ est materia, & verba quæ sunt forma; unde dicit S. August. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Si ista ordinariè sunt signa amoris, hæc etiam Dei erga nos testantur amorem. Advertendum quoque est, antiquitus emblemata fieri solita per figuras solùm absque verbis additis, modò verò perfectius cum verbis sensum exprimentibus componuntur. In antiqua lege Sacramenta solum in rebus, aut actione consistebant, non erat necesse verba proferre; in nova verò lege, rebus, & verbis perfectiùs constant. O admirabiles inventiones Domini! O immensa amoris indicia! *Notas facite in populis adinventiones eius, memento te quoniam excelsum est nomen eius.*

*Plurima Christi de hoc Sacramento emblemata.*

*Conformitas hujus Sacramenti cum emblemate.*

Isaiæ ubi suprà.

24. Amatores mundi non possunt emblemata sua fingere, nisi in loco aliquo terreno, & humili, in pictura, in charta, in pariete, aut simili loco; sed numquam in cælo, eò usque enim illorum non se extendit potentia. Christus verò ubi sua posuit emblemata, & figuras? ultrà plures jam enumeratas, aliam in cælo ipso posuit stellis ornatam. Quænam autem est hæc figura? Virgo spicam frumenti manu gestans: interrogate siquidem Astrologos, & asserent, ex duodecim zodiaci signis unum vocari virginem. Quænam autem in constellatione illa, stella magis clara & major est? quæ ab Astrologis vocata spica virginis, & in sinistra parte est. Sed quare in manu virginis spica est? si flos ei præberetur, pulchritudinem eius & puritatem significaret, si gemma, eius meritum indicaret: meliùs ei herba ex terra inculta nata videretur congruere. Si spica in manu mulieris fœcundæ collocata esset, optimè proposito nostro inserviret, sed spica frumenti quæ ex terra culta virtute seminis nascitur, quid in manu virginis efficit? Mirabilis est connexio materialiter considerata, sed proposito nostro multùm inserviens: Quod enim

*Amatores emblemata sua hic in terris fingunt.*

*Christus in cælo.*

*Astrum virginis emblema SS. Sacramenti.*

*Cur spica in manu virginis?*

enim symbolum, quod hieroglyphicum, quod emblema aptius, & evidentius de sanctissimo Altaris Sacraméto reperiri poterat? Christus siquidem ait: *Ego sum panis vivus*; Quid aliud est spica frumenti, nisi materia panis? adjungit Christus *panis vivus*, non dicit panis mortuus, sed vivus, spica plantata habet vitam vegetativam: ideo non panis, sed spica est in manu virginis, ut demonstret vitam. Quid ultra? *qui de cælo descendit*, litteraliter intelligitur panis cælestis de cælo missus; mysticè verò natus de virgine quæ uti cælum purissima, & spica ista in cælis est in manu virginis. Quis effectus hujus Sacramenti? ut conservet vitam hominis: *Qui manducat me, vivet propter me*: spica hæc quomodo Chaldæis vocata. *Asimon, Alacel, Asimech*, quod propriè significat, *signum cibi sustentantis*. Quid amplius dici poterat? tantum est, dicere *signum cibi sustentantis*, ac si diceretur, est symbolum, figura, & emblema istius mirabilis cibi qui sustentat hominem, vires reficit, & vitam conservat.

*Ioan. 6. 41.*

*Spica virginis SS Sacramentum designat.*

*Ioan. 6. 58.*

25. Vt autem clariùs demonstrem non fortuitò hoc signum in cælo positum fuisse: Consideremus cælum & stellas eò tempore, quò Christus in mundo natus fuit. Licet enim ego cum multis Astrologis sentiam, cursum humanæ vitæ, non dependere, aut cognosci ab astris, nimis enim vanum, ac temerarium foret id affirmare: non tamen absque speciali Dei providentiâ credendum est accidisse eo momento quo Salvator nasci dignatus est, signa cælorum optimè disposita fuisse, ad altissima significanda mysteria. Sicut enim ipse non sine mysterio locum elegit nativitatis suę, & domum panis illum vocari voluit, ut esset hujus sanctissimi Sacramenti figura, ceteræ quoque circumstantiæ nativitatis plenæ fuerunt mysteriis ut SS. Patres testantur: sic credi potest, quod nasci elegerit non minus mysteriosè, & cum providentia divina quoad signa, & astra cælorum: quæ tam sanctissimum Altaris Sacramentum præfigurarent in cælis, quàm alia signa in terris. Quomodo ergo in cælo apparebant signa stellarum, & astra in puncto nativitatis Christi? Attendite, & percipite, res enim est non minus curiosa quàm admirabilis, & utilis.

*Non casu hoc signum in cælis positum*

*Christus sic mysteriosè disposuit.*

26. In primis sol erat sub terra totaliter absconditus, nascebatur siquidem Christus noctis medio; quid per hoc significare volebat, nisi verum solem justitiæ Christum maximè humiliatum, & absconditum? In quo signo erat sol? In Capricorno; Capricornus quid significat? Est compositum duorum animalium, capri velocis montes ascendentis, & piscis tardi sub aquis natantis. Quomodo meliùs exprimi poterat unio humanæ, & divinæ naturæ in una perso-

*Qualiter signa cæli in Christi nativitate disposita?*

persona? Quod si insuper consideremus caprum in lege veteri figuram gessisse peccatoris, quis non videat hoc proposito nostro congruere, cùm Deus seipsum in forma exhibuerit peccatoris; ut inquit Apostolus; *in similitudinem carnis peccati.* Vel etiam consideremus hoc signum Astrologicè, prout significat honores, & dignitates, ideo Augustus qui illud ascendens habuit, totius mundi monarcha factus est; Christus autem cùm vellet significare contemptum omnium dignitatum, & honorum, Isaia dicente: *despectus, & novissimus virorum.* Illud signum sub terra absconditum habuit. Erat præterea sol in opposito Auge, quod est dicere solem tunc terræ quidem viciniorem, sed cùm directè eam radiis suis attingere nequeat illa tenebrosa, & frigida remanet. Quàm clarè hoc proposito nostro inservit? Quòd illo nimirum tempore natus Christus, cùm sol verus justitiæ longissimè à terra aberat, & in opposito, propter infinita enormia peccata, in quibus tunc mundus delitescebat. Proximus quoque terræ erat, quia jam in mundo sol natus erat. In Capricorno erat, vicinus polo antartico, juxtà quem (ut notant qui in novo mundo navigant) crux est stellarum; Incarnatum siquidem verbum, & divinus sol Christus veniebat ut se conjungeret cruci quæ maximè erat exaltanda. E contra autem longissimè sol aberat à polo artico ubi reperiuntur ursi, & serpentes, figuræ peccatorum, & satanæ à quibus Christus multum aberat. O alta & stupenda mysteria!

Rom. 8. 3.

*Sol sub terra erat, quia sol justitia sub carne velatus.*

Isaiæ 53. 3.

*Cur sol tunc vicinus polo antartico?*

27. Nondum finem pertigimus: quale putas fuisse astrum ascendens in Christi nativitate? mirabile profectò, & mysteriosum; quis crederet Deum hoc ita disposuisse ut tunc rectè virgo ascenderet. Quis enim nescit nascente Christo, ascendisse virginem ad tam sublimem honoris gradum, ut altiùs creatura nulla attolli nequiverit? Quis ignorat si Incarnatum Verbum aliquam habuerit dependentiam, aut superioritatem agnoverit in aliqua creatura; hanc fuisse in beatissima eius matre? Quis nescit ipsam virginitatem, (quæ usque ad illud tempus quasi sub horizonte posuerat abscondita) nascente Christo magnifieri cœpisse; optimè ergo in Christi nativitate ascendens fuit virgo, quod olim à Sybillis prædictum fuerat, unde Poëta Latinus, prædicens de Christi nativitate quod ignorabat, ait: *Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna*: alludens ad signum virginis quod illo instanti ascendebat; simul etiam ad stellam Saturni, quæ ut princeps, & dux stellarum in suprema erat cæli regione. Silentio prætereundum non est, quosdam auctores modernos exponere, hanc virginem vocari græcè *Erigonem*, id est, Matrem

*Cur astrum virginis tunc ascendit?*

*Hoc prædictum à Sybillis & Poëtis.*

Virgil. Ec. 1.

m at utini

matutini temporis; quis enim non videat hanc eandem vocari matrem, & virginem, & filium eius tempus matutinum, ipse enim principium omnis gratiæ, & lucis huic mundo illuxit. Quam stellam putatis rectè in nativitatis puncto accendisse. Illam, quæ ab Astrologis vocatur *spica virginis*, quam ante monstravimus pulcherrimam esse figuram sanctissimi Altaris Sacramenti. Quis ergo dubitare poterit, hoc non casu sed magno potiùs mysterio accidisse, ut tunc illa stella in cælo rectè ascenderet supra horizontem ubi Christus nascebatur? Quis negare audebit, Deum in cælis posuisse clarissimum emblema hujus divini cibi. Nimis ingeniosæ, nimis admirabiles, nimis amorosæ sunt cogitationes Dei. *Notas facite in populis adinventiones eius, mementote quoniam excelsum est nomen eius.*

*Rectè spica virginis in nativitate ascendit.*

Isaiæ 12. 4. *Christus zelotypus amans.*

28. His modò omnibus consideratis, nondum amorem dilectissimi nostri sponsi perfectè cognovimus, solùm quippe conditiones simplicis amantis exposuimus; quid autem fiet, si igni amoris adjungamus stimulum zelotypiæ? Quis explicare poterit inventiones, & stratagemata amantis zelosi, & zelotypi, ut probet, & conservet sponsæ amorem? Licet enim innumerabiles sint eius artes, in nullo tamen cum inventionibus Dei æquari potuerunt. Quid ergo efficit zelosus amans? Aliquando retrò parietem, aut portam se collocat, ut videre possit, vel audire, quid sponsa agat, aut loquatur, nec ab ea videatur, vel audiatur. Aliquando se fingit in longinquas abire regiones, & subitò mutatis vestibus in civitatem redit, aut in domo ad tempus se abscondit; vel in signum amoris res difficiles, & molestas exigit: ac mille aliis inventionibus sponsę fidem, & amorem tentat. De Deo quid dicemus? *Notas facite in populis adinvētiones eius.* Zelosus est, magnus, & fervens amor; nunquam fuit sine zelotypia; quomodo ergo non erit zelosus Deus noster, qui adeò ferventer, omnes diligit? *Ego Deus zelotes*, dicit ipse, sicut enim amore omnes excedit, sic in ferventissimo zelo neminem habet æqualem; mirabiles zelotypiæ effectus in hoc SS. Sacramento demonstravit. Quid enim zelotypus amans umquam excogitare potuit, quod non etiam Deus noster effecit? retrò album parietem panis cælestis se abscondit, ut videat, & observet opera nostra: ut testatur sponsa in Canticis: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens, per fenestras. prospiciens per cancellos.* Quando credimus Deum longissimè nobis abesse, tunc nobis maximè adest, sic enim inquit Apostolus; *Non longè abest ab unoquoque nostrûm, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus;* intra nos seipsum abscondit, mutatis vestibus per modum cibi, & potus

*Quanta zelotypia amantis.*

*Christus zelosissimus amans.*

Cantic. 2. 9 *Zelosè perscrutatur homines.*

Actuum Apost. 17. 28.

potus interiora nostra penetrat. Res difficiles, & molestas exigit, ut probet fidem nostram,& amorem; vult enim ut contra omnes philosophos, & rationes naturales credamus ipsum esse in brevissimo spatio hostiæ consecratæ, & accidentia ibi sine substantia existere; perfectum hominem sub minima hostiæ particula integrum manere vult; unum corpus esse idem in multis locis; vult pauca verba vim habere mutandi panem in corpus, & carnem Christi. O admirabilia, & difficilia intellectui humano! vult verba sua majorem vim habere, quàm rationibus, sensibus, auctoritatibus, & sapientiâ omnium doctissimorum philosophorum totius mundi cognoscere possis, aut probare.

*Fidem nostram mirabiliter tentat.*

29. Quid ampliùs zelotypus amans excogitare potest? Nunquam à sponsâ sua dilecta discedere vult, semper ipsi adest, semper ipsam observat, & si aliquando ob urgentissima negotia discedere cogitur, videtur ipsi animus deficere, & maximum sentit dolorem absque illa manere; quinimo una hora videntur ipse mille anni. *Notas facite in populis adinventiones eius, sed mementote quoniam excelsum est nomen eius*; longè has excedit inventiones Deus noster; nunquam sponsus invenire potuit modum, quo sponsæ suæ adesset, & abesset simul. Attamen potuit Deus hoc ipsum, summo ardens amore, præstare. Sicut enim nos unum solum modum præsentiæ naturalis, & divisibilis habemus, ipse ultrà naturalem præsentiam, aliam non minùs realem, quàm supernaturalem, & indivisibilem in hoc sanctissimo Sacramento habet, simul existens in cælis, & in terris, simul abesse, & adesse, discedere, & manere cum sua sponsa potest. Hujus amoris vis maximè enituit, cùm eodem tempore binas pati debebat amarissimas separationes, unam à suis discipulis, alteram corporis, ab anima, & cum hæc ultima esset durissima; *omnium enim terribilium, terribilissimum est mors*. Quam tamen putatis illum ampliùs sensisse? Credo primam ipsi multò fuisse duriorem secundâ, multò siquidem majorem adhibuit diligentiam, ut illam à se arceret; pro morte quidem corporali evitanda memoriale obtulit Deo patri, *Pater si fieri potest transfer calicem istum à me*, sed quasi hoc parum curaret, statim subjecit, *fiat voluntas tua*. Vt tamen præcaveret separationem à dilecta sponsa, quid non excogitavit? quid non effecit? omnem virtutem suam in eo posuit, *sciens quia dedit ei omnia pater in manus*: noluit tandem ab ipsa discedere, sed permanere in æternum, non præsentiâ corporali, sed Sacramentali: propterea dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. O admirabiles, & non minus amorosæ

*Zelotypus semper amata adesse cupit.*

*Duplicem adinvenit præsentiam, realem, & Sacramentalem.*

Lucæ 22. 42.

Ioan. 13. 3

*Modum invenit manendi cum discipulis.*

Matt. 28. 20.

amorosæ inventiones Salvatoris nostri!

30. Quid amplius zelotypus amans excogitare potest? In supremo gradu zelotypia istius esset, qui ne quidem à servis, & ancillis sponsam suam attrectari; aut ei ministrari vellet, sed ipsemet omne servitium eam vestiendo, cibando, potumque porrigendo exhibere cuperet: ad quem terminum amoris Deus devenit? nimio amoris zelo succensus, ne alios extra illum diligeres, tibi omnia suis manibus exhibere voluit. In mundi creatione dum arbores & herbas producere vellet, terram permisit exercere munus suum; *producat terra herbam virentem &c.* In productione piscium, & avium, commisit aquis & mari curam producendi: *producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram*; sed dum de creatione hominis agit, vult ipsemet manum apponere, & non dedignatur propriis manibus lutosam formare figuram, ipsique vitam addere; *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ &c.* Vt nullam habeat occasionem alios amandi extra se voluit ipsemet ei continuò inservire, per omnes difficultates, & pericula liberum ducendo, dando legem, ordinando medicos, & remedia, liberando illum de manu inimicorum, ipsumque propria morte redimendo. Denique zelotypia ipsius, & ferventissimus eò devenit, ut videretur invidere pani quem manducabat & vino quod bibebat; voluit seipsum in cibum, & potum præbere, & propriâ substantiâ cibare, ut nihil præter eum appetere posset; ita ut meritò cum matre Tobiæ junioris dicere possemus, *In te uno omnia habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* Ecce quàm amans, & zelotypus est Deus noster.

*Christus maximè zelosus.*

Gen. 1. 11.

Ibid. 20.

*Ideo solus hominem creare voluit:*

Gen. 2. 7.

*Se in cibum, & potum dat.*

Tobiæ 10. 5.

31. Fortè tibi difficile videbitur, quod sub paucis accidentibus panis tot bona, & mirabilia monstremus? *Sed mementote quoniam excelsum est nomen eius,* recordare eum potentiam habere infinitam, nec quidquam ipsi impossibile. Heliogabalus Romanorum Imperator prodigus magis quàm liberalis, convivium instituit ex cerebris avicularum, adeò sumptuosum, ut nihil in eo desideraretur. Sed Deus suo pretioso corpore, & sanguine non potuisset solemnius exhibere convivium, quod omnem satiaret appetitum; *Mementote quoniam excelsum est nomen eius.* Nec credatis uno solo cibo Christum suos refecisse in illo convivio quod exhibuit, de quo dicitur, *Homo quidam fecit cænam magnam.* Si enim humana industria adinvenit modum multas herbas simul educendi, & ex illis optimam eliciendi substantiam & varia condimenta præparandi; non poterit Deus ex omnibus creaturis suis optima colligere bona, ex illisque quasi omnem haurire medullam,

*In parva hostia tam admiranda contenta.*

*Heliogabali convivium.*

Lucæ 14. 16.

*Ex omnibus mirabilibus suis collegit hoc.*

lam ut singulare aliquod convivium in hoc sanctissimo Sacramento exhiberet? *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominum, escam dedit timentibus se*, ex omnibus miraculis, & mirabilibus factis compendium aliquod sumpsit, & medullam expressit illudque nobis exhibuit, inquit Regius Propheta David. Vnde meritò exclamat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quàm abscondisti timentibus te!* Sed notandum hîc mihi videtur, juxta regulas grammaticas, non rectè loqui Davidem, dum dicit: *dulcedinis* in singulari, sed debuisse dicere *dulcedinum* in plurali, quasi plures sunt, ergo non est una, si una est, ergo malè dicit, multas esse, quomodo ergo intelligi potest *multitudo dulcedinis*? Ignoravitne David constructioné grammaticæ? Aut spiritus Sanctus hoc ipsi malè dictavit? Minimè: sed mysterium non errorem hîc latere video; consideravit enim hoc Sacramentum in seipso formaliter esse unam dulcedinem solam, & unum cibum, vidit tamen in isto cibo esse simul virtualiter, & eminenter omnes sapores, & dulcedines aliorum ciborum. Quid ergo dicemus, unam esse dulcedinem aut plures? dicamus unam esse, & plures, quia in una multæ comprehenduntur. Dicamus ergo quàm *magna multitudo*, propter dulcedines eminenter cõtentas, & subjũgamus tũc *dulcedinis* in singulari, quia formaliter tantũ una est.

Psal. 110. 4.

Psal. 30. 20.

*Cur dicatur multitudo dulcedinis?*

32. Quid denique Christiane in hoc Sacramento desideras? Sapientiam? Hic est liber ille Ezechielis qui ediscitur comedendo, & doctissimum efficit in eo studentem. Fortitudinem desideras? Hic est ille panis Gedeonis sub cineribus coctus, quem vidit destruere totum exercitum Madianitarum. An castitatem expetis? Hic est illud vinum de quo Propheta Zacharias dicebat; *vinum germinans virgines.* Fortè perseverantiam cupis in bona? Hic est ille panis Eliæ Prophetæ, qui manducatus sine lassitudine, aut molestia pergere facit manducanté usq; ad monté Dei Horeb. fortè victoriam expostulas inimicorum? Hic est mel illud Ionathæ quod si comedisset omnis populus; *persecutus fuisset inimicos suos usque ad vesperam.* Fortè lumen requiris fidei? Hic est ille panis qui in duas divisus partes, oculos aperuit discipulorum in Emaus euntium. Particularem fortè gratiam tui domini expetis! Hic est illud convivium Assueri Regis, Esther Reginę factum, in quo promittitur totum quod petere audebis. An facilitatem in bonis desideras operibus? Hic est illud frumentum, & hoc vinum, quod comedentes florere faciet ut lilium, & fructificare ut Olivam. O admirabilis excellentia divinissimi cibi: *Notas ergo facite in populis adinventiones eius; & mementote simul quoniam excelsum est nomen eius.*

*Omnes virtutes in hoc Sacramento continentur.*

Ezechiel 3. 1.

Iudic. 7. 13.

Zachariæ 9. 17.

3. Reg. 19. 8.

1. Reg. 14. 27.

Lucæ 24. 30.

Esther 5. 4.

*Christus in hoc Sacramento tribuit omnia.*

Oseæ 14. 6. &c.

Isaiæ 12. 4.

IN

# IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ
## DISCVRSVS DECIMVSQVINTVS.

*De mirabili abstinentia & vitæ austeritate ejusdem.*

### Avis paradisi

*Non manducans, neque bibens,*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*AVem paradisi ejusque describit proprietates.*

*Tribus primis numeris S. Ioannem avem fuisse paradisi cælestis, & alterum Eliam demonstrat, num.* 4. 5. 6. 7. 8.

*Abstinentiam eius exhibet, num.* 9. 10. 11. 12.

*Eximiam ipsius declarat sanctitatem num.* 13. 14. 15. 16. 17.

*S. Ioannem in deserto mansisse ut speculum se praberet pœnitentiæ ostendit à num.* 18. *ad finem usque.*

1. N vasto maris Oceano, sub linea æquinoctiali, inter medias quasi orientales, & occidētales Indias insulæ quædam Molucchæ dictæ reperiuntur. Parvæ quidem, & paucæ numero, longitudo siquidem, & latitudo earum, ad sex vel septem non protenditur milliaria: sed tantò sunt abundantiores, quantò naturæ donis supra modum ditatæ. Lignum enim pretiosum & odoriferum Caryophillon dictum, solæ producunt, quod alio transplantatum, nullum fructum affert: cujus figura lauro similis. In hac eadem insula avis quædam reperitur admirabilis, & prodigiosa; volat enim sine alis, progreditur absque pedibus, carnem quasi nullam habens, longis, & versicoloribus mirabiliter tegitur plumis: de terra sicut cætera formatur animalia, sed quasi indignans, recognoscere matrem, nunquam in ea aut moratur aut hæret. Nullus umquam dicere potuit, se illam recenter natam, aut vivam reperisse, mortua sæpè invenitur. Maximè tamen admirandum est, quod

*Insulæ Molucchæ non magnæ sed fertiles.*

*Ibi reperitur avis paradisi.*

quod licet hæc avis vivat, crescat, & generet, numquam bibere aut manducare dicitur. Quod inde colligi videtur, quia nunquam ad terram descendere cernitur, ut cibum procuret, sicut cæteræ aves: tantaque prædita levitate, ut in sublimiori semper aëris regione, ubi nec muscæ, aut similes bestiolæ generantur, elevata permaneat. Adjungit Scaliger, eam linguam instrumentum gustus, non habere: ergo nec manducare potest; nisi dicere velimus, eam ex suavi odoris fragrantia, quæ ex aromatibus istius insulæ virtute solis in altum elevatur, nutriri posse. In ventre eius, nulla excrementa, nec signum cibi, aut potus unquam fuit repertum.

*Nunquam comedore dicitur.*

2. Sed quia impossibile videtur, animal vivens nullo uti cibo, dicunt aliqui ipsa ex aëre nutrimentum sumere, ut de Camaleonte, & aliquibus refertur animalibus. Hoc tamen aliis nullo modo placet, arbitrantibus, purũ elemẽtum nõ esse nutritioni aptũ. Quid ergo dicemus ad hæc? ipsam non manducare, & tamen vivere? Hoc ego non crediderim, nec enim sic crescere, nec diu vivere, nec plumis vestiri posset. Quis ergo ipsius cibus? Aliquot animalcula ex vaporibus nata, ad mediam regionem aëris elevata? Non est credibile (dicunt aliqui, ob nimium frigus) aliqua ibi generari animalia. Rore forsitan dicet alter nutritur; hoc quidem (si de rore loquatur denso, & spisso, unde manna generatur) non videtur improbabile, arbitror tamen ipsã nutriri muscis sive culicibus, per aërem volantibus, sive formicis seu vermibus in arboribus reptantibus. Sed nullam habet linguam inquit Scaliger: acutè respondet Licetus parum hoc verisimile videri, cum enim lingua reperta fuerit in avibus Moluccharum, etiam reperietur in avibus Brasiliæ, de quibus loquitur Scaliger: fortè tamen adeò parva erit, & abscondita, ut vix inveniri queat; cum Aristoteles dicat, nullum animal sine lingua reperiri. Licet etiam lingua careret, non tamen sequeretur, absque gustu, aut cibo vivere, cum animalia imperfecta nullam habeant linguam, & cibum sumant. Improbabiliter quoque dicitur ibi nulla nasci animalcula, cum ipsa ibi nascatur, & vivat, quæ est animal perfectum. Quod autem in ventre ipsius nullum signum cibi, aut excrementi reperiatur, non miror, cùm rarissimè hæc avis reperiatur, & vix umquam ullus hoc sit expertus. Cùm insuper cibus ipsius sit tenuissimus, & solùm inveniatur mortua, potuit fame, aut præinfirmitate mori; quid mirum, si nullum cibi vestigium reperiatur.

*Quomodo possit vivere sine cibo?*

*Quis videatur ipsius cibus?*

Scaliger exercit. 182. 10. & 228. 229.

Fort. licet lib. 1. cap. 20. de vivere sine alimento.

*Cur nullum in ea reperiatur excrementum?*

3. Vana ergo fuit præsumptio Mahometistarum, qui idcirco se dicebant habere paradisum, quia hanc avem in terra sua possidebant, dicebant enim habitatores terræ

*Vana opinio Mahometistarum de paradiso.*

terræ istius, ecce quàm pulchra & versicolor est avis hæc, nunquam invenitur viva in terra, ergo ex paradiso advenire debet, ubi cuncta sunt decora. Sibi tamen contradicebant, paradisum quippe in eo ponebant loco, ubi mundanæ abundabant deliciæ bibendo, comedendo &c. quomodo ergo hanc avem ibi collocabant, quæ nec comedebat, nec bibebat? Si etiam in illo paradiso aliqui moriuntur, quò vadunt animæ eorum post mortem? revertuntúrne ad mundum? cur ergo nihil de iis percipimus? Ad aliúmne vadunt paradisum? nunquam hoc somniavit Mahometes. Si autem ibi nullus intereat, quomodo hæc avis mortua reperitur in terra vestra, aut unde decidit? Nec minor est stultitia Regum istius patriæ, qui dum ad bella procedunt, hanc avem capiti imponere solent, credentes se ita invincibiles reddi, ut refert Maximilianus Transilvanus: magna certè stultitia, cùm illa se contra mortem protegere non potuerit. Si illa non videt, nec sentit, nec audit, quomodo poterit vos defendere à telis inimicorum? Et si seipsam non potuerit vivam conservare in paradiso; quomodo vos hîc liberos reddet à morte?

Maximil. Transil. in descript. itineris sui

4. Multò ergo meliùs Præcursori Christi attribui potest hoc nomen avis paradisi, vitam siquidem avium imitabatur: si enim de istis Salvator dixerit, *non serunt, neque nent*, nullam gerunt curam cibi, aut vestium. Sanctus Ioannes nec cibum, nec potum, nec vestem curabat; imò nihil manducabat ortum ex semine; cujus cibus erant locustæ, animalia in terra illa nascentia, & mel silvestre. Vestimentum autem eius non fuit ex lana, aut lino contextum, sed ex pilis Camelorum, aspero videlicet cilicio: (ut exponunt sancti Patres, & vitæ ipsius exigebat decursus) circa lumbos autem cinctus erat pelle animalis. Vnde meritò avis paradisi vocari potest, si enim Angeli sunt cælestis paradisi aves, S. Ioannes Angelus vocatus est: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam tuam ante te*: solitudo ipsi paradisus fuit; ut dicebat S. Hieron. *mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus.*

*Cur S. Ioanni hanc avem tribuimus?*

Matt. 6. 26.

*S. Ioannes avis cælestis paradisi.*

Marci 1. 2.

Hieron. epistol. ad Nepot.

5. Dici etiam potest S. Ioannem multas habuisse contemplationis plumas, quibus semper in altum fuit elevatus; sed parum carnis, ita ut vix homo appareret. Idcirco interrogant Pharisæi *tu quis es*, quasi dicerent, non videris homo mortalis, ut reliqui, ideo indica nobis quis sis: hoc enim de ipso refert auctor operis imperfecti in Matthæum: *Ioannes specie homo, gratiâ Angelus, quia nihil carnis erat in eo, nisi sola visio.*

Ioan. 1. 2.

Auctor operis imperfecti, in Matth. hom. 27.

6. Elias fuit homo zelosus, & amans honoris Dei, austerus in vitâ, prodigiosus in miraculis; plurima tamen signa dedit, se compositum esse ex carne, & ossibus.

*Elias homo fuit zelosus & fervens.*

Dum enim fames terram premeret, aliam petebat civitatem, ut sibi de victu provideret; dum à Iesabele persequeretur, fugit in desertum. Ioannes habuisse videtur spiritum Eliæ, non autem carnem, habuit zelum, fortitudinem, & austeritatem vitæ; sed non habuit timorem, non fugit famem, nec persecutionem Herodiadis, & Herodis, qui non multò meliores erant Iesabele, & Achab; sed ingressus civitatem, incolas acriter reprehendit; nullum quærens qui cibum ipsi provideret, sed contentus illo, quem desertum ipsi ministrabat: ideo de ipso meritò dicitur, quod venerit, *in spiritu, & virtute Eliæ*, quasi diceretur, fuit Elias in spiritu, & perfectione vitæ, non autem in carne; habuit totum quod fuit in Elia bonum, nullas autem eius imperfectiones habuit; ideo non minus dici potest avis paradisi, quàm Elias qui ad paradisum raptus fuit.

*S. Ioannes spiritum Eliæ habuit non carnem.*

Lucæ 1.17.

7. Dicet fortè quispiam, quomodo spiritum Eliæ habuit Ioannes, si iste fuerit vindicativus, & terribilis: Ioannes autem spiritu placabilis, & delectabilis? Elias multos occidit, nunc gladio, nunc igne; Ioannes nemini vitam abstulit, sed ipsemet vitâ privatus est? Elias cælum clausit tribus annis; Ioannes cæli apertionem per pœnitentiam prædicavit tribus annis: dicebat enim: *pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum cælorum.* Elias futurus est præcursor secundi adventus Salvatoris, qui terribilis erit, cùm veniet judicare mundum universum, idcirco constituitur præcursor terribilis: sed in primo adventu, dum Christus se omnibus amabilem & placabilem exhibuit, Ioannẽ habuit præcursorem humilem & mansuetum: non videntur ergo bene convenire S. Ioannes, & Elias. Quando filii Zebedæi cupiebant ignem de cælo descendere supra Samaritanos, sicut Elias fecerat; prohibuit illos Christus dicens: *nescitis cujus spiritus estis:* quasi diceret: spiritus Eliæ non erat spiritus Evangelicus, sed legis antiquæ, idcirco vobis iste non convenit. Ioannes ergo habuit spiritum Evangelicũ non spiritum Eliæ, quomodo hoc intelligendum? Respondeo: hinc admirabilem colligi excellentiam S. Ioannis, licet enim spiritum haberet Eliæ, illum tamen ita noverat regere, ut nullos effectus iracundos, aut terribiles emitteret. Sicut enim aqua maris dum per canales in terram deducitur relinquit amaritudinem, humiditatem, & frigus retinens; sic spiritus Eliæ residens in S. Ioanne deseruit suam austeritatem, retinendo zelum honoris Dei, & charitatem Eliæ.

*Spiritus Eliæ contrarius videtur S. Ioanni.*

Matt. 3. 2.

*Eliæ spiritus terribilis, S. Ioannis amabilis.*

Lucę 9. 55.

*Spiritus Eliæ in S. Ioanne mutatus fuit*

8. Ignoratur locus in quo avis nascitur, aut undè veniat, idcirco dicitur è paradiso venire. S. Ioannes in deserto enutritus, quasi homo novus paradisi, mundo apparuit.

*S. Ioannes quasi ex paradiso missus.*

ruit. qui verè fuit avis à Rege paradisi huc missa, etenim *fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes*; non dicitur, nec scitur unde venerit. Nidum non habet avis paradisea, nec locum ubi quiescit, nec cibum colligit aut præparat; de S. Ioanne dicit Chrysosto. *Nec tecto, nec lecto indiguit, non mensam vel aliquod huiusmodi quæsivit, sed angelicâ quâdam vitâ, in carne mortali resplenduit.* In sublimi aëris regione semper commoratur illa avis, nec unquam in terram descendit, S. Ioannes ab omnibus terrenarum rerum sordibus semper alienus vixit, ut nomen quod sibi dedit indicat: *Ego vox clamantis in deserto*: Quis enim nescit vocem in aëre formari ibique hærere, nec unquam in terra figere sedem. Talis fuit S. Ioannes, qui quasi cum terra inimicitias gereret, nullis illius rebus uti voluit; ideo nullos illius comedit fructus, aut herbas; sed mel silvestre, quod Apes ex floribus formant; & locustas in aëre volantes, ita ut nullam habuerit occasionem, manus in terram extendendi, ut cibũ acciperet, nec ulla re uteretur, quæ succum è terra hauriret, ne aliquod cum terra videretur habere consortium. Idem in vestitu observandum duxit, non enim arborum vestitus est corticibus ut aliqui Eremitæ, nec lineis, aut ex canape confectis vestibus est usus; sed ex pilis Camelorum, ut nihil terræ deberet, ne odorem terrenum sibi aliquatenus ascisceret, cùm homo esset planè cælestis, non terrenus.

Ioan. 1. 6.

Chrysost. homil. 10. in Matt.

*S. Ioannes in cælestibus semper elevatus.*

Ioan. 1. 23.

*Cum terrenis nullum illi comercium.*

9. Si denique de ave paradisi dicitur, quòd nec comedat, nec bibat, vel quia ab omni cibo terreno abstinet, vel quia adeò parum sumit, ut non videatur bibere, vel comedere. Et de S. Ioanne magister veritatis dixit; *venit Ioannes non manducans, neque bibens*, non quia nihil biberet, aut comederet; sed quia adeò paucis iisque vilibus erat contentus cibis, ut dici posset nihil sumere, cujus rationem reddit S. Bernardus, dicens: *venit Ioannes non manducans, neque bibens ait Dominus; planè neq; vestiens sicut enim non est locusta cibus, nisi forte aliquorũ irrationabilium animalium, sic nec pilus Cameli humanum est indumentum.* Nec solùm dici potest, respectu aliorum hominum Ioannem nec comedere, nec bibere; sed etiam respectu Christi, qui temperantissimus, & abstinentissimus fuit in cibo, & potu; idcirco postquam dixerat, *venit Ioannes non manducans neque bibens*, subjungit: *venit filius hominis manducans, & bibens*: in comparatione S. Ioannis Salvator vocatur manducans, & bibens; non quòd perfectioris fuerit vitæ, quàm Christus, sed quia sic conveniebat Salvatorem nostrum vitam communem agere, quæ in externa apparentia non multùm esset diversa à vita aliorum hominum, ut peccatores omnes ad se alliceret, licet illius vita maximè esset perfecta.

*Cur S. Ioannes dicatur non comedere nec bibere.*

Matt. 11. 18.

Bernard. sermon. de S. Ioanne Baptist.

*S. Ioannes in abstinentia Christum quasi superabat.*

Matt. 11. 18.

*Victus eius continuum jejunium.*

10. Victus ergo S. Ioannis cum victu non solùm gulosorum; verùm etiam virtuosorum, & abstinentium comparatus, vocari potest perfectissimum jejunium, & quasi non manducatio. Vnde nec ipsi Pharisæi omnium calumniatores, aliquid invenerunt quod S. Ioanni exprobrarent, sed confitebantur illum humanam virtutem transcendere; quare ne hoc attribuerent virtuti divinæ, dicebant: *Dæmonium habet.* Pejus tamen hæretici nostri faciunt; qui (referente Barradio) dicunt S. Ioannem lautioribus piscibus usum fuisse locustis nomine, quos à piscatoribus (quia à lege prohibiti essent ne venderentur) in littore relictos S. Ioannes accipiebat. Sed facescat illorum fabella, cùm S. Ioannes nec propè mare fuerit, nec ita delicatus, ut patet ex vestitu ejus & testimonio Christi affirmantis illum non manducasse, nec bibisse.

Matt. 11. 18.

*Hæreticorum opinio de S. Ioanne.*

Barradius in illum locum Evangelii.

*Vilioribus cibis usus.*

11. Non ergo ex lautioribus illis cibis, sed ex parvis, & vilibus animalibus S. Ioannes victum sumpsit. Cui proposito inservire videtur relatio illa Boteri in sua Africæ descriptione, qui dicit, locustas ubique inæstimabile causare damnum. Maximè in Regione Guineæ, qui videtur proprius ipsorũ esse locus. Hæ auté in tanta solent advenire multitudine, ut integros contegant & consumant agros, ac in aëre solem ipsum quasi nube tegant, sicque simul se conglomerantes, ingentem stragem ubique adferunt. Incolæ tamen in maxima quantitate illas occidentes, ac soli siccandas exponentes in cibum sibi præparare solent. Idipsum universaliter Arabes, & Æthiopes efficiunt, quippe qui ex iis comederunt, retulerunt nobis boni illas esse saporis, ac carnem albã habere, ut Cancros. In India tamen ubi in tanta non reperiuntur multitudine, credi potest ejusdem non esse saporis, ut in Africa, cùm non legãtur illis pro cibo uti; nec S. Ioannes tali utebatur diligentiâ in præparatione illarũ sicut Africani solent.

Boterus in descript. Africæ.

*Locustarum Indicarum descriptio.*

12. Sed quid sibi vult quòd tam istis, quàm silvestri melle delectabatur S. Ioannes? Non credo hoc propter saporem delicatum accidisse, sed quia alium spiritualem cibum menti suæ repræsentabat, juxta illud psalmi: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*; & illud sponsæ in Canticis: *mel, & lac sub lingua tua*: Ioannes enim maximè delectabatur prædicatione verbi Dei, idcirco, *factum est verbum Domini super Ioannem in deserto*: & de seipso dicit: *Amicus autem stat, & gaudet propter vocem sponsi.* Locusta habet proprietates S. Ioanni convenientes, primò quòd non incedat per terram, nec volatu delectetur, sed saltando de uno loco ad alium; in quo optimè S. Ioannem repræsentabat, qui non in terra hærere cupiebat, sed paullatim ad mortem properare,

*In cibis illis spiritualem reperiebat gustum.*

Psal. 118. 103.

Cant. 11.

Lucæ 3. 2.

Ioan. 3. 29.

properare, ſeipſum à terrenis ad cæleſtia elevando. Locuſtarum ſaltus illam præfigurabat, quæ ſaltibus ſuis mortem S. Ioanni procuravit.

*Se in omnibus magiſtrum exhibuit pœnitentia.*

Petr. Chryſol. ſerm. 167.

13. Nec ſine myſterio pilis Camelorum veſtitus fuit, nam S. Petrus Chryſologus pœnitentiæ magiſtrum appellat, *Accepit*, inquit, *tortuoſiſsimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris, quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extrema tradidit ſervituti, tali magiſter pœnitentiæ debet indui veſtimento*. Rectè hac ſimilitudine S. Ioannem præfigurans, per camelum ſiquidem tortuoſum nihil gratiæ aut quietis habentem, peccator exprimitur, qui omni ſpoliatus gratiâ, ſub pondere graviſſimorum peccatorum depreſſus laborat, & gemit. Cùm autem ſanctus Ioannes annuntiare venerat pœnitentiam, habitu peccatoris induitur, ut culpas defleat, humilitatem amplectatur, omneſque mundanarum deliciarum fugiat illecebras. Alexander magnus, Perſis devictis illorum habitu indutus eſt, ut animos alliceret; ſic S. Ioannes ut peccatores omnes ad ſe attraheret, illorum habitu indui voluit: ut etiam Hercules devicti Leonis pellem aſſumpſit, ut ſe victorem ejus demonſtraret, ita S. Ioannes, ut ſe victorem oſtenderet peccatorum, habitu Cameli per quem peccator figurabatur, ſe contexit. Hinc quoque aliud ſolvitur dubium, cur S. Ioannes qui lætum Christi prænuntiabat adventum, ex deſerto tam horribili, & formâ planè inuſitatâ prodire voluerit. Cantant Angeli in Chriſti nativitate, & annuntiant gaudium magnum omni populo, ipſe verò veſtitu aſpero, moribus incultis, horridâ pœnitentiâ populum potiùs ab adventu Domini terret, quàm allicit: quia nimirum Angeli ſolummodo adventum Chriſti in mundum, & liberationem totius populi à peccato prænuntiare veniebant, quod erat gaudium maximum; Ioannes verò modum docebat, quo hoc faciendum erat, per pœnitentiam videlicet, & contemptum rerum mundanarum.

*Ioannes in veſte Cameli peccatorem exprimebat.*

*Cur S. Ioannes tali modo prænuntiat Chriſti adventum?*

*Quia pœnitentiam peccatorum prædicabat.*

14. Creſcit inſuper hæc difficultas, auſteritatis vitæ, & jejunii S. Ioannis, quod ipſe *venit non manducans, neque bibens*; & tamen *erat lucerna ardens, & lucens*: quomodo poteſt ardere lucerna, niſi oleum infundatur? Hoc mirabiliter operabatur, ardebat nimirum amore divino incenſus, & prædicationis, ac vitæ exemplo aliis prælucebat. Vnde de illo dixit S. Bernard. *venit Ioannes non manducans neque bibens; incentivum fervoris mihi eſt, & materia humilitatis; quis enim ex nobis eſt, fratres, qui Ioannis pœnitentiam intuens, ſuam non dico magnificare, ſed ne alicujus momenti reputare præſumat?* Vnde juxta S. Baſilii doctrinam, (qui ſeptem voces Prophetæ David, exponit de S. Ioanne) dicere poſſumus, quod fuerit *vox*

*Vita exemplo peccatoribus prælucebat.*

Matt. 11. 18

Ioan. 5. 35.

S. Bernard. ſerm. de S. Ioan. Bapt.

*Magna S. Ioannis ſanctitas.*

Pſal. 28. 8.

*Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades:* Quid significat *Cades* nisi sanctitatem? quam occasionem habet illa se commovendi cōtra S. Ioannem? paveant peccatores, contra quos inclamat, *genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* non immeritò desertum Cades commoveri debet, videndo talem sanctitatis eminentiam in S. Ioanne, quia omnium sanctitas respectu ipsius nulla erat.

Lucæ 3. 7.

*Ingens magnitudo & exquisita curiositas non bene conveniunt.*

15. Admirantur multi humana opera, propter excellentiam, & artificium, sic admirati sunt Pyramides Ægyptias, muros Babylonios, amphitheatra Romana, & his similia propter operis magnitudinem; statuas Phydiæ, picturas Appellis, aliaque plurima propter artificium suspexerunt. Magnitudo tamen molis numquam cum operis curiositate convenire potuit. Vnde in historiis legitur, dum Athenis statua maxima & elegantissima Minervæ, capite orbata esset, duos præcipuos artifices Phidiam, & Alcmenem simul concertasse, quis eorum caput statuæ proportionatum melius conficeret, cumque jam opere finito inter se pro palma reportanda contenderent, & Alcmenes magnitudini operis, pulchritudinem, & curiositatem adjunxisset, Phidias verò magnam molem, sed rudem composuisset; ille ab Atheniensibus laudatus fuit, ut insignis artifex, hic verò ut rudis rejectus. Dum autem caput curiosè laboratum statuæ imponeretur, apparuit quasi lapis rotundus sine forma propter nimiam distantiam, & altitudinem; hoc verò quod rude, & impolitè elaboratū erat, sed loco proportionatum, pulchrum admodū, & perfectum. Vnde cognitum est in rebus magnis attendendam non esse curiositatem; licet enim in picturis parvis subtiles colorum ductus optimè locum habeant, in magnis tamen obsunt potiùs quàm prosunt.

*Probatur exemplo statua Minervæ.*

*Deus conjungere potest magnitudinem & curiositatē.*

16. Hoc ordinariè in operibus humanis contingit; in divinis autem oppositum sæpe accidit; Deus enim magnitudini operis, curiositatem adjungere potest. Optimè hoc Regius testatur Propheta, dicens: *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.* Sunt magnifica opera Christi; non minùs propter excellentiam, quàm magnitudinem, intuentium oculos non minùs sua mole quàm pulchritudine, & curiositate delectant. Talis fuit S. Ioannes maximus sanctitate teste Angelo, dicente: *erit magnus coram Domino.* Sed unde tantam consecutus est magnitudinem, nisi à potenti manu Dei, *Etenim manus Domini erat cum illo,* ideo simul conjuncta est magnitudo & pulchritudo. Magnus fuit propter privilegia ipsi de cælo concessa; pulchritudinem autem, & curiositatem operis habuit, propter exercitium virtutum. Magnus fuit, quia plus quàm Propheta, sed subtiliter,

Psal. 110. 2.

Lucæ 1. 15.

Ibid. 66.

*Magnitudinem & curiositatem in sanctitate conjunxit S. Ioannes.*

subtiliter, & curiosè elaboratus in sanctitate, seipsum quippe intantum humiliavit, ut se nihil præter vocem esse dixerit. Magnus fuit quia Angelus Dei appellatus est, *Ecce ego mitto Angelum meum*: sed exquisitè compositus propter submissionem, cùm dixerit se tantùm in aqua baptizare. Magnus fuit, quia *inter natos mulierum non surrexit major*; sed eminens in sanctitate, omnia namque præcepta ita observavit, præcipuè jejunium, ut non videretur manducare; *venit Ioannes non manducans, neque bibens*. Propter hæc sublimia, & admiranda opera, etiam in deserto solus manens, omnes in admirationem sui rapiebat, ita ut tota patria relictis urbibus ad eum properaret, ut testatur Evangelista Matthæus. *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem*, ipsi quoque Pharisæi ab Ierusalem miserunt nuntios, ut interrogarent eum, *Tu quis es?* imò Herodes ipse propter excellentiam, & magnitudinem illum admirabatur, & metuebat: *Herodes enim metuebat Ioannem*. Nec solùm illis temporibus magnus, & admirabilis apparuit; verùm etiam modò; nobis enim qui tot annis post ipsum venimus, adeò immensus videtur, ut nullus ipsi possit comparari.

Malachiæ 3. 1.

Ioan. 1. 26.

Matt. 11. 11.

Ibid. 18.

Matt. 3. 5.

Ioan. 1. 2.

*Omnes præcessit in sanctitate.*

Marci 6. 20.

*Excellentia & humilitas se mutuò adjuvant.*

17. In divinis operibus ac maximè in viris sanctis hæc duo non solùm sibi non repugnant, magnitudo, & exquisita curiositas; verùm etiam mirabiliter se mutuò adjuvant, ut in sancto Ioanne Baptista apparet, quem magnitudo ad humilitatem invitat, cui humilitas ad sublimitatem, & excellentiam fundamentum præstat. Hinc de Christo loquens ait, *illum oportet crescere, me autem minui*. Sed numquid inde contristaris sancte Ioannes? Numquid invidiæ pungeris stimulo, quòd videris alium te præcellere? Quinimo, inquit, hoc expectabam, nec majus mihi esse potest gaudium, quàm ut videam proximum meum exaltari: *Hoc ergo* (inquit) *gaudium meum impletum est*. Sed seipsum ita humiliando, humilisne, & abjectus permansit? Minimè, sed unde occasionem humilitatis quærebat, inde majorem excellentiam, & gloriam adeptus est: ut S. Augustinus probat: *Illum oportet exaltari, me autem humiliari, illum oportet dare, me autem accipere, illum glorificari, me autem confiteri, crescat ergo in nobis gloria Dei, & minuatur gloria nostra, ut in Deo crescat, & nostra. Minuatur*, inquit, *ut Crescat*. Non secus ac Luna, quæ minuitur ut de novo crescat. Ita S. Ioannes quantò major, tantò erat humilior, & se humiliando major evadebat: atque ita, & magnitudinem molis, & curiositatem operis simul mirabiliter conjunxit.

Ioan. 3. 30.

Ioan. 3. 29.

*S. Ioannis magna submissio.*

August. tom. 14 in Ioannem.

18. Sed si S. Ioannes opus erat adeò admirabile, pictura adeò excellens, statua adeò perfecta, & sublimis; cur permisit Deus ut in deserto

*Cur in deserto absconditus mansit?*

deserto absconditus permaneret, cur non potiùs in publico theatro omnium oculis fuit expositus? Quia fortè pulcherrimus quidem erat, sed non omninò perfectus, ideò in deserto morabatur, ut paulatim perficeretur, propterea dictum est, *Manus Domini erat cum illo*, *erat* in tempore imperfecto, quasi illum perficiens? fortè instar pulcherrimæ picturæ, aut statuæ, quæ tegitur, partim ne vilescat si continuò videatur; partim ne à pulvere, & sordibus conspurcetur? Sic videtur S. Mater Ecclesia intelligere, cùm in ejus officio cantat illum in desertum secessisse. *Ne levi saltem maculare vitam famine posset*. A quo etiam non longè dissentit S. Hieron. dicens illum desertum petiisse, ut castitatem conservaret; *S. Matrem habuit, pontificisq́, filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum, cum periculo viveret castitatis*. Vel in desertum secessit, ut posteri majorem ejus excellentiam cognoscerent, qui non theatro publico indigebat ut videretur; sed desertum ipsi theatrum erat, quod à populo sui causâ frequentabatur.

Lucæ 1.66.

*In desertum secessit, ne se peccatis inficeret.*

S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum Monach.

19 Celeberrimus pictor Zeuxis, fertur adeò perfectè Helenæ depinxisse effigiem, ut ab omnibus videri desideraretur, quod ipse advertens, nemini eam monstrabat, nisi primò mercedem reciperet, unde commune divulgatum est proverbium, Helenam meretricem factam; argutè pictoris carpendo avaritiam quòd pro tali ostensione mercedem exigeret. Sed majorem profectò S. Ioannis aspectus merebatur mercedem, quam cum nemo exigeret, ad minùs rationi consonum fuit, ut non apertè ejus exponeretur pulchritudo, sed molesti itineris labore, & fatigatione deserti, aspectus illius comparari deberet. Fortè etiam divina majestas tantâ pulchritudine allecta, noluit eam omnium oculis exponi, sed sibi ipsi in deserto consecrare. Sciens quoque S. Ioannes, oculos suos debere aspicere vultum sanctissimi salvatoris illos conservare voluit, ne se in alia diffunderent objecta. Hoc videtur indicare S. Chrysostomus: *Expectabat Christum, noverat esse venturum, oculi ejus nihil aliud dignabantur aspicere*. Fuit denique rationi consonum, locum proportionari locato, cùm ergo S. Ioannes in victu, vestitu, prædicatione, & reliquis fuerit perfectissimum pœnitentiæ speculum debebat manere in deserto, loco pœnitentiæ proportionato; ita ut cum S. Ephrem dicere possimus; *Prædicans pœnitentiam, ipse pœnitentibus scopus evasit*.

Cælius Rodig. lib. 19. cap. 25.

*Helenæ effigies pro mercede ostendebatur.*

*Pulchritudo S. Ioannis meretur videri pretio.*

S. Chrys. homil. de S. Ioanne Bapt. tom. 3.

*S. Ioannes in deserto mansit, quia pœnitentiæ speculum.*

S. Ephrem serm. de pœnitent. tom. 3.

20 Quodnam profectò dignius, & efficacius exemplar peccatoribus offerre possemus? Affert Ioannes secum *Domini gratiam*, quia nomen ejus hoc significat & sanctificatus fuit in utero matris; tantam tamen pœnitentiam exercet; quis

quis ergo ab omni pœnitentia se excusare queat? Ioãnes imitatores habet justos, Apostolos discipulos, admiratores Angelos, quis non desiderabit illum imitari? Amplius dico, Deus ipse incarnatus non dedignatur ipsi assimulari; & sicut sæpe dicimus, artem imitari naturam, sic videtur auctorem naturæ voluisse imitari opus manuum suarum, S. Ioannem. Sicut enim Ioannes in deserto pœnitentiam agebat, ita Christus in deserto jejunabat; prædicat pœnitentiam S. Ioannes, istis verbis, *pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cælorum*; & pœnitentiam prædicat Christus; discipulos habet Ioannes, discipulos quoque habet Christus. Baptizat Ioannes; baptismum instituit Christus, se humiliat S. Ioannes, humillimus fuit Christus; vox est Ioannes, verbum est Christus. Hæc sanè sibi invicem magis assimulari non possunt, teste Chrysostomo: *Quantò vox proximior est Verbo, tantò Ioannes proximior est Christo*: ita ut opera Salvatoris, viderentur pro exemplari habere S. Ioannis opera.

*Omnes imitari oportet S. Ioannem.*

Matt. 3. 1. *Christus videtur imitatus S. Ioannem.*

Chrysost. homil. de S. Ioan Bapt. *Opera Salvatoris & S. Ioannis omnino similia.*

21. Hinc contigit, ut dum Christus veniret ad baptismum S. Ioannis, & ipse præ humilitate recusaret tale subire officium, dixerit ipsi Christus: *sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam*: non dicit in numero singulari, sed in numero plurali *nos*, id est, convenit nobis duobus, quasi opera illorum fuissent communia. Nec solùm Salvator opera S. Ioannis honorabat, quasi propria, verùm etiam in comparatione istorum, opera sui Patris cælestis; sicut enim legem antiquam observare volebat, ut patris sui opera confirmaret, ut notat Cyprianus: *Ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit circumcisionis aptare signaculum*: Sic ad confirmandum opera S. Ioannis qui prædicabat, & baptismum conferebat omnibus ad se venientibus, voluit Christus ab eo baptizari. Licet enim nec circumsione, nec baptismo indigeret, quia nullâ maculâ fœdebatur; voluit tamen ad confirmandam eorum actionem iis se submittere. Quis ergo non se constituet imitatorem S. Ioannis? Quis non existimabit se magno honore dignum si aliqua ex parte exempla S. Ioannis imitatus fuerit? Sequamur ergo illum qui avis, & Angelus est cælestis paradisi; & sine dubio ipso duce ad securum, & felicem æternitatis portum salvi & incolumes adveniemus, quod nobis concedat Deus omnipotens, qui sua bonitate tantam gratiam S. Ioanni largiri dignatus est.

Matt. 3. 15.

S. Cyprian. serm. de circumcis.

*Nos illa imitando honorare debemus.*

# IN FESTO
# S. PETRI APOSTOLI
## DISCVRSVS DECIMVSSEXTVS.

*De animi fortitudine & primatu ejusdem.*

### Corallium ex mari extractum

*Indurabitur.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*NAturam Corallii refert. quatuor primis numeris.*

*S. Petrum gratiâ divinâ ut Corallium mutatum fuiße oſtendit num. 5.*

*Mores bonorum Prælatorum deſcribit. num. 6. 7.*

*Hoc emblema meritò S. Petro applicat, num. 8. 9. 10.*

*Petram & fundamentum fuiſſe ex proprietatibus eorumdem declarat, à num. 11. uſque ad 18.*

*Etiam Corallium extitiſſe exhibet, num. 19. 20. 21.*

*Dignitatem & prærogativas ejus à num. 22. ad finem uſque proſequitur.*

*Deſcriptio Corallii.*

1. DEcoro gratioſoque aſpectu roſeo ſuo colore non ſolùm decoratur Corallium; verùm etiam multis admiratione dignis excellit dotibus. Quòd ſicut inter arbores lapis apparet, ita inter lapides arbor naſcitur. Arbor quæ nec ſeritur, nec colitur, ibique exoritur ubi aliæ moriuntur. Mare etenim quod ſalſedine ſua terram arboreſque ſteriles reddit, ac nimiâ aquarum abundantiâ evellit, & ſuffocat; nutrix & cibus Corallii eſt. Arbores libenter aperto campo aquâ dulci irrigatæ ſereno fruuntur cælo. Corallium ſubitò atque aëri aperto ſerenoque exponitur cælo; non pavore paleſcit inimicis circumdatum, ſed majori virtute ſe erigens ſanguineo tinctum colore ut petra dureſcit, in præliumque ſe acuit. Quod acutè Ovidius his verſibus indicat.

*Naſcitur in mari ubi alia arbores moriuntur.*

*Sic & Corallium ut primùm contigit auras,*
*Tempore dureſcit; mollis fuit herba ſub unda.*

*Morte acquirit pretium.*

2. Majori Corallium decoratur

tur perfectione; quòd plurima alia cum vita pulchritudinem & pretium perdere soleant; illud tamen morte sua majus acquirit pretium & decus. Mortuum enim inter lapides pretiosos æstimatur, & vivum vile fuit arbustum seu herba.

*Mirabiles arbores & herbæ in mari.*

Admirationem tamen Corallio demant, plurimę arbores & herbę, quæ in variis maris partibus instar arborum supra mare se extollentes, ut floridum pratum diversis florum coloribus illud contegunt. Vnde Sapiens de mari rubro inquit: *Campus germinans de profundo nimio.* Plinius refert milites Alexandri magni mare Indicum navigantes, reperisse quandam herbam, quæ extracta in salem conversa est. Ligna quoque in aquis durescere solent. Nec solùm aquæ hic effectus tribuitur; verùm etiam frigidissimus cavernis subterraneis quales in territorio Vicentino, in villa *Costosa* reperiuntur. Quæ sub terra longè lateque diffusæ, frigidissimum media æstate spirant ventum, qui in palatia vicina per subterraneos meatus deductus, æstatis ferventissimum calorem sua frigiditate temperat, & recreat.

Sapientiæ 19. 7.

Plin. lib. 13. cap. 25.

3. Plinius refert Corallium sub aquis producere fructum instar pilæ rotundum, album, & mollem, sed inde eductum, durum ac rubrum evadere, qui ab Indis magnifit. Quod falsum esse affirmat Mattiolus testimonio illorum qui Corallia piscantur. Globuli ergo rotundi quos è Corallio confectos videmus non fructus ejus sunt, sed ex trũco seu radice arte eleborati.

Plin. lib. 32. cap. 2.

*Vtrum Corallium fructus generet.*

Mattiolus cap. 97.

*Quis color eius in mari.*

Solinus cap. 7.

Colorem Corallii in mari Plinius viridem esse ait, Solinus puniceum, Mattiolus autem nigrum & album quod maximam refrigerandi vim habet.

4. Morbis insuper variis medetur Corallium, vomitibus sanguinis, & calculo prodest, lieni sanitatem adfert; lætitiam cordi, dentibus firmitatem tribuit: ulceribus oris, oculisque ægris remedium præstat, fluxum sanguinis, ac seminis sedat; variisque malis ac calamitatibus prodesse dicitur. Sanitatem quoq; ac corporis dispositionem indicare solet: viro enim robusto gerente sanguineum exhibet colorem; muliere verò præcipuè menstruos fluxus patienti id portante pallorem præbet. Quod Philosophi humoribus hominum asscribunt, cùm enim fœminarum humores graves sint Corallio nocent, virorum autem puriores eidem prosunt: prout etiam veneno appositum pallescit coloremque sanguineum perdit. Corallii originem Poëtę fingunt ex capite Medusæ (quod serpentinos habens capillos omnia in saxa mutabat) procedere; sed hanc ut fabulosam Poëtis relinquimus.

*Sanitatem corporis indicat.*

5. Si natura adeò mirabiles in Corallio operatur effectus; non minus gratia divina stupendas in S. Petro produxit mutationes: qui

*S. Petrus instar Corallii mutatus à Christo.*

qui instar Corallii in mari piscator erat, vix ulla æstimatione dignus; sed ubi magnus ille hominum piscator, eum è mari sub'atum in solidam convertit petram, naturam & mores pariter immutavit. Id apertè colligitur ex verbis Salvatoris ipsi dicentis; *Tu es Petrus*, vel ut textus Hebraicus refert *Tu es Cephas*, quod saxum significat; si enim primo Parenti Adamo concessum ut nomina quę imposuisset, *ipsum est nomen ejus*, nomen videlicet juxta rerum naturas & proprietatem uniuscujusque: quantò magis de ipso naturæ auctore, hoc ipsum asserere poterimus? Verum quidem est, Adamum rebus omnibus nomina imposuisse, sed illa nō immutasse: at Salvator noster nomen novū Petro imposuit, quod antea non habebat, quia vocabatur Simon; non quia in nativitate hoc nomen imponere non potuerit (sicut fecit Ioanni Baptistæ) sed pulcherrimum hic subest mysterium. Joannes enim in maxima sanctitate à pueritia vixit, nam in ventre matris sanctificatus, ac infans in desertum secedens, totum vitæ spatium sine macula consumpsit. In S. Petro autem maximas videmus mutationes, primò enim piscator, postmodum prædicator fuit; primò discipulus, postmodum magister; primò peccator, postmodum Sanctus; primò subditus, postmodum supremus Prælatus; idcirco conveniens fuit, idem non semper retinere nomen, sed immutari. Primò enim vocatus est Simon, id est obediens, postmodum Petrus, id est petra, seu lapis fundamentalis supra quem Ecclesia Catholica fundari deberet. Bonus enim Prælatus esse nequit, qui aliquando non fuit subditus, nec potest aliquis esse bonus Petrus nisi primò fuerit Simon, id est obediens.

Matt. 16. 18.

Gen. 2. 19.

*Cur nomen eius mutatum?*

6. Adjungendum quoque, non nomen solùm Prælato immutandum, verùm etiam mores, & conversandi modum; non in destructionem, sed in ædificationem. Samuel prædicendo Sauli dignitatis Regiæ adeptionem, mutationem quoque vitæ annunciavit, dicens: *Mutaberis in virum alium*. Summus Pontifex subitò ut dignitatem supremam adipiscitur, nomen pariter, titulos, & vitæ modum commutat. Solus Salvator noster simili mutatione non indiguit, talis quippè semper fuit, ut nec sanctior, nec perfectior esse potuerit. Isaias tamen Propheta aliquid admirabile petiisse videtur, dum dixit: *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ, de Petrâ deserti ad montem filiæ Sion*: Mitte nobis Domine Principem illum promissum, qui sit filius Petræ, & Agnus; mirabilis sanè petitio, ubi umquam vidisti, ô Isaia, Agnos è Petrâ produci? non parturiunt Petræ, & licet parturirent, non Agnos, sed Petras producerent, simile quippè sibi simile ge-

*Prælatus cum nomine mores mutare debet.*

1. Reg. 10. 6.

Isaiæ 16. 1.

*Cur Salvator vocetur Agnus & petra?*

le generat. Hoc tamen metaphoricè intelligendum credo; dum siquidem filium Petræ aliquem vocamus, durum, crudelem ac immitem significamus, sic apud Virgilium de infelice Didone legimus, ad significandam duritiam Æneæ;

Virgil. 4. Æneid.

*Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,*
*Perfide; sed diris genuit te cautibus horrens*
*Caucasus, Hyrcanaq; admorunt ubera Tigres.*

Si Salvator ergò filius erit Petræ, similis debebit esse matri, durus, insensibilis, & ab omni pietate alienus. Quomodo ergò Isaias dicit veniat Rex noster, sit Agnus, & filius Petræ. Considerandum fortè est quod dicit *de Petrâ deserti*, quasi diceret, nascatur in deserto, & ignoretur ejus mater, & pater, non cognoscat fratres, nec parentes; id est, sit Prælatus sine nepotibus, sine cognatione, quia hoc modo pluris fiet, cùm nesciens unde veniat, non poterit timere nocumenta quæ aliquando occasione parentum contingunt.

*Christus est filius Petræ per naturam, Agni per virtutem.*

7. Sed convenientiùs proposito nostro debet esse natura filius Petræ, fortis, constans, & severus; sed dum Prælatus eligitur, opus est ut transeat in Agnum mansuetum. Vel significare voluit, Principem & Prælatum non debere esse Agnum naturâ mollem & effeminatum, malè regentem subditos; sed fortem animo, & invictâ cõstantiâ; virtute autem mansuetum, mitem & affabilem ut sciat tempora tempore temperare. Dicimus ergò in Christo adimpletum fuisse desiderium Isaiæ; nam in quantum Deus, Petra fuit durissima; sed in quantum homo, Agnus mansuetus. Factus enim homo, quasi de Petrâ in Agnum transiit: sicut è contrario. Sanctus Petrus ex tenerâ & molli herbâ, in Petram durissimam est commutatus.

*Sic prælatus debet esse.*

8. Meritò ergò ipsi hoc emblema applicuimus cum inscriptione, *indurabitur*, ex libro Iob desumptum, ubi litteraliter loquens de Behemoth bellua illa procera, ait: *Cor ejus indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus:* quod metaphoricè S. Petro applicare licet. Meritò quippè dicit, cor ejus indurabitur, non tota caro, quia nec ipse, nec aliquis Sanctorum aliam à nobis carnem habuit; sed cor diversum. Carnem habuit quæ sentiebat vulnera, frigus, & calorem, quæ ferro non resistebat, ac omnibus necessitatibus erat subdita; sed cor longè à nostro diversum; habuit quippè fortè, animosum, & audax, nihili ducens dolores, despiciens tormenta, omniaque adversa contemnens. Fuit denique sicut petra vel incus, quæ quantò ampliùs percutitur tantò plus induratur, & ad resistendum fortior evadit.

*Meritò S. Petro hoc dictum tribuimus.*

Iob 41.15.

*S. Petrus cor durum habuit non carnem.*

*Equus cur maximè generosus?*

9. Inter omnia animantia equus admodum audax & animosus est, ferrum nec ignem timet, & ad sonitum tympanorum & bombardarum intrepidus persistit. Id teste Plinio accidit, quia cùm nos habeamus cor molle, & tenerum; equus præ cæteris in medio cordis partem aliquam duriorem instar lapidis habet, quæ ipsum animosum audacemque efficit. Quod si ita sit, qualis debebat esse fortitudo, & animus S. Petri, cujus totum cor petra fuit? Quid mirum ergò, si nec minas Herodis, nec crudelitatem Neronis, imò nec mortem ipsam acerbissimam metuerit?

Plin. lib. 11. cap. 37.

*Maxima S. Petri constantia.*

*Cur hac verba diabolo ascripta S. Petro tribuuntur?*

10. Dicet fortè quispiam Sancto Petro hæc verba non convenire cùm ordinariè à SS. Patribus in malam partem accipiantur, & attribuantur diabolo propter duritiam & obstinationem. Verum quidem est in sensu mystico Lucifero applicari; non minùs tamen S. Petro possunt applicari: quis enim nescit contraria per se invicem meliùs intelligi: sic fortitudo victoris, per fortitudinem victi meliùs explicatur. Sanctus Petrus & Lucifer sibi invicem oppositi fuerunt, acriter inter se discertarunt; S. Petrus tandem victor evasit. Nò ineptè ergò fortitudo satanæ S. Petro applicari potest, cùm illum devicerit, & inde cognoscatur quanta debuerit esse cordis ejus constantia. Meliùs quoq; dicamus victores quandoque insignia inimicorum sibi assumere, in signum victoriæ contra illos adeptæ. Sic Manlius apud Romanos cùm Gallo cuidam ipsum oppugnanti torquem aureum detraxisset, Torquatus dictus est. Non aliter S. Petrus cum pluribus modis diabolum superaverit (ut patet in Simone Mago & aliis) meritò dictum illud Iob diabolo ascriptum, ut sibi proprium assumere poterit: *Indurabitur cor ejus quasi lapis.* Iob 41. 15.

*Quia diabolum devicit.*

11. Petra ergò fuit S. Petrus supra quam constitutum Ecclesiæ fundamentum, dicente Christo: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Fundamentum quoque dicitur, quià sicuti à fundamento tota fabrica domus dependet, ita à S. Petro ut Christi vicario totius Ecclesiæ dependet auctoritas. Nec propterea Christo primatum Ecclesiæ tollimus, cùm S. Petro ut vicario solùm conveniat. Sicut nec cæteri Apostoli ideò desinunt esse fundamenta (S. Paulo asserente; *Superædificati suprà fundamentum Apostolorum & Prophetarum*) ratione doctrinæ & prædicationis. Sed inter omnes singulare hoc privilegium S. Petrus consecutus est, ut sit Princeps & caput omnium, fidesque ipsius numquam deficiet; dicente Christo: *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Eâdem metaphorâ petræ ad Principem significandum, usus est Patriarcha

*Fundamentum Ecclesiæ S. Petrus.*

Mat. 16. 18.

Ad Ephes. 2. 20.

Lucæ 22. 32.

Genes. 49. 24. cha Iacob benedicens Ioseph: *Inde pastor egressus est lapis Israël.*

*Lapis & princeps in nullo videntur convenire.*

12. Sed quid Principi cum petrâ quæ gravis, infimum locum appetit? Principi supremus locus debetur. Petra symbolum est hominis rudis, & ignorantis, vnde de stupido quodam petræ insidente dicebat Philosophus, Petra petræ insidet: Principem autem doctum esse decet. Petra ex se non movetur; Princeps pro se & aliis diligens in negotiis peragendis esse debet. Petra oculis orbata est; Principi autem centum conveniunt oculi. Petra nec audit, nec sentit: Princeps verò omnia percipere & molestias subditorum perferre debet. Petra dura est & ponderosa: Principem dulcem ac mitem esse oportet. Ex mille denique conditionibus in Principe repertis, vix unam in petrâ reperies. Cur ergò hoc nomine naturæ suæ non conveniente, Principem appellat? Diversæne deerant metaphoræ? Non poterat dici caput, vel oculus Reipublicæ, sol totius regni, sol mortalium? Non poterat assimulari gubernaculo navis, gemmæ annuli, radici arboris, tecto domus, vel supremo gubernatori totius exercitus? Voluit fortè Christus hâc similitudine differentiam inter Prælatos Ecclesiasticos, & Principes seculares demonstrare? Principes enim mundi dominationem & primatum ubique tenere solent; Prælatos Ecclesiæ humiles esse decet, aliisque submissionis & patientiæ exemplo prælucere; Salvatore dicente: *Principes gentium dominantur eorum, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister*; ideoque usus sit metaphorâ petræ semper ad ima tendentis. Fortè demonstrare voluit patientiam & fortitudinem Prælatorum; sicut enim lapis omnia patienter sustinet, ita Prælatus calamitates subditorum patienter sufferre, & humiliter curare debet. Denique quia Ecclesia ædificium est spirituale, ideò Prælatus ejus lapidi fundamentali comparatur, qui omne onus fabricæ in se suscipere debet. Has ergò ob causas Christus S. Petrum petram vocavit, quia doctrina sua omnes dirigit.

*Differentia inter principes mundi & prælatos Ecclesiæ.* Matt. 20. 25.

*Duplex differentia fundamenti spiritualis & terreni.*

13. Duplex tamen & pulcherrima differentia inter fundamentum Ecclesiæ & alterius ædificii notanda est. In hoc enim ponuntur lapides rudes & impolliti; in illo autem magis exquisiti, & pretiosiores, teste S. Ioanne de cælesti ædificio dicente: *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata:* & Isaia: *Fundabo te in sapphyris.* Primò quia architecti parvifaciunt fundamenta quæ non conspiciuntur: cælestis verò opifex majorem adhibet curam in pulchritudine internâ quàm externâ procurandâ; & illam quam oculis intellectus videmus meliùs fovet eâ, quam oculis corporis intuemur. Propterea lapides politos, & pulchriores

Apocal. 21. 19. Isaiæ 54. 11. *1. Differentia.*

*Cur lapides pretiosi in fundamento Ecclesiæ?* chriores in fundamentis collocat: licet enim non videantur ab hominibus, optimè tamen ab Angelis & SS. Dei conspiciuntur. Fortitudo &pulchritudo in rebus terrenis rarissimè conjunguntur, cùm ergò fundamenta fortitudinem requirant, quid mirum si pulchra esse non possint? In rebus autem spiritualibus sæpiùs conjunguntur; unde dictum est mulieri illi sanctæ: *Fortitudo & decor indumentum ejus*; & Sponsæ in Canticis: *Pulchra es ut luna, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et ejus Sponso; *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende prosperè procede & regna.* (Prover. 31. 25. Cant. 6. 9. Psal. 44. 5.)

*2. Differentia.* 14. Secunda differentia est, quod fundamenta ædificii terreni non possint esse arctiora ædificio, aliàs difficilè subsisteret: imò turres inferiùs larga habent fundamenta, & quò magis eriguntur, eò magis restringuntur. In ædificio tamen spirituali contrarium patet: cùm enim Ecclesia per totum orbem diffusa sit, fundamentumque ejus sit unus homo, sine dubio multò minor est fabrica. Nisi velimus auctoritatem ejus attendere, quæ ad cælos usque se extendit cùm dictum sit S. Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum.* (Mat. 16. 19.) Personam tamen ejus accipiendo duas rationes assignare poterimus. *Cur ædificium Ecclesiæ se magis extendit quàm fundamentum.* Prima est, quia ædificia terrena quantò magis elevantur, tantò plus à centro recedunt; cùm ergò extra locum naturalem erigantur, majori fundamento indigent ut sustentari queant: ædificia verò spiritualia quantò altiùs eriguntur, tantò plus ad centrum (quod Deus est) accedunt, ideoque nullum ipsis periculum ruinæ est; sed magis se extendere possunt quàm fundamentum. Secunda ratio est, quòd magna sit differentia inter fundamentum ædificii mortui ac vivi; *Differentia inter ædificium vivum & mortuum.* cùm ædificium mortuum nullam habeat virtutem, necesse est ut omnia à fundaméto dependeant: ædificium autem vivum cùm in se habeat virtutem vitalem, sufficit ut innitatur fundamento ut sustineri & dilatari possit. Pariter homo vivus facillimè se pedibus regit, mortuus autem subitò cadit. Arbor quoque viva extenditur & dilatatur, licet radix ejus exiguum locum occupet. Similem differentiam assignat Seneca: *Inter illa quæ principium & fundamentum à naturâ habent, & illa quæ ab arte ficta citò in naturam suam incidunt; quibus veritas subest quæque ut ita dicatur ex solido nascuntur fundamento, ipso in majus meliusq; procedunt.* (Senec lib. 1. de elementis. cap. 1.) Ædificium ergò Ecclesiæ cujus fundamentum S. Petrus, non est ædificium mortuum ut terrena alia, sed vivum, ipso attestante: *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis*: (1. Petr. 2. 5.) consequenter non est aliquod arte fictum, sed solidum, & supernaturale, non ergò mirandum si ædificium ampliùs extendatur quàm fundamentum.

15. Conditiones quoque lapidis

*Conditiones petræ sancto Petro conveniunt.*

dis optimè S. Petro conveniunt, etenim si dura & fortis est petra; quis fortior sancto Petro? licet enim ante Passionem Christi adeò infirmus fuerit, ut se à fœminâ superari permiserit; post Passionem tamen tantam acquisivit fortitudinem, ut omnes mundi, & inferni potestates contra hoc ædificium insurgere non valuerint, dicente Christo: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* *Portæ* autem dixit, cùm in his fortissimi milites custodes constituantur, qui ibi sunt magis ut defendant, quàm ut offendant; voluit quoq; indicare, arma infernalia non solùm vincere non posse Ecclesiã, sed ne quidem illi resistere. Sicut David adolescens gigantem Goliath petrâ in fronte percutiens, in terram dejecit, & devicit: sic Christus hâc petrâ, caput infidelitatis (Romanam nempè urbem) percutiens, ad terram dejecit, & planè destruxit. Cùm autem sanctus Paulus comes fuerit sancti Petri, dicere possumus, ipsum præfiguratum in gladio quem de latere Goliath David accepit ut ei caput amputaret; primò enim Paulus fuit gladius inimicorum Dei, persequens Ecclesiam, sed Christus eum tulit de latere Synagogæ, ut eam per hunc destrueret.

Matt. 16. 18.

*Petra Davidis figura S. Petri.*

*Et gladius Goliath figura S. Pauli.*

16. Petræ firmæ sunt & solidæ, nec facilè moventur, quis firmior, & constantior sancto Petro? Refert Titus Livius, dum in Capitolio Romano templum Iovi erigeretur, ibiq; essent statuæ omnium Deorum, facilè omnes loco movere potuerunt supremum Iovi locum cedentes; at dum ad petram quandam (Deum Terminum appellatam) accessissent, illam nullâ vi movere potuerunt: unde optimum sumentes augurium, conjecerunt suum imperiũ nunquam terminandum; id tamen falsum esse patet: nisi in Apostolicâ Petrâ confirmatum esse super universum mundum dicamus. Plutarchus quoque refert, fortunam per universum orbem volasse, tandemque Romæ suum cursum finisse, ubi depositis alis, è volubili rota descendens perpetuam se fixuram sedem spopondit. Quis hoc in S. Petro completum esse non videat? Dum enim varias mundi partes peragrasset, tandem Romam veniens, ibi imperium, simulque primatum perpetuum totius Ecclesiastici dominii stabilivit.

*Dominium S. Petri in totum mundum.*

Plutar. de fortitud. Romanor.

17. Gravis, & ponderosa est Petra, unde facilè ima petit; S. Petrus præ humilitate semper se aliis submittebat: ita ut dixerit Christo; *exi à me Domine quia homo peccator sum*, nec permittere volebat, sibi à Christo pedes lavari. Quinimmo ad mortem usque timuit humilitatem perdere, ut notat S. August. minus enim se honorari credebat, si eodem quo Salvator mortis genere interiret; idcirco capite in terram verso crucifigi voluit:

*S. Petri summa humilitas.*

Lucæ 5. 8.

voluit: *O virtus humilitatis ingenita* (exclamat S. Augustinus:) *honorari etiam supplicii genere pertimescit.* Solet Petra campos, & possessiones dividere, ut patet ex variis legibus, & scripturis. Idem officium S. Petrus exercuit: licet enim Christus totius orbis sit Dominus, loquendo tamen de statu Ecclesiastico, & fide Catholica, dicere possumus, illam à reliquis hac S. Petrâ divisam esse. Omnes enim qui sub alis S. Petri non continentur, sive hæretici, schismatici, infideles, seu Iudæi, à Christi regno sunt exclusi; verissima est enim i la sancti Augustini sententia; *Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem.* Cùm Agesilaus Rex interrogaretur quàm longè fines imperii ejus extenderentur, accipiens arma sua respondit, quousque cum iis valeo pervenire. Posset potiùs Christus dicere Regnum suum eò usque extendi, quò cum hâc petrâ pertingere potest: etenim S. Petrus habens claves Regni pro libitu suo admittere potest, vel rejicere.

S. August. serm. 16. de tempore.

*Hac petrâ imperium Christi dividitur.*

18. Ex petrâ ignis, & aqua quandoque provenit; sanctus Petrus ut dura petra ignem & aquam produxit; ita ut ipsi rectè conveniat illud Ezechielis: *Dedi faciem tuam ut silicem, & ut adamantem:* videlicet ut adamantem, quia plenus amore divino splendebat; ut silicem, quia alios eodem amoris igne accendebat: unde in Actibus Apostolorum dicitur: *Adhuc loquente Petro verba hac, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Aquam produxit, quia non solùm fluvio doctrinæ suæ, & fidei, universum irrigavit mundum, verùm etiam lachrymarum imbre quotidie peccata abluebat, ex eo enim tempore quo Christus illum in sua passione respexit, continuò amarè flevit. In petra fuit scripta antiquitùs divina lex; & in hac petra lex divina novi testamenti scripta fuit, quia primus dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* In petrâ se abscondit Moyses ut Deum videret, & in hac petrâ constitui debet homo ut Deum videat, quia extra hanc petram nulla est salus, in hac quoque petrâ repræsentatur Christus, quia S. Petrus ut Vicarius Christi in terris illum repræsentat.

*Ex hac petra ignis & aqua provenit*

Ezechiel. 3. 9.

Actor. 10. 44.

*In hac petra lex divina scripta.*

Matt. 16. 16.

19. Nec solùm petra, sed Corallium est S. Petrus; quod habet virtutem infirmitates sanandi, nam varias curavit infirmitates: ut in Actibus Apostolorum legitur, ad S. Petrum omnes allatos fuisse infirmos, ab eoque curatos. Corallium venena detegit; quis meliùs S. Petro discernere venena potuit? Veneno pestifero plenus erat Simon Magus, quod subitò à S. Petro detectum fuit, unde dicebat: *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Quam virtutem successoribus quoque reliquit; nullus quippe meliùs venena hæresum detegere potest, quàm auctori-

*Non petra solùm sed Corallium est S. Petrus*

Actor. 5. 16.

Actor. 8. 23.

auctoritas Romanæ Ecclesiæ, idcircò ipsi dictum est, *Confirma fratres tuos.* Lucæ 22. 32.

20. Corallium natura tenerum est & molle, sed aperto cælo expositum, induratur, & fit lapis. Ita S. Petrus adeò fuit tener, ut de Passione Christi loquentes, audire non posset, muliercula siquidem ipsum ita commovit, ut statim magistrum suum abnegaret. Quod ipsi Deus accidere permisit, ut cognosceret virtuté quam posteà erat habiturus, non esse sibi connaturalem, sed cælitùs datam, juxtà dictum Salvatoris; *Quoadusque induamini virtute ex alto.* Sicut enim prudens architectus jacto fundamento, aliquamdiu quiescit ut firmetur, ne si subitò superædificet, ædificium corruat: sic Christus primò fundamentum posuit, dicens: *Tu es Petrus*; sed antequam superædificaret, dixit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, in tempore futuro; si enim statim hoc fuisset executus, cùm prævidisset ipsum peccaturum, periculum fuisset, nè totum Ecclesiæ ædificium corrueret. Sed cùm post resurrectionem ipsum firmum, & solidum conspexit, ac tertiò probavit; *Simon Joannis diligis me plus his?* Tunc incepit fabricam suam erigere, dicens: *Pasce agnos meos.*

*S. Petrus induratus ut Corallium.*

Luc. 4. 49.

*Cur S. Petrus non à principio caput Ecclesiæ?*

Matt. 16. 18.

Ioan. 21. 15.

21. Corallium coloris sanguinei est, symbolum amoris, quis S. Petro adequari potest in amore divino? Dum enim è navi Christum suprà mare ambulantem conspexerat, noluit expectare donec navis littus attigisset, sed suprà mare fixit gressus, dicens: *Domine si tu es jube me venire ad te super aquas.* Sed non timuit submergi? ignorabátne Petram ima petere? Si non times perdere vitam, metue saltem amittere præsentiam tui magistri. At Petrus adeò ferventer diligebat ut nihil metueret, Charitas quippe foras mittit timorem. Fortè intra seipsum dicebat; amans numquid transformatur in personam amatam, ergo si illa super aquas incedat, potero hoc ipsum efficere. Præsentia Domini mei numquid magnes est cordis mei? Ergo si fuero in profundo maris inde me extraher. Numquid ipse unico verbo me petram effecit? efficere etiam poterit, ut mare me sustineat, ne submergar. Numquid pro salute meâ è cælo in terram descendit? Licet ergo in profundo maris forem me inde extraheret. Aliàs dum cum aliis esset in mari, considerans Christum solum esse in terra, noluit expectare dum navis appelleret, sed subitò tunicâ se cingens misit in mare, ut primus ei occurreret, plus enim aliis ipsum amabat, unde dixit S. Ambrosius: *Ambulavit in mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus: in navi enim positus considerat Dominum; & amore ejus ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, & dum Christum respicit, non respicit elementum.*

*Corallium symbolum amoris, sic S. Petrus.*

Matt. 14. 28.

*Cur S. Petrus non timuit mare intrare?*

*Signum ardentissimi amoris fuit.*

S. Ambros. serm. 47.

*Cur se vestivit dum mare intravit?*

22. Sed mirabilis apparet hæc Petri actio, alii enim in mare se mittentes, omnibus spoliant vestibus; Petrus è contra spoliatus vestes resumit: quod fecit non tam considerans viam quam incipiebat; quàm terminum quem petebat. Sciens quippe nō fore conveniens, ut nudus Christo appareret, mare vestitus intravit. Nec absque mysterio, vestes quippe (teste S. Augustino) symbolum sunt fidei ut colligitur ex illo Isaiæ: *His omnibus velut ornamento vestieris.* Meritò ergo vestitus S. Petrus mare intravit, impossibile enim erat, ut submergeretur, cùm caput Ecclesiæ errare non possit: propterea hac vice non legimus illum periculum submersionis incurrisse sicut aliàs. Ait enim S. Bernardus ipsum venisse per medium maris ut significaret auctoritatem suam ubique extendendam, nec termino aut loco finiendam, ut aliorum Episcoporum auctoritas, qui solam navem Ecclesiæ suæ gubernant. In quo apparet quàm à Domino præ cæteris honoratus & dilectus fuerit, dicente S. Ioanne Chrysostomo: *Hunc universo terrarum orbi præposuit Christus.* Solent quandoque terreni Reges ad immensum declarandum amorem, quo aliquem prosequuntur, maxima dona, Regnique offerre medietatem; ita Assuerus amantissimæ suæ Ester, & Herodes Herodiadi: *Etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* Sed S. Petro majus à Christo donum oblatum est, totius nimirum Regni quod acquisivit Sanguine suo; *Tibi dabo claves Regni cælorum.* Aliàs Christo jubente quinquaginta tres pisces cepit, in quo numero juxta S. Hieron. omnium piscium genera comprehensa sunt; ut sciret nullam fore nationem quæ per S. Petri rete non deberet apprehendi; *Omnia* (inquit) *capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles, & ignobiles, divites, & pauperes, & omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem.*

S. August. tract. 3. in Ioannem.
Isaiæ 49. 18.
S. Bernar. ad Eugen. papam.
*S. Petrus totum Regnum à Christo accepit*
Ester 7. 2.
Matt. 16. 19.
S. Hieron. in cap. 47. Ezechiel.

*S. Petrus fuit alter Christus.*

23. Sed quid mirum tantùm fuisse sancti Petri dominium, si per amorem in Christum transformatus fuerit? *Ecce* (inquit sanctus Ambrosius) *S. Petrus sub Christi nomine, quasi unus Christus, ac ideò omniū Dominus factus est.* Meritò quoque sanctus Petrus se in Christum transformatum dicere poterat; si enim Apostolo teste; *Petra erat Christus.* Et Petra fuit sanctus Petrus; *Tu vocaberis Cephas*, quod est Petra. Fundamentum fuit Christus sancto Paulo dicente: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*; Et fundamentum fuit sanctus Petrus: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Aliàs Petro fugienti Româ occurrit Christus, quem admiratione & dulcedine plenus interrogat; *Domine quò vadis?* Qui respondet: *Venio Romam iterum crucifigi*

S. Ambr. in psal. 118.
1. Corint. 10. 4.
Ioan. 1. 42.
1. Corint. 3. 11.
Matt. 16. 18.

*cifigi.* Sed quomodo hoc veritas de se dicit? Fuitne Christus in propriâ personâ iterum Romæ crucifixus? Minimè, sed in personâ sancti Petri; quia ergò ipse & S. Petrus unus erant de seipso hoc asserit; quasi diceret, Petre volebas mecum in Ierusalem mori, sed tunc nondum tempus advenerat, modò dum pro te tempus est moriendi, ecce venio ut tu mecum & ego tecum crucifigar.

*S. Petrus in persona Christi crucifixus.*

24 Major, & certior amoris probatio fuit commissio totius Ecclesiæ, nulla enim in mundo tanta est amicitia, ut amici eandem habeant sponsam. Vnde sanctus Augustinus refert dum amicissimi socii simul convenissent, ut communiter viverent, unum obstitit, quod aliqui eorum uxores haberent. Sed ecce Christus cùm charissimam haberet Sponsam, quam acquisiverat sanguine suo, illam tamen sancto Petro commisit; non sicut amico, sed ut eidem cum ipso. Totum ergò quod habere poterat ipsi commisit; & ne quid deesset crucem suam illi concedere voluit. Notat S. Ambrosius Christum in morte suâ liberalissimè omnia distribuisse: latroni paradisum, vestes militibus, matrem S. Ioanni, sed crucem nemini dare voluit; & licet Iudęi ipsum inducere vellent, ut descenderet de cruce, illam tamen relinquere noluit, sed S. Petro reservavit: ac etiam dotem Sponsæ suæ concessit omnia nempè merita, quia commissæ sunt ei claves omnium thesaurorum Regni cælestis: *Tibi dabo claves Regni cælorum.* Officium quoque patrisfamilias ei tribuit: pro quo notandum, Iudæis morem fuisse patremfamilias debuisse solvere Imperatori unum denarium pro tributo; propterea exactores interrogabant discipulos, utrùm magister illorum solvisset tributum, nullam aliorum facientes mentionē. Cùm autem Christus ad hoc non teneretur, nihilominus ne scandali præberet occasionem, misit Petrum piscatum, imperans ut acciperet denarium, quem in ore primi piscis inveniret, illoque tributum pro se, & illo persolveret, quod exactoribus præbens magistri sui imperata executus est. Quid sibi vult quod pro se solverit? nūquid discipulus erat sicut cæteri? numquid solus paterfamilias ad hoc tenebatur? Quomodo ergò S. Petrus solvere voluit cùm non esset caput? Quinimò inde patet hanc illi dignitatem à Christo concessam: & ut nullus ipsum esse caput dubitaret, voluit ipsum hoc tributum solvere.

*Christus sponsam suam S. Petro commisit.*

*S. August. lib. confes.*

*S. Petro crucem & omnia tribuit.*

Matt. 16. 19.

*S. Petrus Christo comparatus in solutione tributi.*

25. Nec sine mysterio caput S. Paulo amputatum fuit; etenim cùm magnus esset Apostolus, & socius S. Petri; credere potuisset aliquis, ipsum quoque habuisse dignitatem capitis: quare permisit Deus ipsum capite privari. Pari modo

*Cur caput S. Paulò amputatum?*

modo S. Ioannes Baptista capite truncatus est, quem Iudæi Messiā esse volebant, seque excusabat toties, dicens: *Non sum ego Christus, & illum oportet crescere, me autem minui.* Alludendo, inquit S. Augustinus, ad mortem utriusque, quia Christus crevit dum in cruce est extensus, Ioannes verò Baptista capite diminutus fuit: quod pariter de S. Petro, & Paulo asserere possumus. Fuit ergò S. Petrus caput in terris, ideò capite ad terram verso crucifixus; Christus autem caput in cælis, quare in altum est elevatus. Capite etiam versus terram crucifixus fuit Petrus, ut ostenderet eum, qui in Ecclesiâ Dei vult esse superior, debere esse ministrum & inferiorem omnibus ut Christus ait: *Qui major est vestrûm erit minister vester.* Inverso corpore crucifixus fuit: ut ostenderet, se quidē omnia alia membra sustinere, sed non posse illis influxum gratiæ præstare, hoc enim propriè Christo conveniebat. Caput tenebat ubi Christus pedes, quia nullus potest esse superior, qui Christo non sese planè subdidit. Caput inferius fuit, quia summoperè cupiebat Christo in cruce adhærere, dicens: Si non possum in eodem loco cum Christo permanere propter crucis angustiam, juxta pedes ejus me constituam. Caput inferiora tenuit, superiora respiciens, ut posset non tantùm cælum intueri, verùm etiam Christum superiùs pendentem, & inclinato capite inferiùs respicientem. Ita ut Crux mihi verum videatur propitiatorium, in quo remissæ sunt iniquitates nostræ, Christus & S. Petrus duo Seraphim ad latus ejus astantes, & se mutuo respicientes: sicut illi cantabat ad alterutrum, Sanctus, Sanctus, Sanctus; sic Christus & S. Petrus se mutuo Sanctos appellant, Petrus quidem dicens Christo: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* & Christus S. Petro in remunerationem hujus celeberrimæ confessionis: *Beatus es Simon Bariona*, ita ut S. Petrus à Christo ut summo Pont. canonizatus fuerit. Propterea mirum videri non debet, si à S. Marco Alexandriæ Ecclesia S. Petro viventi erecta fuerit; & alia in Galliâ à S. Sabiniano Martyre, ut refert Liranus.

Ioan. 3. 30.

*Cur S. Petrus capite versus terram crucifixus?*

Matt. 23. 11.

*Pulcherrimæ rationes istius.*

*Crux verum propitiatorium.*

Matt. 16. 17.

Baron. tom. 1.

Liranus in cap. 24. S. Matt.

IN

# IN FESTO
# S. PAVLI APOSTOLI
## DISCVRSVS DECIMVSSEPTIMVS.

*De ferventi ejus charitate.*

### Facula sive lucerna ardens.

*Non quærit quæ sua sunt.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Charitatis ignisq́, convenientias refert sex primis numeris.*

*S. Paulum verè lucernam ardentem fuiße ostendit num. 7.*

*Excellentiam S. Pauli enarrat nu. 8. 9. 10. 11. 12.*

*Hoc emblema ei rectè convenire ostendit num 13. 14. 15.*

*Charitas non quærit propria.* 1. Corint. 13. 5.

1. INter varias, laudabilesque proprietates charitatis à sancto Paulo relatas, quibus ut pretiosis gemmis pulcherrimam ei exornat coronam, hæc resplendet, quod *non quærit quæ sua sunt*; proprium lucrum aut commoda non quærit, sed alterius. Hæc tamen charitatis proprietas si cum igne pulcherrimo ejus symbolo conferatur, non rectè conveniet. Ignis enim ita quærit quæ sua sunt, ut dici etiam possit, quærere aliena; omnia enim consumens, in seipsum convertit. Vnde dicere licet ignem illum cui charitatem comparamus, non esse terrestrem sed cælestem, vel illũ, quem in propriâ sphærâ cælesti multi detineri asserunt, aut ignem in Sole resplendentem, qui absque nutrimento conservatur, nec quærit quę sua sunt. Nec hâc solùm proprietate, verùm etiam aliis discrepare videtur ignis à charitate: ille enim ascendit, hæc verò descendit; hæc delectat, ille cruciat, & contristat; hæc unit, & congregat, ille disperdit, & disjungit: hæc homines extra se rapit, & in objectum amatum convertit, ille omnia in seipsum commutat, & ad se trahit. Ita ut sibi invicem contrariari videantur. Hęc tamen comparatio adeò frequens est,

*Ignis & charitas non rectè videntur convenire.*

*Bene tamen conveniunt.*

est, & usitata apud omnes Scriptores tàm sacros quàm prophanos, ut absque maximo fundamento hoc fieri non posse sit credendum. Certè si omnes convenientias ignis, & amoris enumerare vellem, tempus mihi & charta deficeret; aliquibus proinde enarratis contentus ero.

*Ignis accendit charitas quoque.*

2. Ignis accendit, & calefacit, amor verò, amãtem interiùs ita ferventẽ reddit, ut exteriùs appareat teste Poëtâ: *Quis enim celaverit ignẽ, Lumine qui semper proditur ipse suo.* Sponsa etiam in Cant. de suo dilecto, ait: *Lampades eius lampades ignis, atq; flammarũ*; splendor, & fervor, amorem intùs latentem indicant. Ignis ferrum, & omnia dura, mollia reddit: amor durum cor, & intractabile, mansuetum efficit. Vnde Sponsus dilectæ suæ ajebat: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno crine colli tui*: cogita quàm tenerum cor illud fuerit, quod à solo mulieris crine lædebatur. Sponsa quoque se præ amoris magnitudine totaliter consumptã esse asserit: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Ignis maximè est communicativus suiipsius, nec propterea diminuitur, sed magis excrescit; amor omnia quæ potest donando, augetur & incitatur, ut plura conferat. Vnde Sponsus dixit: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Ignis alio igne accenditur; amor ab amore mutuo generatur: unde communi proverbio dicitur: *Si vis amari, ama: magnes amoris amor:* & S. Ioannes: *Diligamus Deum, quia ipse prior dilexit nos.* Ignis semper ad suam sphæram tendit, nec alibi unquam quiescit: amor semper objectum amatum petit. Sic Propheta David ajebat: *Quid mihi est in cælo, & ad te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* *Pars mea* dixit, quasi centrum meum, quia extra illud nec in cælo, nec in terrâ requiem inveniebat. Simili modo S. Augustinus illo divini amoris igne succensus, clamabat: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec in te requiescat.*

Cant. 8. 6.
Cant. 4. 9.
*Ignis sui communicativus, sic charitas.*
Cant. 5. 9.
Cant. 8. 7.
1. Ioan. 4. 19.
*Ignis sursum tendit & charitas in cælum tendit.*
Psal. 72. 25.

*Ignis omnia domat, omnia vincit charitas.*

3. Ignis omnia vincit, *omnia vincit amor*: Sponsus in Canticis ut amoris fortitudinem ostenderet illam morti comparat, *fortis est ut mors dilectio*: sicut enim morti nemo valet resistere, ita nec amori. Ignis defectu materiæ extinguitur; charitas sine operibus bonis mortua est; ideò dicebat Christus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Ignis numquam quiescit, sed summè activus est, & agilis: amor novas semper reperit inventiones, unde ajebat S. Paulus: *Charitas Christi urget nos.* Ignis res ejusdem speciei unit, diversas autem separat, & disjungit: amor efficit ut amans uniatur rei amatæ, & ab aliis separetur. Sic Christus qui venit mittere ignem amoris in terram, venit pariter separare

Cant. 8. 6.
Ioan. 14. 23.
*Ignis semper agit, charitas summè activa est.*
2. Cor. 5. 14

parare amantes ab omni aliâ re: *Venit enim separare hominem adversus Patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam.* Ignis participat qualitates sui nutrimenti, unde aliquando clarè lucet, aliquando obscuro tegitur fumo; cum fumo ascendit, cum carbonibus descendit; cum thure aut thymiamate odoriferus est, cum sulphure fœtidus efficitur; ita amor objecto amato proportionatur; si objectum bonum est, sanum & pulchrum, illud sequetur amor; si malum, languidum, & abjectum, talis etiam est futurus amor, unde Hugo de S. Victore ait: *Si non vis habere amorem solitarium, noli habere prostitutum, quia amor ignis est, & fomentum ignis, ignem inficit pravo vel fumo, vel odore*: id est, si non sis contentus, ut esse deberes, solo Dei amore, saltem non manifestes tuum amorem, sed distinguere scias inter objecta, & objecta; sicut enim ignis varias recipit qualitates ex nutrimento, sic amor ex objecto.

Matt. 10. 35.

*Ignis attrahit qualitates sui nutrimenti, sic charitas naturam objecti induit.*

Hugo de S. Victore tom. 2. de ira animæ.

4. Ad objectiones modò respondeo; diximus ignem ascendere, & amorem descendere. Respondeo amorem quoque ascendere ad propriam sphæram; qui enim amat servus est rei amatæ, & ipsa inferior; si amor magis reperitur circa res inferiores: etiam ignis magis in inferiori parte, quàm in sublimiori, ibi siquidem major nutrimenti est copia: ascendit insuper amor, quia aspirat ad generosa facta, & sublimes virtutes, quas omnes amantes stimulis amoris agitati facillimè consequuntur. Diximus ignem torquere, amorem delectare; optimè experiuntur amantes, utrùm amando non majora tormenta quàm delectationes sentiant: præ amoris equidẽ magnitudine, multi miserè vivunt. Id non ignorabat Sponsa in Canticis, dicens: *Fortis est ut mors dilectio*; nimirum dura est ad tolerandum, ideò adjunxit: *Dura sicut infernus æmulatio*; quæ amplificatio non valeret, nisi in primo membro locuta fuisset de tormento. Diximus ignem omnia in seipsum convertere; amor omnia ad se attrahit & in se convertit: amor quippè omnia delectabilia efficiens, labores, dolores, difficultates, mortem quoque ipsam amabilem reddit, ac omnia quæ in mundo sunt, instrumenta amoris efficit. Quare S. Paulus ait: *Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Solùm hîc considerandum est, quod pro inscriptione emblematis nostri assumpsimus, ignis *non quærit quæ sua sunt.*

*Ad rationes contrarias respondetur.*

*Ignis torquet; charitas cruciat.*

Cant. 8. 6.

*Ignis omnia in se convertit; omnia attrahit charitas.*

1. Corint. 13. 7.

1. Corint. 13. 5.

5. Maximè amorem, & ignem convenire posse, reperiemus, si consideremus subjectum diversũ esse à forma, licet simul uniantur & conveniant: aliud amans, aliud amor; aliud ignis, aliud res accensa. Si ergo loquamur de igne, verum est quòd quærat quæ sua sunt; quia nutriri, & conservari desiderat alieno damno, &

*Quomodo charitas & ignis conveniant.*

*Quomodo ignis non quærit quæ sua sunt?*

postea ad sphæram suam ascendit: sed si loquamur de subjecto, in quo reperitur, contrarium est verum, non enim quærit quæ sua sunt, quia conservando ignem seipsum destruit. Sic amor quærens subjectum, in quo hæreat, aut potiùs objectum quod amet, quærit quæ sua sunt, sed amans è contrà non quærit quæ sua sunt, quia obliviscitur omnium negotiorum suorum, & honoris, imò aliquando vitæ periculum incurrit, ut rem amatam consequatur. Sic Didonem Virgilius refert, amore Æneæ succensum, omnia regni sui negotia neglexisse, ac vitam propriam pro eo expendisse.

*Amans non quærit quæ sua sunt?*

6. Sed quid sibi vult, animalia cæteraq; omnia, quærere quæ sua sunt, solùm autem amantem hanc Regulam universalem non sequi? Fortè quia nec ipse quidem sibi proprius est? quomodo ergo quæret alia pro se, si seipsum non possideat? Athenienses deridebant Lacedæmonii, quod cùm propriam libertatem amisissent, quærebant Dominium Insulæ Samii, unde natum est proverbium; *qui seipsum non habet, Samium petit.* Pari modo vanũ esset amanti aliqua extra se quærere, dum seipsum non possidet; quærere negotia sua, dum non est sui ipsius sed alterius: sic ergo non quærit quæ sua sunt, sed ea quæ sunt personæ amatæ, ad quam pertinet, & in quam est transformatus. Rectè ergo divo Paulo in emblemate hoc applicuimus, quia nimio amoris divini igne inflammatus quę domini sui erant, semper quærebat, non sua.

*S. Paulo bene hoc emblema tributum.*

7. Fuit igitur lucerna lucens, & ardens; ardens amore, & lucens sapientiâ. Lucerna, sive facula vivit propriâ morte, quia flamma quæ ipsam destruit, dat pariter vitam; dum enim flamma extincta est, mortua dicitur facula. Talis fuit S. Paulus, qui de seipso dicebat; *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*: Quasi diceret, Christus, qui mea flamma est, mihi vitam tollit, quandoquidem non amplius in meipso vivam, sed ille in me, ipse mihi vitam tribuit. Testimonium amorosi ignis sanguis fuit, in lac mutatus, quod abscisso capite prodiit. Philosophi dicunt, lac esse sanguinem biscoctum, sanguis S. Pauli, semel naturali cordis calore coctus, deinde igne amoris divini recoctus, lac factus est. Omitto quæ SS. Ambrosius, & Augustinus referunt; Deum hoc admirabili prodigio indicare voluisse, S. Paulum fuisse quasi nutricem Christianismi, ipsique doctrinam cælestem velut lac dulcissimum subministrasse, hocque candidissimo lacte puritatem, animique candorem demonstrasse. Adjungere hîc possem per hoc voluisse Deum maximum S. Pauli ostendere desiderium sanguinem suum pro Christo effundendi. Sicut enim mulier uberibus nimio lacte repletis, quærit puerum qui illa

*Galat. 2. 20.*

*Cur abscisso capite lac loco sanguinis effluxit?*

*Variæ rationes istius.*

illa fugat, ne ex abundantia infirmitatem contrahat; sic S. Paulus lacte supernæ dulcedinis plenus cupiebat illud effundere, & pro Christo spargere, unde dicebat; *cupio dissolvi, & esse cum Christo*; ideo ne gutta quidem sanguinis in venis illius reperta est, quæ in lac conversa non fuerit.

Philipp. 1. 23.

*Christus pro amore S. Pauli maximè zelosus.*

8. Dicunt SS. Patres Deum noluisse Angelum pro redemptione generis humani mittere, sed voluisse in propriâ venire personâ, ne aliqua invidia, aut zelotypia amoris intercederet; nec homo ullam haberet occasionem se transferendi à Creatore ad creaturam. Simili quoque amoris zelo in S. Pauli conversione videbatur accensus; non enim Angelum aut Sanctum aliquem mittere voluit, sed in propriâ venire personâ, quid hoc sibi vult, ô Deus altissime? deerántne Majestati tuæ administratorii spiritus? Non erat ibi S. Petrus qui unicâ concione tria hominum millia convertit? & Philippus quem ad Eunuchum Reginæ Æthiopum misisti? Non ibi erat Joannes qui de pectore tuo cæleste hauserat doctrinam? Quis umquam vidit Regem aliquem exire è palatio, ut servum fugitivum vocet? An forte ita durus, & obstinatus erat Saulus, ut neminem vocantem audivisset? Nihil horum subesse credo; sed Dei zelus amoris fuit, ne S. Paulus qui vas electionis erat futurus, & nomen Dei gentibus prædicaturus, alium agnosceret præter Deum. Pulchrè ad hoc deservit S. Dionysii Areopagitæ doctrina; Deum nempè sua mysteria præcipuis Angelis revelare, & mediantibus illis aliis inferioribus: unde S. Bernardus colligit Gabrielem Archangelum fuisse unum ex præcipuis, quia immediatè à Deo missus fuit: & S. Paulus dicebat: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Quod tamen congruere non videtur cum doctrina Angelici Doctoris, & aliorum dicentium esse quosdam Angelos, qui nunquam à divinâ præsentiâ recedunt; alios verò esse qui ob varia negotia, in terram mittuntur, juxta visionem Danielis Prophetæ dicentis: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

*Cur S. Paulo Christus apparuerit!*

*Quomodo Angeli cognoscant mysteria?*

S. Bernard. serm. *supra missus est.*

Hebr. 1. 14.

Daniel. 7. 10.

*Angeli assistentes & ministri.*

9. Hæc tamen convenire poterunt, dicendo supremos Angelos nunquam è cælo descendere, sed inferioribus indicare ea quæ Deus nobis dare disposuit, sic omnes nobis famulantur, & per consequens, *Omnes sunt administratorii spiritus.* Iuxta hanc ergò doctrinam videtur Deus debuisse Angelis supremis revelare, ut alios destinarent, qui Saulum illuminarent; noluit tamen per alios, sed per seipsum illuminare, & inflammare, quasi nullus Angelus mandatum illud exequi potuisset. Licet enim Apostoli omnes à Christo vocati fuerint, & illuminati;

Hebr. 1. 14.

*S. Pauli excellentia.*

nati; hoc tamen factum est cùm Christus in carne cum hominibus conversabatur. Sed S. Paulo hæc gratia facta est à Christo jam immortali, & glorioso; in quo statu noluit se tangi à Mariâ Magdalenâ, sed ut illam consolaretur, dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*: quasi diceret, habebis sufficiens tempus me videndi usque dum ad Patrem ascendam. tunc quippè non ampliùs permittetur alicui mortali ut me videat.

Ioan.20.17

*A Christo jam glorioso vocatus.*

10. In hoc cum S. Paulo dispensatum fuit, ita ut voluerit quasi iterum de cælo pro salute ipsius descendere. Quod privilegium adeò est singulare, ut S. Thomas inquirens, cur S. Petrus à sinistris S. Pauli Romæ depictus sit, dicat hoc ipsi concessum, quia à Christo jam immortali, & glorioso fuit vocatus, S. Petrus verò dum hìc in carne cum illo degeret. Quæ responsio cum illâ sententiâ congruit, quæ data est in favorem Xerxis Regis, qui contendens cum fratre suo majore nato de Regno, licet omnes leges, & jura faverent primogenito tamquam hæredi primario; sententiam tamen habuit faventem, quia natus erat regnante Patre; alius verò cùm regnum nondum esset adeptus. Dicebant enim judices, accipiat Artabanus hæreditatem Patris sui, quàm ante Regnum habuit, Xerxes autem Regnum quod postmodùm adeptus est. Ita dicere videtur S. Thomas S. Petrum factum esse successorem Christi in terreno principatu, quod proprio sanguine acquisivit; sed sanctum Paulum filium & hæredem esse Regis gloriæ, sicque à dextris ipsius collocari debere. Propterea assimulatur Benjamin, filio dextræ. Non videbatur Paulus filius carnis, aut sanguinis; non filius mulieris fragilis, sed potentissimæ dextræ excelsi; & ab ipsâ quasi sagitta emissa, juxta illud Davidicum; *Sicut sagitta in manu potentis, ita filii excussorum.* Ex istis erat, de quibus S. Ioannes ait; *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

*Xerxes quomodo Rex factus?*

*S. Petrus successor Christi in terris, S Paulus hæres gloriæ Christi.*

Psal.126.4.

Ioan.1.13.

11. Videtur magnum aliquid de Prophetâ Davide velle insinuare Sapiens dicendo: *Quasi adeps separatus à carne; sic David à filiis Israel.* Sed quæ excellentia in pinguedine reperitur, ut tanto Regi assimulari possit? Pinguedo carens sensu, & vitâ, in animalibus non est necessaria; caro autem animata, vivit & sentit, sine quâ nullum animal vitam ducere potest: quomodo ergò non erit nobilior? In Scripturâ quoque Sacrâ pinguedo in malam partem accipi solet; *Impinguatus est dilectus, recalcitravit, & prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Pulcherrima tamen similitudo est: quam ut intelligamus, advertendum est id quod Galenus ait; pinguedinem carere sanguine, licet ex sanguine generetur; carere autem sanguine maximum

Eccl.47.2.

*David quomodo adipi assimulatus?*

Psal.72. 7.

*Bonæ qualitates adipis.*

Galen. lib. 2. de natura facult. cap.3. & 13. de usu par. cap. 2.

maximum est beneficium, Davide teste; *Libera me de sanguinibus Deus*: quod ergo cum tanto affectu petebat, obtinuit, ut fieret pinguedo sine sanguine, hoc est, absque carnali affectu, & culpâ. Pinguedo semper eadem manens, nullum sentit dolorem, & semper humida est; unde ordinariè conjuncta est partibus nervosis, & siccis, quas fovet ne totaliter exsiccentur, & indurentur. Instar pinguedinis fuit Propheta David in prosperitate, in adversitate, in injuriis, semper eandem devotionem, & pietatem erga Deum exercens, videbatur insensibilis in injuriis, & maledictionibus Saulis, & Semei; erga pauperes denique totus benignus. Sed meliùs fortè dicemus, Ecclesiasticum alludere ad sacrificia hostiarum pacificarum, in quibus licet totum animal sanctum esset, & Deo oblatum; pars tamen una Sacerdotibus, alia offerentibus concedebatur: pinguedo verò totâ igne quasi pars inter omnes sanctior cremabatur. Sic Propheta David in populo Israël, pars sanctior inter omnes Sanctos erat. Cùm enim alii propria quærerent commoda, David totaliter laudibus divinis intentus, seipsum igne divini amoris totaliter consumebat, ut nihil præter honorem divinum attenderet.

Psal. 50. 16.

*Pinguedo nihil sentit; sic David non sentit injurias.*

*David non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei.*

12. Quod de Prophetâ Davide huc usque diximus, potiori ratione S. Paulo Apostolo convenit. Vultis videre pinguedinem à carne separatam, audite illum conversionem suam referentem: *Cùm autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, continuò non acquievi carni, aut sanguini*, id est, non accessi ad parentes mihi sanguine junctos, non permisi ut in me dominaretur affectus carnalis, non respexi Iudæos ex quibus ducebam originem; atque ita ut sanctus Thomas ait: *Vitia sua superavit, & Iudæos suos contempsit.* Quod ergò multis annis magnisque laboribus obtinuit David; Paulus in primo conversionis instanti est consecutus dicente S. Thomâ: *Ita perfectè fuit conversus, quòd omnis carnalis affectus ab ipso recesserit.* Fuit ergò sanctus Paulus ut pinguedo separatus à carne, insensibilis in injuriis, dū enim Spiritus sanctus prædiceret, multa illum debere pati, intrepidè respondit; *Nihil horum vereor.* Sibi ipsi quoque similis, Corinthiis dicebat: *Nunquid levitate usus sum? aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non?* Nulla similitudo ipsi magis congruere videtur, quàm pinguedinis separatæ à carne, cùm dicat se nullam cogitationem carnalem habere; seque omnibus omnia fieri: *Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor?* Fuit denique ut pinguedo dedicata Deo, cùm inter Sanctos Ecclesiæ primitivæ, majori amoris divini flamma exarserit, ac totaliter à rebus terrenis abstra-

*S. Paulus Davidi comparatus.*

Ad Gal. 1. 15.

S. Thomas in exposit. hujus loci. *Perfectior Davide fuit.*

S. Thom. ubi suprà.

Actor. 20. 24.

2. Corint. 1. 17.

2. Corint. 11. 29.

*Totaliter Deo dicatus.*

ctus, se totum Deo dicaverit, ideò se servum Iesu Christi scribit, & nominat, magis hîc æstimans titulum quàm si Rex totius universi appellaretur.

13. Quis referre poterit, quàm magna lux, & splendor, prædicationis & doctrinæ ejus fuerit? Si lucernam clarè splendere velimus puriori oleo implere necesse est; quod oleum purius, pulchrius, aut aptius ad clarissimam formandam lucem fuit, quàm illud, quo plena erat lucerna Pauli? Fuit oleum de quo Sponsa in Canticis: *Oleum effusum nomen tuum.* Videtur sanè Christus pulcherrimā voluisse aptare lampadem quæ totum mundum illuminaret, dum dixit Ananiæ: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus; & ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Vas* ecce locus capax; *ut portet nomen meum*, ecce oleum; *& ego ostendam illi*, ecce lucem quam communicat. Ingens quoque hæc lux fuit; etenim cùm S. Petro claves suæ potentiæ dederit, S. Paulo claves scientiæ tribuit; unde S. Petrus ipsum laudat dicens: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi scientiam.* Sapientia hæc tam sublimis extitit, ut magister Angelorum esse videretur: Magnum est sanè mysterium, quòd purissimi isti, & beatissimi spiritus, qui clarissimâ perfruuntur beatitudinis luce, qui toti sunt intellectus, debeant aliquid à S. Paulo ediscere, ita tamen rem se habere S. Spiritus per os ipsius testatur dicens: *Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*: Ita ut Paulo prædicante, descenderent Angeli ut doctrinam ipsius perciperent, & intelligerent nova mysteria quæ proponebat, fuerunt ergo ejus discipuli. Cùm enim fuerit magister & Doctor Ecclesiæ Dei, per quā (ut in citata scriptura dicitur) Angeli apprehendebant mysteria cælestia, per consequens ut discipuli addiscebant.

*S. Paulus clara lucerna.*

Cant. 1.

*Luxit toti mundo.*

Actor. 9. 15.

2. Petr. 3. 15.

*Magister fuit Angelorum.*

Ad Ephes. 3. 10.

14. Fuit lucerna S. Paulus, quæ solet tenebras noctis depellere, ac particulariter doctor gentium, in tenebris infidelitatis sedentium, sicut S. Petrus Apostolus Hebræorum, quibus sol divinæ legis apparuerat à Deo ordinatus fuit, ut de utroque dicere possimus, *fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus*, S. Petrum, *ut præesset diei; & luminare minus* S. Paulum, *ut præesset nocti*: non quia minorem haberet lucem doctrinæ, sed quia tantam dignitatem in terris non esset adeptus. Fuit quoque Sanctus Petrus columna nubis quæ populum Hebræum per deserta ducebat, propter continuam lachrymarum emissionem quâ velut nube populum per deserta pœnitentiæ ducebat: & Sanctus Paulus columna illa ignis quæ populum

*Gentilitatis tenebras splendore suo effugavit.*

Gen. 1. 16.

*S. Petrus & Paulus duo luminaria cæli.*

pulum de nocte ducebat, igne quippè divini amoris succensus conflagrabat. Vnde ipsi meritò illud Isaiæ attribuere possemus: *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* Magnam siquidem fidei claritatem populus gentium ex S. Pauli prædicatione accepit, cùm universum mundum suâ doctrinâ illustraverit; Græci, ut eloquentiam Platonis extollerent dicebant, si Deus voluisset loqui Græcè, non aliâ linguâ quàm Platonis usus fuisset. Potiori jure dicere possemus, Deum ut hominibus fidem suam manifestaret, linguâ Sancti Pauli usum esse: unde de seipso aiebat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Cùm siquidem Deus Hebræis, Romanis, Corinthiis, Ephesiis, Galatis, & reliquis populis fidem annuntiare statuisset, ubique linguâ Sancti Pauli usus est, quem propterea ad omnes misit gentes.

Isaiæ 9. 2.

2. Corint. 13. 3.

15. Benè quoque S. Paulo applicare possumus dictum illud: *Non quærit quæ sua sunt.* Quis enim umquam à proprio commodo, & emolumento longiùs abfuit sancto Paulo? qui non solùm contemnebat lucra, sed detrimenta reputabat: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum detrimenta.* Magni fit qui temporalia contemnit, sed qui gloriam æternam, & salutem perpetuam pro amore proximi contemnit, pluris fieri debet; quod S. Paulus egregiè est assecutus: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quis denique ignorat quantum se instar faculæ destruxerit, ut proximum lucrifaceret? *Quis infirmatur,* inquit; *& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Non dubito ipsum ex proventu prædicationis vivere potuisse, inter tot tamen negotia, victum propriis manibus consequi non abnuit, plurimas tribulationes, persecutiones, & calamitates ipsius prætermitto, cùm istarum non reperiatur finis: referam solùm, quod S. Gregorius Papa de ipso breviter scripsit: *Pensemus, si possumus, cujus hoc mansuetudinis fuerit, panem spiritus prædicare, & panem carnis non accipere: corda audientium de divitiis æternis instruere, & inter eosdem discipulos fideles & abundantes fame laborare: inter satiatos pati inopiam, nec tamen quod patiebatur dicere vel dolere: videre dura erga se corda, audientiam tenacium, nec à prædicatione desistere, verè in hoc Paulus, verè magister gentium. Sua negligens, aliena curans, implevit quod prædicaverat; nemo quod suum est quærat, sed quod alterius, & non quæ sunt sua singuli cogitantes, sed ea quæ aliorum.* Totum hoc, ex inflammatâ ipsius procedebat charitate, quæ in ipsum transformata videbatur, ut hoc testatur os illud aureum: *Vt enim* (inquit Chrysostomus) *missum in ignem ferrum, totum profectò ignis efficitur*

*Bene hoc dictum ei applicuimus.*

Ad Philip. 3. 7.

*Omnia contempsit propter Deum.*

Ad Rom. 9. 3.

2. Corint. 11. 29.

*S. Paulus sibi victum quærebat.*

S. Gregor. homil. 18. in Ezech.

*Maxima charitatis inflammatio*

S. Joannes Chrysost. homil. in côment. S. Pauli.

*ficitur; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset Pater, ita amore hominum ipsos imitabatur parentes, imò cunctos pietate, & solitudine superabat*. Vnde dicebat Galatis: *Filioli mei quos iterum parturio*, non sufficiebat semel parturiisse, sed iterum illos adjuvare voluit: *donec Christus formetur in vobis*: tantâ quippè solicitudine illos enutriebat, ut nollet finire, donec sciret illos perfectè Christum fuisse assecutos.

Ad Galat. 4.19.

IN

# IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

## DISCURSUS DECIMUSOCTAVUS.

### *De fragilitate muliebri & efficacia ac pretio lachrymarum.*

### Vas fictile quo irrigantur horti.

### *Attraxi spiritum.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

FRagilitatem muliebrem, ac malarum vilitatem describit. 12. primis numeris.

*S. Magdalena per lachrymas perfectam conversionem consecuta est.* 13. 14. 15. 16.

*Lachrymæ sunt pretiosissima & donum Dei.* 17. 18. 19.

*S. Magdalena à Christo summis laudibus decorata.* 20. 21. 22.

*Cur septies ab Angelis in altum elata,* 23.

*Cur non prohibita flere.* 24. 25.

*Hoc emblema bene S. M. Magdalenæ convenit.*

I. I quis historiam Evangelicam à S. Lucâ contextam perlegerit, & adverterit ea quæ de sanctâ Mariâ Magdalenâ narrat, facilè cognoscere poterit, quàm aptè hoc ipsi emblema conveniat. Tria nimirum de ipsâ in hoc Evangelio specialiter referuntur, Primò, *Mulier quæ erat in civitate peccatrix*: secundò, *lacrymis cœpit rigare pedes ejus*; tertiò, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ omnia pulchrè in nostro emblemate repræsentantur; primum, in vase testaceo fragili, & aqua ad irrigandum pleno: secundum, in aquâ quæ guttatim effluit: tertium, in inscriptione, *Attraxi spiritum*, spiritus enim ille, amore ipsam replens, peccata remitti fecit. Ad primum quod attinet, ignoscere mihi debent omnes mulieres, quæ licet pulcherrimæ, & speciosissimæ videantur, non tamen aliud sunt, quàm vasa fictilia, & paululum terræ simul coagulatum. Nec mihi objiciant virum ex terrâ; mulierem verò ex nobiliori materiâ, costâ nimirum Adami formatam. Idem enim est ac si diceretur

*Lucæ* 7. 37.

*Tria in eo repræsentantur.*

*Psal.* 118. 131.

*Mulieres non viris nobiliores quia ex costa Adami.*

Deum ad formandũ virum conscidisse partem novi panni; dum autem mulierem formare vellet, non judicavit necessariũ novam assumere materiam, sed ex vestibus Adami jam antiquis partem superfluam accepit, ex quâ Evam formavit. Vnde sicut paterfamilias multos habens filios majoribus novas cõficiens vestes, minoribus bus vestes majorum aptari curat.

*Sed ideo deteriores.*

Nec propterea minores alterâ vestiti sunt materiâ quàm majores, sed ex eâdem anteâ gestatâ. Pariter Deus, postquam vestiverat Adam novâ terrâ, cùm Evam etiam induere cuperet secundò genitam, noluit novâ uti materiâ, sed ex antiquâ materiâ Adami sumens unam è costis ejus, ejus loco novã materiam restituit, quia *replevit carnem pro eâ*, ita ut maxima foret stultitia dicere mulierem aliâ materiâ esse vestitam quàm virum: sed ex eâdem veteri & usitatâ. Meritò ergò tam mulier quàm vir, ratione materiæ vocari possunt vasa fictilia; hâc enim similitudine Deus usus est, dum per Ieremiam Prophetam dixit: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu meâ dicit Dominus.*

Gen. 2. 21.

*Mulier & vir ex eadem materia.*

Jerem. 18. 6.

*Vas testaceum fragile & vile.*

2. Duas quoque alias conditiones habet vas fictile, primam, quia est fragile, secundam, quia est vile, & abjectum: per primam meliùs repræsẽtatur mulier quàm vir, per secundam meliùs peccatrix quàm sancta. Vas testaceum fragile admodum est, idcircò Regius Propheta David ut significaret Principes hujus mundi non potuisse resistere Salvatori nostro, ipsos vasi fictili assimilavit, dicens: *Reges eos in virgâ ferreâ, & tamquam vas figuli confringes eos.* Maximo illos affecit honore dicens eum virgam ferream assumpturum, ut ea cõfringeret, ligno enim vel saxo uti potuisset, eaque frangere mutuâ concussione. Clariùs hoc Propheta Daniel expressit, dum statuam illam mysterio plenam, quæ Nabuchodonosori in somnis apparuit, describeret, dicẽs habuisse illã pedes partim ferreos, partim fictiles, quod explicãdo dicebat; *Digitos pedum ex parte ferreos, ex parte fictiles, ex parte Regnũ erit solidum, & ex parte contritũ.* Non dixit; *fragile*, *& conterendum*, sed *contritum*, cùm enim ex fictili materia esset, reputabatur jam confractum. Hancne conditionem admittet mulier in se potiùs quàm in viro? Mihi persuadere nequeo, & si ipsius rationes audiamus, magis fatigabimur verborum copiâ, quàm disputatione. Rationem tamen valde urgentem in favorem ejus adducamus, ordinariè siquidem videmus viros à mulieribus superari. Nullaque certior victoria, quàm fugâ acquiritur: teste Salomone, qui de blandimentis mulieris ait: *Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius; multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Nota eum dicere: *fortissimi quique*, non

Psal. 2. 9.

Daniel. 2. 43.

*Mulier non videtur vas fragile.*

Proverb. 7. 26.

*Viros superare solet.*

non fragiles, aut debiles, qui non solùm victi, sed etiam occisi sunt *ab ea*, ab una scilicet muliere, non à pluribus; quomodo ergo dicere poterimus, ipsam esse fragilem & non potiùs fortissimam? Non discedendo ab inchoata metaphora dico si cognoscere velimus, quodnam vas magis sit fragile, & quod magis solidum, simul concutiendo multa vasa illud experiemur; quod rumpitur fragilius est, quod remanet integrum, fortius. Sic in viro, & muliere contingit, vir non potest resistere dum à muliere tangitur, sed subitò frangitur; unde S. Paulus dicebat: *Bonum est homini mulierem non tangere*, non dixit cavendum à muliere tangenda, quia subesset periculum fractionis propter fragilitatem, ut dicere solemus iis, qui vitra tractant; sed propter proprium bonum dixit, ne seducatur ab illa. Inter omnes fortissimi sunt Reges, nihilominus in publico illo consilio Darii Regis, fortior fuit judicata mulier. Diogenes similiter appellabat mulieres Reginas Regum, quia eos gubernant, ut sæpissimè visum est, quomodo ergò non dicatur fortiorem viro esse mulierem quæ omnes superat?

*Vir non potest mulieri resistere.*

1. Corint. 7. 1.

3. Esdræ 3. 11.

3. Debiles nimiùm nos ostenderemus, si propter has apparentes rationes, cederemus mulieribus, concedentes eas nobis prævalere: qui validissimis rationibus, firmissimisque argumentis tamquam fortissimis militibus, & munitionibus defendimur. Peripateticorum Princeps dicebat tantam esse differentiam inter mulieris, & viri fortitudinem, ut sicut injuriam faceremus mulieri dicentes, ipsam esse honestam, & pudicam instar viri: sic viro dedecus esset ipsum vocare fortem, ut mulierem; quod Ieremias de militibus Hebræorum dicebat, *Devoratum est robur eorum, facti sunt quasi mulieres*: Ita ut essentialis differentia inter virum & mulierem sit fortitudo, hæc enim à viro ablata, non videtur amplius vir sed mulier. Nec major injuria militi fieri potest, quàm si mulier appelletur. Plutarchus inquirens, cur non liceat consanguineos simul matrimonio cōjungere, rationem reddit, ut succurreretur infirmitati muliebri, quæ si à maritis injuriâ afficeretur, recurreret ad parentes, & cognatos. Quintilianus dicit matrimonium institutum, ut mulier fragilis adjutorium à fortitudine viri assumeret; Aristoteles quoque ait, iniquius esse occidere mulierem, quàm virum, qui licet dignior sit, illa tamen infirmior est ad injurias perferendas: hoc ipsum etiam in juribus, & legibus fundatum est, ubi Glossa refert hoc distichon:

*Rationes mulierum non convincunt.*

Ieremiæ 51. 30.

*Fortitudo viro propria, non mulieri.*

Plutar. in problem. cap. 119.

Quintil. in declar.

*Mulier fragilis & levis.*

Lege connubiali nu. 71. & c. cap. fortis de Verbor. significat.

*Quid levius fumo? flamen; quid flamine? ventus.*
*Quid vento? mulier: quid muliere? nihil.*

Verbum *mulier* hoc indicat, quod idem

idem est, ac *mollis aer*: id est, sine ullâ resistentiâ, aut fortitudine, nec aër solùm fragilitatem mulieris exprimere potest, ei adjungendũ est epithetum *mollis*, id est, fragilis, & delicatus. Meritò ergò sapientissimus Salomon impossibile judicavit, mulierem fortem reperiri posse, quare dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et ne quis credat inventæ imponenda difficilia, ad nihil aliud utilem judicavit, quàm ad custodiendam domum, cui inter cætera in sinistrâ manu colum tribuit, in dextrâ fusum. Sanctus Petrus hoc confirmat, sub metaphorâ vasis, dicens: *Viri quasi infirmiori vasculo muliebri, majorem impartientes honorem.* Nec sapientes mulieres hoc ipsum negant. Cùm Bulgarorum Rex contra sapientissimam Imperatricem Theodoram bellum pararet, misit ad eum nuntium, qui diceret; recordari eum debere, contra fœminam sibi bellandum; quam si vinceret, parum honoris consequeretur, si verò vinceretur, maximam infamiam pateretur. Quâ ratione victus abstinuit.

*Proverb. 31. 10.*

*Mulieris officium gubernare domum.*

*1. Petri 3. 7.*

4. Rationem autem, cur mulier fragilior, & imbecillior sit viro, assignare licet, quia humidioris & frigidioris est naturæ, teste Aristotele; calor enim naturalis addit viro fortitudinem: habet etiam mulier membra molliora, & magis delicata, quæ omnia sunt argumẽta minoris fortitudinis, non solùm corporis, sed etiam animi, qui sequi solet corporis constitutionem. Vnde Ovidius:

*Mulier fragilior, quia natura frigidior.*

*Arist. lib. 18. de animalibus.*

*Ovidius in epist. ad Leandrum.*

*Vt corpus teneris, sic mens infirma puellis.*

Si infirmior viro est mulier, quomodo ab illâ vincitur? victoria non semper est argumentum majoris fortitudinis, casu enim quandoque vincitur fortissimus, & fortuna sæpè debiliores adjuvat. Dicere ergò possumus mulieres vincere, non fortitudine, sed astutiâ, malitiâ, fraudulentiâ, & blanditiis. Hæ enim dotes, solent imbecillitatem comitari, ut Plato dixit: *Fœmina quidem aliud genus hominum est, & differens, nobisq; occultiùs, & versatiùs natura est, propter imbecillitatem.* Hoc modo superati fuêre fortissimi, & sapientissimi viri, quorum pleni sunt sacri codices; Job ut ostenderet se non esse à muliere superatum, dixit: *Si deceptum est cor meum super muliere.* Possem dicere illos victrices evadere, quia crebrò à potentioribus adjuvantur, sunt enim quandoque instrumenta diabolica, illarum enim malitiam, astutiam, & blandimenta assumit diabolus, ad decipiendas animas, sicuti contigit in primâ muliere Evâ, & aliis. Vincunt etiam, non quia fortiores, sed quia imbecilliores, victoria siquidem illarum in eo consistit, quòd viris propriam imbecillitatem communicent, illos effeminatos reddentes; cùm enim facilius sit ex perfecto imperfectum

*Mulieres vincunt viros non fortitudine sed blanditiis & astutiâ.*

*Plato dialogo 6. de republ.*

*Iob. 31. 9.*

*Viros effeminatos reddunt.*

ctum efficere, quàm ex imperfecto perfectum, nil mirum, virum citiùs à muliere converti, quàm mulierem à viro; sicuti sanus faciliùs ab infirmo contaminatur, quàm infirmus à sano recuperet sanitatem. Sicut etiam vipera occidit hominem vel taurum, non quia fortior, sed quia malignior: sic vincit mulier non fortitudine, sed malignitate veneni, quod in corde viri infigit: unde dicit Sapiens nullam malitiam excedere malitiam mulieris, & præstare cum draconibus, quàm cum muliere nequam commorari. Vincunt quandoque, non putantes superare, ita ut victoria non ipsis, sed imprudentiæ, aut vecordiæ virorum sit ascribenda.

*Malitia mulierum summa est.* Ecclef. 25. 23.

5. Concludamus ergò verissimum esse, virum multò fortiorem esse muliere, meritoque illam vocari vas fictile, sive ut S. Petrus, inquit, vasculum infirmius. Sed hinc aliud pulcherrimum exoritur dubium, quomodo valeat illa consequentia quam S. Petrus infert, mulier est vasculum infirmius, ergò debet magis honorari? Vbi enim est auditum, imbecilliores magis honorandos? fortioribus honores, & præmia dari solent, ita antiqui in ludis, luctis, & certaminibus, fortioribus dignitates, & coronas concedebant, numquam auditum est aliquid imbecillioribus fuisse constitutum. Quomodo ergò S. Petrus inquit; *Tamquam infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*? Fortè hoc per humilitatem fieri voluit, quia in lege Christi majores, humiliores esse debent, ut Christus inquit; *Si quis videtur inter vos major esse, erit vester minister*: per consequens fortiores ab imbecillioribus sunt honorandi? At meliùs similitudine vasorum intelligemus, quid dicere velit Apostolus Petrus. Si in mensâ multa sint vasa disposita, aurea, argentea, crystallina, & aliquis velit illa accipere, & manibus tractare, permittetur aurea vel argentea sumere, & curiosè intueri. Si autem velit crystallina aut subtili vitro sumptuosè elaborata accipere, statim custos, aut herus dicet: cave ne decidant, aut frangantur; vel non permittet manibus tractari. Quid hoc sibi vult? súntne pretiosiora aureis, & argenteis? Minimè, sed fragiliora debent majori curâ tractari.

*Si vas fragile cur majori honore digna?*

1. Petri 3. 7.

Matt. 23. 11.

*Non honoratur propter excellentiam, sed propter fragilitatem.*

6. Sic voluit dicere S. Petrus, mulieré esse vas fragile, vitreum, quod facillimè rumpitur, proptereà multa cum sollicitudine attractandam, sicut etiam pro istis thecæ aptari solent quæ protegant; ita plus aliis honorantur; pariter mulier magis honorari debet, sed tali honore, qui illam protegat, custodiat, & conservet ab omni malo, quia fragilis est; sicut cùm vasarius conservat vasa crystallina, non tam honor appellari debet, quàm custodia. Idem videbantur velle dicere sodales

*Honor ejus in conservatione majori situs.*

 Spon-

Cant. 8. 8. Sponsæ in Canticis: *Soror nostra parva, & ubera non habet, quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est?* Quasi dicerent, soror nostra est vasculum, sed pretiosum, & fragile, idcircò facilè rumpi posset, quid faciemus ergò ut illam dignè conservare possimus cælesti Sponso? Respondet valdè prudenter Sponsus: Ibid. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*: paucis verbis dicere volens, numquam sufficienter mulierem custodiri: si enim intra muros conclusa est, turres cum custodibus sunt adjungendæ. *Si ostium est*; si habeat libertatem exeundi, occludamus portas illas tabulis ligni durissimi, ut omnes occasiones ad eam intrandi, aut inde liberè exeundi tollamus, ut uno verbo dicam, numquam à custodiâ cessandum est, sed semper nova propugnacula, & munitiones sunt addendæ. Argentea autem, & cedrina hæc esse debere dixit, ut ostenderet adeò esse necessaria hæc remedia, ut licet inæstimabiles thesauros in eis expenderemus, omnes tamen expensę non censerentur inutiles. Hanc necessitatem optimè intellexit Theopompus Spartarum Rex, cui cùm quispiam muros ostendisset civitatis, & interrogasset, utrùm alti & fortes satis videbantur; non profectò, inquit, si pro mulierum custodiâ facti sint: volens docere, numquam sufficere altitudinem aut fortitudinem muri, pro earum fragilitate & imbecillitate custodiendâ. Vt enim dicitur communi proverbio, mulieri sine comite custodiendæ, centum oculi Argi non sufficiunt.

*Non potest satis custodiri mulier.*

7. Tertia conditio vasorum fictilium est, quòd sint vilia, & parvi pretii: quam omnibus mulieribus applicare nolumus, ne contemni videantur: sed tantùm mulieribus mali nominis, quarum vilitatem, abjectionem, aut ignominiam sufficienter explicare non possumus. Quando significare volumus, aliquid esse vilissimum; dicimus frusto panis non esse venale; idem de muliere infami dicere licet. Vnde Sapiens: *Pretium enim*, inquit, *scorti, vix est unius panis, mulier autem viri pretiosam animam capit*: non valet frusto panis, ut Hebræus textus transfert, animam tamen viri rapit, quæ est pretii inæstimabilis. Sed si vir pretiosus propter animam æstimari debeat; quare non etiam mulier? an fortè aliqua est differentia inter animam viri, aut mulieris? Certissimè non; licet ergò mulier infamis, & vilis sit, animam tamen habet totius mundi pretium excedentem. Quomodo ergò dicitur, *pretium scorti vix est unius panis?* Respondeo, talem mulierẽ ampliùs non habere animam, quia illam perdidit, & vendidit diabolo, qui eam possidet; propterea cùm sit pars carnis sine ani-

*Vas fictile vile est.*

*Mulieres infames vilissima inter omnes.*

Proverb. 6. 26.

*Non valet frusto panis.*

Vbi sup.

animâ, pluris non est facienda quàm frustum panis.

*Cur Sapiens comparavit eam frusto panis & non alii rei?*

8. Sed cur non dixit Sapiens mulierem mundanā & infamem, denario non comparandam; fortè quia pecuniâ omnia emuntur, non pane? aut quia pecunia in variis partibus est diversa, & ut una pro aliâ non acciperetur, voluit panis frustum, commune omnibus sumere, vel quia miserrima in mundo vita est nudum panem manducare; voluit Sapiens dicere, potiùs quàm fame perire sineremus, porrigeremus illi frustum panis, omnibus delitiis indignam judicantes. Vel quia frustum panis nihili fit, cùm sit ex mensæ superfluis, voluit ostendere vix dignam esse re vilissimâ? Voluit tandem illam tractare ut canem, cui dando frustum panis, satisfit. Non ego solus mulierem infamem cani comparo, in antiquo siquidem testamento prohibitum erat, ne offerretur pretium mulieris infamis, nec canis: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Vt autem vim hujus præcepti benè perpendamus, advertendum est, apud Hebræos non fuisse rem viliorem cane; idcircò David ut ostenderet Sauli miseriam suam, dicebat: *Quem persequeris Rex Israël? canem mortuum persequeris, & pulicem unum:* & Abner videns se despectum ab Isboseth ait: *Numquid caput canis ego sum.* Animali ergò tam abjecto apud Hebræos, assimulatur mulier, quia ambo eidem legi subjiciuntur.

Deuteron. 23. 18.

*Comparatur cani.*

1. Reg. 24. 15.

1. Reg. 3. 8.

*Deus noluit offerri pretium canis nec mulieris infamis.*

9. Si Deus solùm illis templi ingressum prohiberet, res non foret tantâ admiratione digna: sed quod pretium illorum renuat, summoperè mirandum est: Pecunia enim nullam maculam, aut infamiam contrahit, licet pro re vili præbeatur. Pro quo, notanda est astutia Vespasiani Imperatoris, qui reprehensus à Tito filio suo, quod vilissimis etiam rebus tributa imposuisset, naribus ipsius denarium è simili tributo collectum admovit, dicens eum propterea non fœtere, cùm pecunia nullam maculā aut pravam qualitatem ex rebus venditis contrahat. Quamvis Deus sibi in templo aliqua animalia offerri non pateretur, voluit tamen cum aliis commutari: *Primogenitum Asini redimes ove.* Quare ergò ita abominatur pretium canis, & mulieris infamis? Voluit nos inde docere, quantum res illas abominaretur? & fortè hoc pretium injustè acceptum judicans, nolebat sibi offerri? Quidquid enim revocare potest memoriam mulieris infamis, fugiendum est; idcircò subjunxit Moyses, *Quidquid illud est, quod voveris.* Quasi diceret, licet votum sit gratum Domino; non potest communicare sanctitatem suam rebus immundis; quinimò ab ipsis potiùs

*Cur Deus hoc vetuerit?*

Exod. 34. 20.

Deuteron. 23. 18.

potiùs prophanatur; mavult etiam nulla vota sibi offerri Deus, quàm permittere, ut in domum suam pretium rei immundæ, & infamis inferatur.

*Peccata mulieris infamis, inficiunt corpus & animam.*

10. Dico insuper, ubi alia peccata solùm inficiunt animam, hoc etiam corpus inquinat, ac omnes ipsius dotes tollit. Quid enim in muliere pretiosius pulchritudine, quâ ut potiantur homines, stultescere videntur? Sed hæc est ut aureus annulus in lutovolutatus, ut Sapiens inquit: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua.* Fatua tantum significat, ac parum honesta, honestæ quippè mulieres hoc nomen non merentur. Sed quæ est hæc similitudo? Quid sibi vult in naribus istius poni annulum, & non in pedibus? Voluit Sapiens hâc uti similitudine, ut ostenderet quàm malè pulchritudo mulieri inhonestæ conveniat: in naribus quoque hunc annulum collocat; sicut enim hæc animalia quævis immunda & fœtida naribus evertere solent, quæ primò sordes contrahunt: sic pulchritudo mulieris, cùm infamis est, statim splendorem amittit, ita ut omninò deformis, & immunda fiat.

Proverb. 11. 22.

*Mulier infamis stercori assimulata.*

11. Necdum tamen sufficienter vilitatem, & deformitatem harum mulierum explicuimus, nec fortè lingua humana exprimi posset: Sapiens tamen qui omnia accuratè descripsit, hanc quoque vilitatem, utcumque attigisse videtur, dum dixit: *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur:* sicuti sordes quas nemo in domo retinere vult, sed forâs ejicit, ut ab omnibus conculcentur; & homines ab eis fœdari metuentes, illas quantum possunt fugiunt nec intueri dignantur: sic mulier immunda, & infamis adeò vilis est & abjecta, ut omnes illam execrentur & fugiant; ita ut ne tangere vel appropinquare ad illam velint, timentes certissimum periculum, quod vel in solo illius intuitu consistit: ideò omninò est fugienda. Romani antiquitùs hanc vilitatem agnoverunt; cùm enim honorare vellent mulierem quæ conditoribus suis Romulo & Remo lac præbuisset, ac parum honestam fuisse reperissent, finxerunt illos à lupâ fuisse enutritos; malentes tali bestiæ honorem nutricis tribuere, quàm mulieri infami.

Ecclici 9. 10.

*Abominabilis apud omnes.*

*Cur vasi fictili assimulata.*

12 Propter omnes ergò has rationes, mulier vasi fictili, & testaceo assimilatur. Sicut etiam vas istud multa habet foramina, per quæ aquam emittit, & recipit quantum infunditur; sic mulier semper emittendo, & recipiendo vanitates suas, numquam satiatur; quinimò semper magis, ac magis eas desiderat; unde inquit Sapiens; *Ne respicias mulierem multivolam*, varias videlicet habentem voluntates. Alibi quoque eam sanguisugæ comparat, dicens: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes affer, affer:*

Ecclef. 9. 3.

Proverb. 30. 15.

*affer*: etenim sicut illæ continuò exsugunt sanguinem; ita hæc continuò animum ad se venientium allicit. Sicut vas fictile in fornace coquitur, sic illa in fornace amoris mundani cocta est: quinimò seipsam fornacem exhibet; fornaces enim terreæ formantur, ut terra in ipsis coquatur, quia una terra in aliâ meliùs coquitur, sic in terrâ mulieris (in corpore nempè mulieris infamis) coquitur terra viri, id est, in libidine ejus accenditur. Fornaci enim assimulantur sensuales ab Oseâ Prophetâ: *Omnes quasi clibanus succensi sunt à coquente.* Hæc autem doctrina adeò vera est, ut mortuæ non perdant suam virtutem: ita refert quidam auctor cùm antiquis moris esset, ut cadavera mortuorum cremarentur, accidebat quandoque ut quædam difficillimè ignem susciperent, quibus dum mulieris cadaver apponeretur, statim ignem concipiebant, & comburebantur. Si ergò cadaver mulieris mortuæ comburi facit cadaver viri; quid non efficiet mulier viva viro vivo? Si cadaver emortuum suscitet flammam; quid non efficiet corpus, quod ex ore, oculis, & ex omnibus partibus ignem evomit? Si cadaver quod igni resistebat, ardori cadaveris muliebris resistere non poterat: quomodo resistet corpus & animus istius, qui ad corpus vivum accedens, tam facilè ac mollis cera ardorem sentit.

*Mulier infamis fornax succensa.*

Oseæ 7. 4.

Alexander ab Alexandro lib. 3. Genialium dierũ c. 7.

*Cadaver mulieris inflammat cadaver viri.*

13. Alia præterea fictilium vasorum similitudo mulieri infami convenit, hæc enim in partes varias confractà aut etiam integra solent inservire ut ignem quis conferat; unde Isaias Propheta volens maximam significare ruinam, dixit: *Comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida; & non invenietur de fragmentis eius testa in quâ portetur igniculus de incendio.* Sic mulier infamis, & nequam, dum per seipsam ampliùs malum perpetrare non potest; alios solet instigare. In sensu tamen mystico, & spirituali, hæc scriptura optimè S. Mariæ Magdalenæ appropriari potest; ipsius enim contritio peccatorum tanta fuit, ut totaliter destructa, & quasi in seipsâ annihilata fuerit, ita ut diabolus nil reperiret, quo iterum ignem illum accenderet; uti nequivit alabastro unguenti, quia illud confregit: non capillis, quia illis tersit pedes Christi, qui inde sanctificati fuerunt; non oculis, quia illos consperserat lacrymis doloris; non ore, quia abundabat suspiriis, & confessione peccatorum: non auribus, quia repletæ erant auditione verborum Christi: non membrorum contactu, quia curatus erat corpus Christi contingendo; non pulchrâ corporis compositione, quia jacebat retrò ad pedes Christi; non sensu, aut ullâ imaginatione, quia ille totaliter intentus erat servitio Christi, & doloribus peccatorum:

*Alia similitudo vasis fictilis.*

Isaiæ 30. 14.

*S. Maria Magdalenæ perfecta contritio.*

non denique ullis corporis ornamentis, quia dispersa, & dissipata erant. Non ita accidit aliis pœnitentibus; in quibus licet præ peccatorum contritione cor rumpatur, non tamen ita minutim frangitur, quin minima particula remaneat, quâ possit portari ignis, aut de novo accendi: id est, memoria seu recordatio præteritorũ delectabilium; occursus alicujus objecti desiderabilis; in vestibus aliquid elucens; in cibo & potu sensualitas; in modo vivendi, inæqualitas tempus aliquando inutiliter consumptum; aliqua denique occasio reperitur, quâ ignis extinctus reaccendi possit.

*Nihil in ipsa mali remansit.*

14. Sed únde Magdalenæ adeò perfecta conversio? initium sumpsit ex cognitione boni: *Ut cognovit quod accubuisset*: etenim priùs ut Aspis surda, cùm cor obduratum haberet, ne voces cælorum audiret, aut suavem auræ cælestis perciperet influxum; subitò ut duritiem hanc exuit abundantia pluviæ cælestis, & lacrymarum tanta erupit copia, ut cœperit rigare pedes Domini. Nec certior profectò potest esse cõsequentia, quàm quæ derivatur à cognitione ad planctum. Quando aliqua conclusio evidenter sequitur ex principiis, solent homines docti solummodo proponere principia, qui enim illa scit, facilè conclusionem inde colliget; talis est conclusio cognitionis ad planctum; ideò Salvator noster videns civitatem Jerusalem, illamque cognoscens, flevit super illam, & effectuosa illa verba protulit, dicens: *Quia si cognovisses & tu*, nullam subdens cõclusionem. Particula *si* numquid est illativa? Nónne requirit subjunctionem istius quod infert? quæ si non sequatur locutio est imperfecta? numquid auditoribus curiositatem relinquit audiendi sequentia? Sicut si vobis dicerem, si vidistis hoc, aut illud, nihil aliud subjungendo, numquid unusquisque me interrogaret quid dicere vellem? Particula enim *si* habet virtutem excitandi curiositatem in audientium animis. Cùm ergò Salvator noster perfectissimus fuerit in omnibus, quare non complet sermonem? quare auditores suspensos retinet? Quia tam est infallibilis consequentia à cognitione ad planctum, ut nullus reperiatur adeò ignorans, qui hoc non intelligat, ac inferre possit conclusionem, fleres etiam tu. Natura quoque ipsa hoc idem demonstrare videtur; etenim nullum aliud principiũ fletus dare voluit quàm cerebrum, membrum cognitioni deserviens, nec aliud instrumentum quàm oculos ad videndum, & cognoscendum destinati, qui enim videt & cognoscit, plangit, & qui multùm videt & cognoscit, multùm plangit, & qui parum videt & cognoscit parum plangit.

*Per cognitionem tam perfectè conversa,* Lucæ 7. 37.

*Ex cognitione ad lacrymas pervenit,*

Lucæ 19. 24.

*Optima consequentia de cognitione ad planctum.*

15. In magno illo mundi theatro, stricta videtur esse amicitia inter lucem

*Magna affinitas inter cognitionem & fletum.*

lucem & aquam, ſymbola cognitionis & lacrymarum; vix enim lux formata erat, quin ſubitò diviſit Deus aquas: quinimò primò dictum erat: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: quid hoc ſpiritu intelligitur? ventus? quis hunc per exhalationes, aut alias qualitates produxerat? An tertia perſona in Trinitate? tunc potiùs dixiſſet, *Super cælos*, ut David dicit: *Verbo Domini cæli firmati ſunt; & ſpiritu oris eius, omnis virtus eorum*. Explicet ergò nobis quid per hunc ſpiritum debeat intelligi Sapiens qui omnia perluſtravit, & dixit: *Luſtrans univerſa, in circuitu pergit ſpiritus*: per hunc ſpiritum lucem intelligens, quæ circa totum mundum girat, ſpiritum & vitam omnibus tribuens. Per figuram ergò Rethorices, quam præoccupationem vocamus, multum in ſacris litteris uſitatam, dictum eſt, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, illas confortans, calefaciens, & fovens. Poteſt ergò dici S. Mariam Magdalenam fuiſſe mundum aliquem, non ſolùm quantum ad eſſe naturale, quia homo vocatur microcoſmos, id eſt, parvus mundus; ſed quantum ad eſſe gratiæ; quia in ipsâ apparet terra humilitatis, ſtat enim retrò; aqua lacrymarum, aër ſuſpiriorum, ignis amoris divini, cælum gratiæ cum ſeptem planetis, ſeptem ſcilicet Spiritus ſancti donis, & cæteræ virtutes ſunt ſtellæ fixæ. Quid ergò mirum, ſi in ipsâ quoque poſt

Geneſ. 1. 3.

*Per ſpiritum ſuper aquas Spiritus ſanctus intelligitur.*

Pſal. 32. 6.

Eccl. 1. 6.

Gen. 1. 3.

*S. Magdalena mundo comparata.*

formatam lucem, *ut* (videlicet) *cognovit*, ſequitur diviſio aquarum, ſpargendo lacrymas ſuper cælum ſui Salvatoris, & ſupra terrã propriæ miſeriæ? ita ut vocari poſſit, myſticus ille fons, de quo in libro Joſue fit mentio, *fons Solis nuncupatus*; fons videlicet cauſatus à Sole, aut in quo ſe lavat Sol, aut unde naſcitur, aut per quem videtur Sol, quæ omnia in lacrymis S. Mariæ Magdalenæ verificantur: iſtæ enim ſunt cauſatæ à verò Sole juſtitiæ, lavant illum, parturiunt Solem in mente ejus qui benè illis utitur, & repræſentant ut Sol verum amorem lacrymantis. Philoſophus quidam in pectore noſtro aliquam deſiderabat feneſtram, per quam videre poſſemus affectus uniuſcujuſque; ſed ecce lacrymæ ſunt feneſtræ cryſtallinę per quas cordis affectus ſubitò cognoſcitur. Per hanc feneſtram Judæi quoq; inſpicere noverant, dum animadvertebant, Salvatorem plangere in morte Lazari, unde ardentem ejus amorem colligere noverunt, dicentes: *Ecce quomodo amabat eum*? In Magdalenâ autem mirabiles per hanc feneſtram effectus apparent: effectus contritionis & doloris propter Deũ offenſum; pudoris, quia animam propriam inquinaverat, quæ fuerat diaboli mancipium; confuſionis, quia dederat mundo ſcandalum; timoris, quia merita erat infernum; ſpei, ut obtineret remiſſionem à benigniſſimo Sal-

Joſue 17. 7

*Per lacrymas omnia cognoſcuntur.*

Joan. 11. 36.

*In S. Magdalena mirabiles effectus lacrymarum.*

vatore;& super omnia, ardentissimi amoris,qui ut Sol,&divinus ignis ipsam in tantum accendebat, ut cor ejus in lacrymas deflueret.

16. In sacro Pentecostes die venit ignis simul & ventus, aut à vento portatus, ad demonstrandum, à Spiritu sancto in nobis amorem causari; sic in S. Maria Magdalena ignis ille amoris accensus fuit à Spiritu & aurâ cælesti, de quo in principio posuimus, *Attraxi spiritum*, propterea meritò huic Spiritui lacrymæ tribuuntur; *Spiritus* enim (dicebat S. Paulus) *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Spiritus*, eccè aura divina, *gemitibus*, eccè lacrymæ ab illo causatæ. Benè quoque Sponsa dicebat in sacris Epithalamiis; *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius:* discede nempè hinc Aquilo qui es ventus frigidus, & veni Auster ventus amorosus, intra in cordis mei hortum, & fluent illius odores; qui sunt hi odores, qui fluere debent? Odor in altum ascendit, currere propriè est aquarum, quæ descendunt; qui ergò debent esse hi odores, qui currere debent? Alios esse non arbitror, quàm qui ex aquâ distillatâ spirant, fluendo enim aqua secum odores defert; quales sunt lacrymæ secum odorem pœnitentiæ deferentes. Piissimus ille Regum Propheta David, volens offerre Regi cælorum donum pretiosissimum; videtur ad hoc ex omnibus lacrymas elegisse, quas ut aquam summè odoriferam ante conspectum Dei poneret, dicebat enim; *Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*: tanti Deus illas fecit, ut ante se poneret *in lagunculâ*, ut alii legunt; sicuti odoriferæ aquæ adhibentur, ut perfruamur earum odore. Si Pharisæus hoc considerasset, non fuisset admiratus Christum admittere hanc peccatricem fœtentem, quia remedium pro suo fœtore afferebat, lacrymas scilicet contritionis; sicuti medico aliquando offerri solet quid odoriferum ne sentiat fœtorem infirmi.

Psal. 118. 131.

Rom. 8. 26.

*Lacrymæ à Spiritu sancto fluunt.*

Cant. 4. 16.

*Lacrymæ instar odoris fluunt.*

Psal. 55. 9.

*Odorem ubique spargunt.*

17. Nec solùm odoriferæ sunt hæ aquæ, verùm etiam pretiosissimæ, idcircò alii loco *in conspectu tuo*, legunt, *in thesauris tuis*, alii *in rationario tuo*, in libro videlicet Computuum. Quando aliquis dives comparat rem parvi pretii, subitò pretium solvit; rem verò summi pretii scribit in libro Computuum, suo tempore soluturus. Lacrymæ sunt merces pretiosissimæ, quia Deus illas in suo libro ponit, ut suo tempore pro iis abundanter retribuat: *Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, eccè inter debita in libro conscribuntur; optimè ergò David dixit, posuisti eas in rationario tuo; & licet in hâc vitâ Deus pro eis quandoque aliquid tribuat, hoc solùm est damnum emergens & lucrum cessans, cùm in alterâ vitâ solutio maneat integra in cælis.

*Lacrymæ pretiosissimæ.*

Matth. 5. 5.

*Abundanter Deus remunerat lacrymas.*

Nec

Nec solùm datur merces pro eis in hàc vitâ, sed tanta ut sufficiat ad omne debitum, & culpā delendam. Dicebat Alexander Magnus, unam lacrymā matris suæ sufficere ad delendas omnes querelas quæ contra eam objiciebant; sic una lacryma de corde contrito & pœnitente prodiens sufficere poterit ad delendum de libro divino omnes culpas, & debita pro iis contracta. Vt ergò habeantur aquæ adeò pretiosæ & odoriferæ benè sponsa ventum Austri exposcebat, sicut enim hic ventus vix aut numquam sine pluviâ spirat, sic suspiria ad cælum pro peccatis quasi semper lacrymas excitant. Sanctus Gregorius Papa, inquit mare rubrum in quo submersus est Pharao, figuram lacrymarum gessisse: sed cui hoc magnum attribuitur miraculum, nisi equitatui divino; sic enim inquit Sponsus in Canticis: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimulavi te amica mea*, Moyses tamen illud vento adscribit; *Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare*; cui ergò hoc adscribemus? utrumque verum esse potest, nam & venti equitatus sunt Dei, & uno ac altero modo causæ sunt lacrymarum: lacrymæ enim sanguis cordis sunt, quem in conflictu amoroso corde dulciter sauciato per oculos effundit. Hoc quoque in Christo Salvatore nostro in Cruce dulciter læso apparuit, dum ex latere ipsius sanguis & aqua profluxit, quasi ex duplici vulnere; ex vulnere carnis, sanguis venarum inhabitator; ex vulnere cordis aqua, quæ in planctū conversa per oculos effluere solet.

*Quàm efficaces sint lacrymæ.*

Cant. 1.9.

Exod. 15. 10.

*Lacrymæ sunt sanguis cordis.*

18. Venti ergò affectuum & passionum, sunt equitatus, qui ita fortiter cor concutiunt & feriunt, ut sanguinem lacrymarum effundat. Sunt lacrymæ fluctus maris tempestuosi, qui ascendentes littora oculorum, inde fletum, & planctum eliciunt. Mare hoc solùm ex furiosis ventis nostrorum affectuum intumescit: lacrymæ sunt cælestis pluvia, quas oculus dolore peccatorum quasi nube imbriferâ completus, in planctum distillat; venti etiam nostrarum passionum modò tollendo nubes, modò conglobando, causæ sunt harum lacrymarum. Vt omittamus quoque juxta multorum expositionem, in principio creationis mundi hanc conjunctionem ventorum & lacrymarum repertam fuisse in his verbis: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Numquid videmus naturam simul suspiria & planctum copulare? Suspiria pro vento, planctus pro aquis? suspiria sunt nuntia cordis ardentis præ amore, præ desiderio, & siti exhalantis; lacrymæ amoris ardorem temperant, spe desideria, reviviscere faciunt, & delectabilem potum sitientibus porrigunt labris. Nec potus solùm, sed cibus sunt lacrymæ, juxtà illud Davidicum: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Ita

*Venti affectuum excitant lacrymas.*

Gen. 1. 3.

*Ventus & aqua in lacrymis conjuncta.*

Psal. 41. 4.

hoc videtur sanctissimus Propheta Job intellexisse, dicens: *Antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ rugitus meus.* Quasi diceret, suspiria præparare planctum, quo se in tanta afflictione cibabat.

Job 3. 24.

*Ventus amoris divini lacrymas excitat.*

19. Omnis tamen ventus non sufficit ad debitè plangendum peccata, sed requiritur ventus suavis, ventus Australis. *Deus enim ab Austro veniet*; ventus qui accendat corda cælesti amore, tunc fluent lacrymæ pœnitentiæ, & contritionis; lacrymæ quæ abluere possunt omnes peccatorum maculas. Cognoscebat optimè sanctissimus ille & patientissimus Job pretium hujus aquæ, propterea dicebat: *Si lotus fuero quasi aquis nivis; & fulserint veluti mundissimæ manus meæ.* Quem locum S. Gregorius explicans, admiratur, cur Job non loquatur de aquâ fontis, aut fluminis, cum aqua nivis cruda nimis & frigida sit, nec soleat esse pura, quia nix commixta est variis rebus. Ad hoc pulcherrimè respondet, aquam fontis aut fluminis, esse aquam è terrâ provenientem, sed aquam nivis esse aquam cælestem; tales oportet esse lacrymas, ut anima nostra iis mundetur. Tunc enim ait S. Job non solùm munda erit, sed etiam resplendens, *Et fulserint velut mundissimæ manus meæ.* Aqua quippè lacrymarum est aqua aurea, quæ non solùm lavat, verùm etiam deaurat. Est aqua, quæ è nivibus decidens, facilè condensatur & coagulatur, ita ut solida sicut crystallū effecta, lucis cælestis recipiat radios, idcircò objectū suum splendidum reddit. Hinc cælestis ille sponsus animæ plangēti dicebat: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon*: quarum aqua adeò lucida erat, ut illam inspicientes, seipsos possent intueri. Sic Deus videns animam plangentem, seipsum in eâ intuetur, & intuendo, suam imaginem in eâ format; unde anima illa supra modum pulchra efficitur.

Habacuc 3. 3.

Job 9. 30.

S. Gregor. in Job.

*Lacrymas oportet esse cælestes.*

Vbi supra. *Illæ animā exornant.*

Cant. 7. 4.

*Talibus S. M. Magdalena ornata.*

20. Talis S. Maria Magdalena effecta est, sicque Salvator illam admirando Pharisæo monstrabat, dicens: *Vides hanc mulierem?* quasi diceret: vides quàm admirabilis sit hæc mulier propter opera tam heroica; nec illam laudas? Sicut dum aliquis pulcherrimam picturam videt illam non laudans, admirantur circumstantes, dicentes: notasti picturæ istius excellentiam, non enim credere possunt, vidisse illum picturæ pulchritudinem, cùm non laudet. Quia ergò Pharisæus non videbatur cognoscere hanc mulierem, incœpit Salvator publicè variis encomiis illam prosequi. Rem profectò omni admiratione dignam; non solùm quia oportuit pulcherrimum fuisse, quod à Salvatore tantis laudibus efferebatur, ante cujus conspectum pulcherrima quæque vilescunt; verùm etiam quia hoc in ipsius præsentia præstare audet. Dum Christus Joannem Baptistam

*Et à Christo summè laudata.*

ſtam in utero materno ſanctificatum laudare vellet, non ſolùm hoc non fecit in ipſius præſentiâ, verùm etiam diſcipulorum ejus diſceſſum expectabat, ne ipſi referretur, quid de ipſo dicere volebat. Hic tamen ore pleno laudat Mariam Magdalenam etiam præſentem, & illam omni benedictione dignam prædicat. Digniſſima profectò laude fuit; ſi enim antiquitùs moris erat; ut, qui aliquarum rerum, generi humano utilium, inventores erant, in Deorum numerum adſcriberentur; ideoque Bacchus vini repertor, & Ceres frumenti, Dii reputati ſunt; quomodo non ſummoperè S. Maria Magdalena laudanda erit, quæ utiliſſimæ artis lacrymandi inventrix fuit; & prima quæ Chriſtum pro remedio animæ ſuæ quæſivit, cùm cæteri ut corporis ſanitatem conſequerentur illum ſolummodò quærerent?

*Quia prima pro animæ ſalute illum deprecata.*

21. Summis efferre laudibus mos erat eos, qui victoriam de inimicis reportaverant; ſed quis majorem nobilioremve adeptus eſt victoriam, quàm S. Magdalena? Judith adeò excellens, & fortis fuit, ut non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab inimicis ſummè laudata fuerit; pleni enim admiratione dicebant: *Una mulier Hebræa, fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor.* Quæ domus non manſit confuſa ex excellentiâ virtutis S. Mariæ Magdalenæ? Manſit confuſa domus Phariſæi, qui ſe credebat Domino lautiſſimum aptaſſe convivium, dum vidit Salvatori plus placuiſſe, convivium peccatricis. Manſit confuſa hæc magna mundi domus; illa enim peccatrix quàm mundus in tantâ æſtimatione habuit, omnia deſpexit, ipſumque mundum vincens ornamenta propria, veſtes ſplendidas, capillos capitis decus, omnis æſtimationis & honoris oblita, ad pedes Domini ſui humiliter coram omnibus ſe proſtravit, unde meritò hoc admiratus S. Papa Gregorius exclamabat: *Diſcite quo dolore ardeat, quæ flere & inter epulas non erubeſcit.* Manſit confuſus infernus, ſatanæ domus, ipſa enim quam putabat ſuis faucibus includere: non ſolùm libera evaſit, ſed & aliis viam, & modum evadendi demonſtravit lacrymis in convivio oblatis: quæ multò gratiores Chriſto fuerunt, omnibus cibis, & ferculis à Phariſæo præparatis. Unde, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, lacrymas tantam vim habere, ut nec ignis, nec ferrum eis valeant reſiſtere. Inquirendo enim cur ignis fornacis Babylonicæ, qui tot circumſtantes occiderat, nihil Regi nocuerit, cùm ad oſtium fornacis acceſſerit, & magis culpabilis eſſet, quàm miniſtri, dicit: an fortè reſpexit perſonam Regis? Ejúſne ſceptrum reveritus fuit? purpuráne ipſum perterruit, ne in perſonam ejus inſurgeret? Certum

*Maximam retulit victoriam. Judith 14. 16.*

*De ſeipſa, mundo, & diabolo triumphavit.*

*S. Gregor. hom. 33.*

*Lacrymæ potentiſſimæ.*

*Daniel. 3. 23.*

est hoc elementum nihil revereri, sed non potuit contra illum suam exercere virtutem, qui pœnitentiâ, & lacrymis armatus veniebat.

22. Longè tamen illum sancta Magdalena superavit, quæ non solùm non ab igne libera evasit; verùm etiam ignem sibi à diabolo præparatum penitùs extinxit. Vt autem à præfixo scopo non discedamus; videtur mihi S. Maria Magdalena triumphasse de hoc igne, sicut olim Deus Ægyptiorum Canopus, quem graves referunt auctores, Deum Chaldæorum miro & inusitato modo superasse. Habebat is corpus fictile plenum aquâ, undique foraminibus refertum, quibus molli cerâ obductis ne aqua efflueret, dum ignis admoveretur, repentè liquefactâ cerâ, aqua totaliter erumpens, ignem extinxit. Sic S. Maria Magdalena vas erat testaceum, & fictile ut anteà diximus, plenâ peccatorum aquâ, quia, *Iniquitatem quasi aquam biberat*, sed ignorantiæ cerâ, & sæculi vanitate, oculos obturatos habebat; at quandò ad ignem divini amoris accessit, quod factum est, *ut cognovit* propriam peccatorum turpitudinem, pœnasque sibi à Deo præparatas; tunc apertis oculis, tanta erupit lacrymarum copia, ut ignem diabolicum penitùs extinxerit, & à Domino audire meruerit; *Remittuntur tibi peccata tua, & fides tua te salvam fecit, vade in pace*: quæ primò erat Babylon præ confusione peccatorum, modò conversa est. Et à Domino mundata, cui aptari possunt hæc verba Isaiæ: *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum*. Miraculum diabolo, & inferno, cujus fortitudinem facilè devicit; miraculum toti mundo, qui de ejus sanctissimâ conversione & vita mirabiliter obstupuit; miraculum cælo & Angelis ejus, qui amorem immensum & pœnitentiam arctissimam sunt admirati.

*De igne infernali S. Magdalena triumphavit.*

Ruffinus hist. Eccl. Lib. 2. c. 26. Abul. 9. 36. in cap. 11.

Job 15. 16.

Lucæ 7. 48.

*S. Maria Magdalena in miraculum toti mundo.*

Isaiæ 21. 4.

23. Legimus in vitâ S. M. Magdalenæ eam septies in die fuisse ab Angelis in altum portatam: admiratione digna res, hîc mihi occurrit, cur scilicet post primam vicem iterum ad terram deportata fuerit, si debebat rursus elevari: nónne meliùs in alto mansisset, ne toties elevãdo fatigaretur? Apparet tamen contentionem maximam fuisse inter cælum & terram, quis Magdalenam teneret; cælum sibi adeò mirabilem conversionem adscribebat, terra retinere volebat, quod possidebat, ideò opus erat toties portari de cælo in terram, ac de terrâ ad cælum. Videtur ei accidisse ut infanti ab omnibus dilecto, qui modò ad patrem, modò ad matrem, modò ad parentes accedit, ut omnibus consolationem adferat, & ab omnibus benignè recipiatur. Vel voluisse nobis præbere exemplum, quomodo inter hæc mundi negotia, & varias occupatio-

*Cur septies ab Angelis in altum elevata?*

*Terra & cælum inter se contendebant.*

pationes vitam nostram instituere debeamus; ut nimirum nunc Deo militemus, nunc proximum adjuvemus, nunc negotia nostra exæquamur; juxta dictum Apostoli: *Sive mente excedimus Deo, sive sobrii simus vobis.*

2. Cor. 5. 13.

*Cur semper in pœnitentiâ mansit?*

24. Sed si Magdalena à Deo ita amabatur, quare semper in austerâ pœnitentiâ, & afflictione permansit? Quare non accesserunt Angeli qui lacrymas ejus ab oculis abstergerent, juxta illud Apocalypsis: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.* Quinimò dico ipsam à Deo adeò fuisse dilectam, ut noluerit ab illâ auferre tam pretiosum donum lacrymarum. Philosophi quidam dicunt, pueros plangentes non debere statim cohiberi, quia planctus ille exercitium quoddam esse videtur; quo purgantur pravi humores; sic anima pœnitens, per lacrymas foras ejicit malos affectus, & pravas inclinationes: quare non est mirandum; si statim non veniant Angeli, ut illam consolentur. Dico insuper S. Mariam Magdalenam tantam in lacrymis consolationem invenisse, ut numquam abstinere voluerit. Celeberrimus Orator Demosthenes orandi exercitium inchoavit, ut propria bona à tutore recuperaret: in quo tantam invenit facilitatem, & delectationem, ut numquam in posterum abstinere voluerit, quare tantus Orator effectus est. Non aliter sanctissima Maria Magdalena officium plangendi pro necessitate animæ suæ incipiens tantam in eo consolationem invenit, ut ne momento quidem abstinere voluerit.

Apocal. 21. 4.

*Quia lacrymæ consolationem afferebant.*

25. Salvator noster omnibus fletum prohibere solebat, unde dicebat viduæ civitatis Naim; *Noli flere;* & mulieribus qui illum comitabantur: *Nolite flere super me:* Magdalenæ autem numquam inhibuit, videbat enim ipsam optimè lacrymas expendere: sicut enim magna foret stultitia, pretiosissimum aliquod unguentum capiti præparatum, pedibus adhibere, ubi nihil proficeret; sic vanus, & superfluus est planctus, qui cùm pro animæ remedio sit ordinatus, pro rerū temporalium recuperatione, absque fructu expenditur. Jeremias Propheta mirabile quid parentibus injungebat, dicens: *Docete filias vestras planctum;* quid dicis ô Propheta sanctissime? necesse ne est filiabus ediscere plãgendi modū? Si dixisset docendos viros duros corde, non admirarer, sed filiabus, quæ sæpissimè sine causâ plangunt, imò intuitus oculi severi, aut verbum asperum illis lacrymas ciet, quid opus est addiscere? Ita, ita, dicit Jeremias, docete illas, lamentum & planctum, quò enim meliùs norunt plangere, eò ampliùs lugeant, & planctibus assuescant, nec vanè tantùm thesaurum deperdant, doceteillas qualiter in salutem animæ suæ eum possint

Lucæ 7. 13

Lucæ 23. 28.

*Optimè Magdalena sciebat plangere.*

Jerem. 9. 20

*S. Magdalena optimè docuit plangere.*

Nn expen-

expendere, erudite quanti sit meriti pro delictis dolere. Nec profectò alium hic magistrum pro tanto artificio addiscendo reperire possemus, quàm sanctam Mariam Magdalenam, quæ docet semper plangendum, dum enim flere incepit, numquam destitisse legitur. Docet quoque objectum fletus esse Christum summè offensum; quia *lacrymis cœpit rigare pedes ejus*: occasionem demonstrat, quod amoris ergò fieri debeat; *Quoniam dilexit multum*. Quæ omnes conditiones si mihi essent explicandæ potiùs calamus & charta deficerent, quàm materia planctus; ideò finem imponendo, opportuniorem locum, & tempus de eo disserendi, præstolabimur.

*Qualis debet esse planctus?*

Lucæ 7.38

Ibid. 47.

IN

# IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

## DISCVRSVS DECIMVS NONVS.

### *De ferventi zelo, & perfectâ obedientiâ ejusdem.*

### Fulgur de Cælo cadens.

### *Vsque in Occidentem paret.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*NAturam fulminis refert primis 6. numeris.*

*Quomodo fulmen & Deus timendus num.* 7. 8. 9. 10. 11.

*Iacobus & Ioannes fulmina dicti, & tonitrui filii ob ferventem zelum ostendit num.* 12.13.14.15.16.17.

*Eos totum mundum inter se divisisse probat* 18. 19.

*Qualiter cælestes sedes adepti sint. num.* 20. 21.

*Perfectam S. Iacobi obedientiam, & animi benignitatem exhibet, à numero* 23. *ad finem usque.*

*Quàm admirabile fulmen.*

1 Icut oculus corporis sine timore fulgur intueri non potest, sic absque admiratione oculus mentis illud contemplari non valet. Quisquis enim ejus originem, compositionem, naturam, aut effectus considerat; adeò admirabiles reperiet, ut non minùs confundant intellectum, quàm ad præsentiam sui, sensus exterreant. Si originem ejus inspiciamus, inveniemus ex terrâ, elemento frigido, gravi, & immobili, primò educi. Sed nullam ex his conditionibus retinere videtur. Quinimò contrarias suscipiens, non calidum solùm, sed ignitum, leve, lucidum, penetrans, ac ita inquietum, & mobile redditur ut vix in nube conceptum, ad modum viperæ, materna viscera disrumpens, maximo cum fragore in lucem prodire gestiat. Vnde admirandum non est, si à sancto Job illi serpentis nomen attribuatur: *Et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Elevatur à terrâ mediante tenui vapore, qui vix conspici potest, quis igitur crederet, ex tam vili, debilique principio, rem adeò tremendam, & vehementem sequi, qualis est fulgur?

*Ex terrâ oritur.*

*Sed conditiones ejus non retinet.*

Job 26.13.

*Unde ignis in fulmine excitatur?*

2. Quomodo ergò fulmen conficitur? Quomodo induratur & fit silex? Quomodo inflammatur? Quomodo silex, & ignis simul concurrunt? Dicitur vapor ille à frigore in mediâ aëris regione condensari; sed si ibi tantùm sit frigus; quomodo accenditur ignis? Fortè ex sphærâ elementaris ignis? Sed ignis ille non comburit, ut ajunt; si & hoc fieret, cùm longè inde distet, ac tertia aëris regio intermedia sit, non posset inde accendi: multi insuper dicunt fictum esse ignem sphæræ cælestis, quomodo ergò veram flammam in fulmine excitare potest? Ex collisione quoque duorum corporum solidorum, ut silicis & chalybis ignis prosilire potest, vel confricatione duorum lignorum lauri, vel hederæ (Senecâ teste) ignis nascitur: sic fulgur oriri potest. Sed hæc supponunt materiam solidam, & durissimam, nubes autem sunt materia tenuissima, & maximè penetrativa: & sic nullo modo fulgur, aut ignis excitari posset. Per antiperistasim dicunt alii, accenditur ignis; per violentiam nimirum contrarii frigoris, calidissima exhalatio accenditur: sed hæc violentia vires alterius benè unire, & constringere potest, sed non dare tantum vigorem, quinimò illas debilitat & destruit. Velocitas motus dicunt alii, illius est causa: motus quippè est causa caloris, sic ex vehementi, & continuo motu generatur sæpè ignis. Hoc verum esse dico, quando unum movetur contra aliud, sed si solum moveatur, licet celerrimè vertatur, non inflammatur, maximè si sit tenue aliquid, & rarum, ac natura frigidum, ut exhalatio illa terrestris. Quis denique agitat, aut movet in tantum istum vaporem ut inflammetur? Et quomodo potest flamma adhærere petræ, aut cum ipsâ uniri, ut videmus in fulgure?

*Seneca lib. 2. cap. 31.*

*Variæ rationes istius.*

*Quomodo tantus excitatur fragor?*

3. Quid denique de origine fulguris proferam, quomodo è nube egreditur? Quomodo tantùm excitat fragorem, ut omnes perterreat? Fortè quia nubes illa rumpitur? Sed quomodo dum in montium cacuminibus rumpitur, & contra illos quatitur, non eumdem excitat sonum? Si etiam partes nubium inter se non sunt unitæ, quomodo possunt rumpi? Et si disruptio nubis prior est exitu fulguris, quare illud priùs videtur, quàm audiatur fragor? Fortè quia oculus velocior est auditu? Sed hoc fit, licet oculus vel auditus non advertat, imò dum quis clausis oculis dormit, priùs à fulminis splendore quàm à tonitrui fragore excitabitur. Quomodo ergò tam citò fulgur apparet, quod nascitur in Oriente, & subitò apparet in Occidente juxta dictum Salvatoris? Quis denique non admirabitur motus velocitatem? Proprium est ignis in altum ascendere, quomodo ergò fulmen quod ignis est descendit?

*Quomodo fulgur tam citò appareat?*

Dices

*Cur non rectè descendat?*

Dices non descendit, sed dejicitur: cur ergò non rectè descendit, sed serpendo hinc inde discurrit? Hoc fortè provenit quia ex petrâ & igne componitur, levi nimirum & gravi, unde motus ejus impeditur, ne rectè descendat, sed tortuosè feratur? Quomodo ergò sibi ipsi resistere & tantâ velocitate & impetu descendere potest?

4. Hæc tamen omnia parva sunt, respectu effectuum quos producit, in quibus ut Seneca ait, virtus quædam divina latet; *Mira fulminis si intueri velis, opera sunt, nec quidquam relinquentia, quin divina illis insit, & subtilis potentia.* Quali enim arte vinum ex doliis exhaurire potest, dolio intacto, cùm hoc sit proprius cibus ignis, & liquor ipsi contrarius, quasi sitiret tantùm, & non fameret? Quali industriâ argentum crumenâ intactâ liquefacit, aut non apertâ? Quomodo metallum quod sub rigidâ servatur custodiâ ab ipso liquefit, manente custodiâ integrâ, & clausâ? Quomodo venenum serpentibus aufert, & vinum salutiferum veneno inficit? A quo digladiatore didicit adversarium gladio spoliare manente vaginâ immotâ & intactâ adversario non advertente? Quâ virtute ignis vinum condensat, & petras dissolvit, & liquefacit? Quomodo tam subtiliter in ventre matris infantem perimit, matre illæsâ aut nullo dolore affectâ? Quis ipsi adeò generosam indidit mentem, ut superba, & alta dejiciendo ædificia, humilibus ignosceret domunculis? Quis illum docuit altissima dejicere montium cacumina, & humiles valles placido pertransire murmure, nec illis vel minimum afferre nocumentum? Materiæ fortè diversæ, unde componitur, ascribere possumus? Sed noster ignis diversis unitur materiis, nec tamen ab ipso tales effectus prodire conspicimus.

*Seneca l.2.c.31. Mirabiles producit effectus.*

5. Hanc materiam solitâ suâ elegantiâ fusè tractat Plutarchus Dorotheum Oratorem quemdam loquentem inducens, qui fulmen in domo suâ consumpsisse refert vinum, dolio illæso, & hominem dormientem non læsum pertransiisse, cingulo tantùm auro & argento pleno liquefacto, Subjungit insuper se audisse militi cuidam excubias prope templum agenti ligacula calceorum combusisse, nec aliud malum intulisse: aurum quoque, & argentum quod in capsulis servabatur ligneis, liquefactum penitùs fuisse, ligno ne vel in minimo combusto. Omnem tamen excedit admirationem, corpora à fulmine occisa, non putrefieri. Relictis denique multis ipsius effectibus, rationem quærit Plutarchus, cur dormientes à fulgure non lædantur? Respondet, si hoc verum est, ideò fieri, quia corpora dormientium magis firma, & solida, unde majori

*Plutarch. l. 4. quæst. Convivalium, q. 2. Vinum & aurum consumit illæso vase.*

*Cur dormiens à fulgure non læda tur?*

jori virtute resistunt: diceremus potiùs dormientes à tempestate previà excitatos effugere, aut à fulgure non deterreri, pavor autem solet sæpiùs plus damni causare, quàm fulgur.

*Triplex fulmen antiquis.*

6. Non ergò mirum si fulmen potentissimæ dexteræ divinæ acutissimũ appelletur telum. Gentiles Jovi fulmen triplex attribuebant, primum quod nemini nocebat, sed admonebat, quod à solo Jove mitti dicebant; secundum quod nocebat, & adjuvabat, hoc autem non à Jove solo, sed à toto Deorum consilio evibrari; tertium quod multum damni inferebat, evertendo turres, publicas & privatas ædes destruendo &c. quod à Jove cum omnibus Diis vibrabatur. Hoc credentes deridet Seneca affirmans fictum hoc esse ad deterrendos homines: unde moralia haurit documenta; Principes nimirum & Reges, ex seipsis promptos esse debere ad facienda bona, sed mala non sine consilio exequi debere: *Discant*, dicit ipse, *ubi aliquid percuti debet, ne Iovi quidẽ suum satis esse consiliũ*. Meritò insuper Seneca falsorũ Deorum Augures deridet, qui ex jactu fulminis futura prædicebant, imò hanc divinationem aliis omnibus anteponebãt. Si enim hæc erat favorabilis frustra aliæ mala protendebãnt; si hæc contraria in vanum aliæ bona tribuebãt, nec umquam Auguria fulminis fallebant, licet à multis in varias species, & sortes divisa essent, ut refert idem Seneca.

Seneca l.2.c.42. *Sed fictum videtur.*

Seneca l.2.c.49. *Fulmen Dei vindex*

7. Dicamus nos fulmina esse Dei instrumenta, quibus inimicos suos castigat; quibus percussit Ægyptios Hebræos persequentes; occidit Olympium Carthaginensem, qui in sanctissimam Trinitatem blasphemias evomebat: adjuvit M. Aurelium Imperatorem, ut victoriam contra Marcomannos obtineret, exercitui ejus sitibundo pluviam ministrans, & inimicos fulmine ignito dejiciens: Et quia legio Christiana precibus à Deo istud impetrarat, vocata est, legio fulminatrix. Notabilis quoque fuit Anastasii Imperatoris Hæretici castigatio, ut refert Zonaras & Cedrenus dum enim fulmen metuens, fortissimum sibi castrum extrui jussisset, semel dum tonaret, & fulgura deciderent, ex superiore parte in inferiorem Palatii sui descendens à fulmine tactus, interiit. Verum quidem est, non semper fulminum ictus, debere credi castigationes divinas, quia Simeon Stilites junior à fulmine occisus fuit, qui tamen habetur sanctus. Fuit hæc percussio precibus ejus à Deo impetrata, dum enim desideraret reputari peccator, à Deo impetravit ut fulmine percuteretur, ita abhorrebat, ab hominibus Sanctus haberi, ut mallet à fulmine percuti, quàm de se opinionem sanctitatis haberi.

Plutarc. in vitâ Anastasii 2.

Aurelius Imp. apud Justin. post Apolog.

*Multi fulmine perierunt.*

*Non semper fulmen vindicta Dei.*

8. Vt animum omnibus addat, ne fulmen timeant, pulcherrima adfert

Seneca lib. 7. quæst. natural. cap. 49.

*Qui timet fulmen effugis.*

adfert Seneca, dicens: *Non maximum ex periculis, sed speciosissimum esse fulmen:* multa enim majora sunt pericula, sed nullum honoratius; & concludendo, inquit: *Nemo unquam fulmen timuit, nisi qui effugit;* nullus fulmen timuit nisi qui illud non sensit. Fulmen quippè timeri solet dum tonitru auditur: sed dum tonat, jam è nube exiliit, & pervenit ad terminum, non ergò ampliùs est timendum. Hinc emblema iræ divinæ esse posset fulmen, his verbis adjunctis, *Qui timuit effugit*; nulla siquidem securior via effugiendi iram divinam, quàm illam timere. Hinc Sapiens mirabile quid dicit, quod primo intuitu absurdum videri potest: *Qui timet Deum nihil trepidabit, & non pavebit:* quid magis oppositum dici potest? Si dixisset, qui amat Deum, aut sperat in Deo, non timebit, facilè intelligi potuisset; sed qui timet Deum nihil timebit; quis hoc intelliget? Quomodo enim timebit, & non timebit? Dices fortasse sic intelligi, qui timet Deum, nihil extra Deum timebit, sed quomodo stare potest, quod dicat absolutè: *Et non pavebit*, ergò timor Dei tam parvi faciendus est, ut ipsum timendo, nihil metuendû esse dicamus? Quis enim nobis malum infligere potest, nisi solus Deus? Melius ergò dicendum erat qui timet Deum, omnia timet, cùm Deus omnia possideat.

*Quomodo intelligendum*: Qui timet Deû nihil timet Eccli. 34. 16.

*Prosequitur idem.*

9. Si dixisset qui timet mundum nihil timet, non malè dixisset; quia mundus nobis nocere non potest, nisi Deo permittente, unde à timente Deum, dictum est: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Si ergò sic dicere licet, qui timet Deum nihil timet; quare nihil aliud timet? Poterimus ergò dicere, qui amat Deum nihil amat, qui sperat in Deo nihil sperat, etenim extra Deum nihil amat, aut sperat, hoc tamen inusitatum est in his locutionibus; cur ergò de solo timore hoc dicitur? Arbitror Sapientem dicere velle, qui timet Deum non solùm nihil timet, verùm ne quidem ipsum Deum timet: sed quomodo hoc stare potest, timere Deum & non timere? Respondeo in nobis duos esse actus, actum directum, & actum reflexum; ille, directè tendit in objectum, sicuti dum aliquid in seipso videtur; hic autem in seipsum reflectit, considerans objectum, ut à primo actu qualificatum; & similes sunt hæ visiones, visionibus in speculo, ex quibus visio reflectitur, ad considerandum seipsum videntem.

Psal. 13. 5.

*Duo sunt in nobis actus, directus & reflexus.*

10. Benè ergò proposito nostro dicit Sapiens: *Qui timet Deum, nihil timet* Deum, qui illum videlicet timet actu directo, non timet illum actu reflexo; cùm enim ex variis Scripturæ locis sciamus, timenti Deum nihil mali accidere, sed omnia cooperari in bonû, & quod nominetur: *Beatus vir qui timet Dominum*, dum homo actu directo cognoscit se timere Deû, actu

*Qui timet Deum actu directo nihil timet actu reflexo.*

Psal. 111.

actu reflexo colligit, nihil ergò timendum, quia Deus nil mali facit timentibus se; quinimò defendit illos ab omni malo, sicut Sapiens prosequendo dicit: *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani.* Vel breviùs dicamus; qui timet Deum timore filiali, non timet illum timore servili. Verè ergò dicere possumus de irâ divinâ, qui timet effugit, quia timentes Deum securi sunt, cùm etiam ipse Deus dum nos punire vult exterret, ut benè notat Chrysostomus dicens: *Cùm punire voluerit, terret.*

*Quomodo hoc intelligendum?* Ecclesiastici 34. 19.

Chrysost. homil. 6. ad populum Antioch.

*Fulmen velociter percutit.*

11. Non tamen propter eandem rationem qui timet fulmen est extra periculum, sed quia fulmen adeò velociter percutit, ut non det illi tempus timendi, quem occidit, ita ut qui timet illud, jam sit extra periculum ejus pro illâ vice; fulmen quippè solet esse symbolum summæ velocitatis, maximè quando cõjungitur magnæ potestati, aut habet flammæ claritatem. Tale fulmen vocatus fuit Alexander Magnus, qui in paucis annis ferè totum orbem subjugavit, & de Olympiâ matre ejus dicitur, quòd paulò antè quàm gravida esset, videbatur fulmen in ventre recepisse, unde posteà magnus accendebatur ignis. Sic aliis fortibus Ducibus nomen fulminis attributum fuit. Potiori ratione idem duobus discipulis, attribuit Christus, vocando illos *Boanerges* filios tonitrui; sed quid aliud tonitru producit, quàm fulmen? Fulmina ergò dicti fuerunt hi duo fratres, & meritò, quia ut fulmina fuerunt ardentes, veloces, sonori, & in omnibus admirabiles.

Plutarch. in Alexandrum.

*Meritò Iacobus & Ioannes fulmina dicti.*

12. Sed cur illos potiùs vocamus fulmina, quàm tonitrui filios? Aliquando enim fulgurat, sed non tonat; & quandoque tonat sine fulgure, aut fulmine: volebat nobis Salvator insinuare, hos duos fratres, emittere tonitrua debere, & fulmina, tonitrua prædicationis, & fulgura sanctitatis vitæ. Aliqui Prædicatores tonant solummodo, qui multa cum eloquentia verba faciunt; sed non fulgurant, quia doctrinæ traditæ, mores & vitam non conjungunt, ideò parvum adferunt fructum; fulgurant aliqui, sed non tonant, quia benè vivunt, sed sibi tantùm sunt utiles, non autem aliis: sed hi duo fratres tonant & fulgurant simul. Similes fuerunt militibus Gedeonis, qui lampades accensas manibus tenebant, & tubas ore inflabant, ita ut lumine oculos offuscarent, & sonitu aures terrerent, manus splendebat, & os personabat, manu fulgura vibrabant, & ore tonitrua effingebant, ut notat Origenes veros Prædicatores sono prædicationis, conjungere debere lucem bonorum operum; *Pugnare decet Christi milites, luce operum refulgentes; & splendore gestorum*; & paulò pòst, *Præcedat ergò*

*Cur fulminis filii non tonitrui.*

*Apostolus imitatur milites Gedeonis.*

Origenes in lib. Judicum homil. 9.

*ergo & nos operum lux, scientia virtus, & divini verbi prædicatio.* Tales debere esse Evangelii prædicatores, pulchrè prædixit Isaias assimulando victoriam quam Christus de hoc mundo reportare debebat, victoriæ Gedeonis de Madianitis obtentæ: *Iugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus superasti sicut in die Madian.*

Isaiæ 9.4.

*Oratores gentiles tonant, sed non fulgurant*

Mendoza in prim. Regum, cap. 2.

13. De multis gentilium oratoribus dicebatur, quòd tonarent, & fulgarent, ut refert Mendoza, sed melius dixisset, eos tonasse solummodo, quia facta operibus non accommodabant, ut patuit in Demosthene, qui terribilis fuit in dicendo contra Philippum, sed in pugna primus fuit ad fugiendum, unde meritò de ipso loquens S. Hieronymus dicit, *contra quem* (*Philippum*) *Demosthenes tonat*, non dixit *fulgurat*, sed *tonat*. At de S. Paulo dicit quod tonat, & fulgurat; *Paulum Apostolum, quotiescumq; lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua*; & paulò pòst, *videntur quidem verba simplicia, sed quocumque respexeris, fulmina sunt.* Sancti ergo Iacobus & Ioannes ad imitationem magistri sui, fuerunt *potentes, opere, & sermone*: unde Ecclesia in lectionibus S. Iacobi, refert, *quòd in Iudæa, & Samaria prædicans, plurimos ad Christianam fidem perduxerit.* Ita ut de ipso veraciter affirmari possit, quod S. Gregorius Nazianzenus de S. Basilio asserit: *Oratio ejus erat tonitruum, quia vita erat fulmen.* Quod autem in

S. Hieron. lib. 1. contra Iovinia.

In epist. ad Pammach.

*S. Paulus tonat & fulgurat.*

Lucæ 24. 19.

*S. Iacobus opere & sermone potens.*

Hispania parvum fecerit fructum, inde accidit, quòd diu in ea non permanserit: sed quasi fugiendo pertransiverit; quin imò recordari debemus, non omnia æqualiter à fulmine combu i, sed illa quæ magis dura sunt. Sic S. Iacobus disrupit dura corda Iudæorum, & parvũ effecit fructum in animis dulcioribus Hispanorum.

*Cur in Hispania nihil effecit?*

14. Filii quoque tonitrui fuerunt vocati hi duo Apostoli, quia vocabulum filii, naturalem productionem indicat; sic voluit Salvator noster docere non fulgura artificialia, sed naturalia esse debere, non fabricata in terris, sed de cælo descendentia. Fulgura artificialia, inquit Hippocrates, sunt quæ aliquem quidem splendorem efficiunt, & sonum; sed nullam vim habent, aut efficaciam; similia olim in scenis sunt adhibita, ut refert Iulius Scaliger, aperiebantur, (inquit) utres pleni lapidibus, & in vasa ænea cadere sinebantur. Tales sunt hypocritæ, qui non ad feriendum corda, sed ad oblectandum oculos, & acquirendos applausus & auras populares captandas, imitantur fulmina sanctitatis.

*Cur filii tonitrui dicti*

Scaliger in sua Poetica lib. 1. cap. 21.

*Hypocritæ fulmina ficta.*

15. Existimabant quoque antiqui fulgura sine tonitru vanum significare timorem, ut refert Artemidorus, ad quod alludit Virg. dicens: *Terrificant animos, & inania murmura miscent.* Minæ tamen S. Iacobi & Ioannis non erant

Artemid. lib. 2 cap. 8.

*Non fuerunt SS. Iacobus & Ioannes ficta fulmina.*

 vanæ,

vanæ, nec inanis timor, qui ex verbis illorum concipiebatur, sed summè necessarius, & salvificus, propterea meritò vocati sunt tonitrui filii, id est fulmina. Nec minùs admirabiles fuerunt quàm fulmen: quantum enim ad originem, nati fuerunt in Galileæ oppidulo, ex pauperibus piscatoribus; & quis umquam imaginatus fuisset, tot ab ipsis admiranda patrata fuisse? Quando tonitrua sua emittere incipiebant, post adventum spiritus Sancti, admirabantur omnes qui audiebant dicentes: *Nónne omnes isti Galilai sunt*, quomodo ergo tam admiranda efficere possunt opera? Per modum vaporis ascendentis se ostendebant, quando petierunt duas primas sedes, quia vaporibus similes sunt ambitiosi, qui cùm non habeant ulla merita, volunt supra omnes elevari. Sic superbos affirmare solemus, vanos & leves, ut vapores. Hi vapores elevari, & accendi incipiebant, dum Salvator noster transiens Samariam, eisque illum recipere nolentibus, isti duo fratres zelo, & fervore accensi dicebāt; *Domine vis dicimus ut descendat ignis de cœlo, & cōsumat illos?*

*Similes fulmini in omnibus.*

Actor. 2. 7.

*Samaritanis fulmina minabantur.*

Lucæ 9. 55.

16. Quid sibi vult, ipsos solùm non autem alios vindictam quærere in Samaritanos? Quare S. Petrus adeò cupidus honoris magistri sui, & promptus ut illum defendat ad iram non fuit commotus? Cur seniores, & robustiores Iacobo, & Ioanne idipsum non dicebant? Fortè quia ipsos Salvator misit nuncios ante se ut præpararent locum? Sic putat Euthymius, nec sine fundamento, cū scriptura dicat: *Misit nuntios ante cōspectum suū, & euntes intraverunt civitatē Samaritanorū ut pararēt illi.* Fuit sanè illis honorificum eligi à Domino, tamquam confidentiores, ut pararent domino hospitium in Samaria; obedientia quoque illorum colligitur, quia statim sine reluctatione petierunt Samariam, licet enim Samaritani, & Iudæi contrarii forent, præceptum tamen Christi libenter sunt executi. Advertendum autem textum Græcum habere, *misit Angelos*, unde S. Ieronymus putat fuisse veros Angelos, non homines missos à Christo; sed probabilius est fuisse duos discipulos, cùm Angelus Græcè Latinè nuntius interpretetur; vel fortè vocati fuerunt Angeli, à puritate, & sanctitate vitæ. Voluit insuper Christus illos mittere, ut assuescerent patienter ferre repulsam, nec suis meritis ascriberent, si honorificè reciperētur.

Lucæ 9. 52.

*Legati Christi fuerunt.*

Ieronym. quæst. 5. ad Algasiam.

17. Alii dicunt, hos duos discipulos particulariter indignatos fuisse, quia ex cognatione Salvatoris erant, quare suum esse arbitrabantur, non aliorum, talem ulcisci injuriam; quam sibi factam imputabant: unde fuerunt aliis ferventiores. Alii dicunt illos fuisse magis ad iram, & vindictam proclives, quod si verum est, virtus illorum magis laudanda est, quòd

*Injuriam Christo illatam ulcisci voluerunt.*

quòd adeò mansueti, & patientes postea fuerint. Sed optimè omnium huic dubio respondet S. Ambrosius, qui hoc ex proprio illorum nomine deducit; *Bene præsumunt* (inquit) *quòd ad sermonem illorum ignis de cælo descenderet, quoniam filii sunt tonitrui*: fulmina erant, quid ergo ab ipsis aliud, quàm flamma, & ignis, erat expectandum? fuerunt tamen à Domino reprehensi, non enim illum ignem volebat in terram mittere ut accenderetur, sed istum quem in die Pentecostes à spiritu Sancto receperunt. Quo accensi, ad modum fulminis per mundum discurrebant portantes lucem doctrinæ Evangelicæ, resplendentes miraculis, personantes prædicationibus, rumpentes duritiam incredulorum, ac blandè recipientes humiles.

S. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 8.

*Cur Christus eos reprehenderit.*

18. Videntur insuper hi duo fratres inter se totũ mundũ divisisse, cùm unus Orientem, alter Occidentem elegerit. Apparet similiter verificatum fuisse, quod mater ipsorum requirebat, ut sederet unus à dextris, & alter à sinistris: cùm enim Salvator noster sedem suam Romæ posuerit, à dextrâ parte Hispania est, ubi S. Jacobus fidem promulgavit, & corpus ipsius requiescit; à sinistrâ est Asia, ubi S. Joannes prædicavit, vixit, & mortuus est: ita ut hi duo fortissimi milites Christi, quasi duæ columnæ immobiles, in ultimis mundi finibus fuerint collocati.

*Totum mundum inter se diviserunt.*

Idipsum confirmare possumus à tempore mortis ipsorum, S. enim Jacobus primus omnium Apostolorum sanguinem pro Christo fudit, & S. Joannes ultimus omnium ex hâc vitâ decessit, ita ut hi duo quasi omnium fortissimi totum belli impetum in seipsis sustinuisse videantur. Vnus in principio contra Judæos hostes fidei, primò adventantes, alter contra Hæreticos Ecclesiam persequentes, ita ut quasi duo fulmina belli, totum inimicorum impetum doctrinâ, moribus, & bono exemplo semper sustinuerint, & usque modò scriptis suis sustineant, & destruãt.

*Ecclesiæ hostes primi & ultimi oppugnarunt.*

19. Nec casu accidisse credendum est, Herodem primò Jacobum incarcerasse; quia videbat ardentiorem, & ferventiorem in prædicationibus. Licet etiam S. Stephanus primus fuerit Martyr, potest tamen dici illum potiùs furore populi fuisse lapidatũ, quàm sententiâ judicis damnatum: sed contra S. Jacobum data fuit sententia capitis, & expresè milites missi, qui illum apprehenderent: quinimò Herodes tantam inde gloriam sumpsit, ut etiam Apostolorum Principem incarcerare non dubitaverit: judicans sicut S. Iacobus ei non restiterat, nec S. Petrum resistere posse. Sicut etiam fulmen cadendo multos exterret, & sæpè occidit, sic S. Jacobus moriendo multos exterruit & devicit patientiâ & oratione suâ, ita ut illum qui ipsum

*S. Iacobus cur primò incarceratus?*

Actor. 12. 3.

ad martyrium ducebat, martyrem secum effecerit.

*Utrum caelestes sedes obtinuerint.*

20. Sed quid de sedibus quas in paradiso obtinuerunt referemus? illásne adepti sunt, an ab iis exclusi fuerunt? Videntur illas non obtinuisse; matri enim petenti non solùm respondit Dominus: *Nescitis quid petatis*, verùm etiam, *Non est meum dare vobis.* Si tamen verba Evangelii rectè attendamus, apparet illos obtinuisse quod petierant, quia statim Christus replicavit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Quasi diceret, si vultis in gloriâ congaudere mecum, oportet in passione compati; si vultis ascendere ad regnum meum via tribulationis vobis tenenda est. Propterea nè minimum conturbati liberè responderunt; *Possumus*, quam animi promptitudinem Dominus approbavit dicens: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram, vel sinistram non est meum dare vobis*: Non apertè negans sessionem quam petebant, sed dicens, se non posse illam dare, sed Patri hanc esse reservatam. Si ergò voluisset eos his verbis excludere à sedibus illis non interrogasset utrùm possent bibere calicem, alioquin videretur derisoriè locutus. Sicuti si quis vellet emere gemmam pretiosissimam, aut scyphum aureum ab aliquo, & ille responderet, si velis illam emere, oportet tantùm pecuniæ solvere, & venditor pretio persoluto, nollet eam tradere, numquid emptor meritò conqueri posset & dicere se derideri, si enim vendere nolebat, quid opus erat pretium apponere? Sic Christo hi respondere possent dum petentibus ut sederent ad dextram vel sinistram subjecit: *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quasi taxando pretium, illud enim erat pretium justum istarum sedium vel non? Si non erat, ad quid illud proponebat? Si erat solvendo pretium obtinuerunt propositum locum. Quid igitur dicemus? tantum esse pretium hujus gemmæ ut quantumvis detur, non tamen videatur persolutum sed semper donum existimetur. Hæc conditio calicis necessaria quidem erat, sed non sufficiens, at ulteriùs requirebatur prædestinatio Patris. Timeo hâc respõsione non esse plenè satisfactum dubio proposito, ideò potiùs dicerem cùm Dominus in pretium sedium bibitionem calicis postulasset, illa oblata non fuisse sedium concessionem negatam.

Mat. 20. 22.

*Videtur quod ita.*

Matthæi 20. 23.

*quia Christus non negavit eis.*

*Probatur à simili.*

Matt. 20. 22.

*Non sufficit bibere calicem, sed oportet esse prædestinatum.*

21. Quare ergò dicit: *Non est meum dare vobis?* quia solùm inferre voluit hoc spectare ad Patrem, se autem non renuere. Sicuti dum domui præsidet non absolutus Dominus, & venit quispiam petitum aliquid quod non est in ipsius potestate, respondere potest, expecta donec herus adveniat, ita Christus respondit; cùm

Matt. 20. 23.

cùm fuero Dominus absolutus, poteritis sedere ad dextram vel sinistram. Hoc autem verum esse inde apparet quia Christus dixit Apostolis suis: *Cùm venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Sedebūt ergò duodecim Apostoli juxta Christum aliqui ad dextram, & aliqui ad sinistram inter quos erunt duo isti fratres: & sic verè quod petierant obtinebunt.

*Alius sensus istius.*

Matt. 19. 28.

22. De S. Jacobo verificatur illud quod Christus de fulgure dixit: *Exit ab Oriente & paret usque ad Occidentem.* Exiens enim de Jerusalem in parte Orientali, excurrit usque in Hispaniam, quæ in finibus Occidentis, fuitque excursio tam velox, ut aliqui crediderint, ipsum numquam ibi fuisse. In quo videtur ipsum adimplevisse illud quod S. Job de fulmine dixit: *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi ecce adsumus?* Sed quo modo dicitur fulmina reverti unde veniunt? quis umquam vidit redire fulmen in cælum? Cadens in terram extinguitur, & aliquando in tantùm penetrat ut in terrâ abscondatur, quomodo ergò Deus dicit: *revertentia dicent ecce adsumus?* Respondet S. Thomas fulmina non rectè cadere, sed obliquè, & huc illucque discurrere, ideò dicuntur ire, & redire. Alii verò dicunt hunc esse modum loquendi, ut explicetur promptitudo mirabilis in obediendo, ut est illorum qui citò exequuntur voluntatem imperantis.

Matt. 24. 27.

*S. Iacobus ut fulmen celerrimè Hispaniam transivit.*

Job 38. 35.

23. Ego autem existimo Deum dicere voluisse numquam sibi deesse fulmina; licet enim plurima mittat, non tamen deficiunt. Potest etiam dici: fulgura redire, in quantum ex eadem terra novi vapores ascendunt, unde fulmina fiant quæ in terram rursus mittuntur. Quæ omnia juxta propositum nostrum rectè S. Jacobo conveniunt: ibat de Iudæa in Hispaniam, & ex Hispania rursum in Iudæam revertebatur, quasi nova mandata requirens, & tam celeriter id ipsum exequebatur, ut instar fulminis ivisse, & rediisse videretur. Promptissimus quoque fuit in obediendo, propterea fuit unus ex tribus privilegiatis Apostolis, qui electi fuerant ad mysteria secretiora; ut accidit in transfiguratione, & in resuscitatione filiæ Archisynagogi, & in horto Gethsemani.

*Cur fulmina dicantur ire & redire.*

*S. Iacobus promptissimè obediens.*

24. Hebræi quasi ex natura gentium consortio abhorrebant, mysteriis divinis indignos judicantes: hoc apparuit in Propheta Jona qui resistebat Deo eum ad gentes mittere volenti. His similes esse videbantur Apostoli, qui multo tempore dubitabant, utrum gentibus Evangelium prædicandum esset. Pro cujus solutione dubii S. Petrus revelationem habuit lintei è cælo dimissi pleni serpentibus: Sed S. Jacobo non opus

 fuit

*S. Iacobus primus gentibus prædicat.*

fuit tantâ revelatione, verùm subitò ac voluntatem Dei intellexit, in Hispaniam perrexit, ut fidem annuntiaret, ad eamque discipulos misit, ut denuò fructum adferrent ac mortuus eò corpus suum deferri voluit.

25. Dicunt aliqui iter S. Jacobi in Hispaniam impugnantes, eo tempore quô S. Jacobus in Hispaniâ perrexit nondũ fuisse permissum prædicare Evangelium gentibus, quia nondum de cælo mandatum acceperant. Ad quod multi respondent, præcipuè Sancius, & Caracciolus, sed ego ne à proposita fulminis similitudine discedam, Dico, numquid videmus prius fulmen, quàm sonitum audiamus? Numquid tantam scimus esse fulminis velocitatem, ut primò perveniat ad locum destinatum, quàm sonus disruptæ nubis ad aures nostras perveniat? Si ergo S. Jacobus fuit fulmen, quid mirum si primus omnium prædicationem instituerit, antequam tonitru divinæ ordinationis ad aures aliorum Apostolorum pervenire potuerit?

Sancius in disput. hujus materiæ. Caracciolus in sua biga.

*Quam velox S. Iacobi obedientia.*

26. De veloci hâc obedientiâ, multum sibi Deus complacuit; videturque illam populo Hebræo prædixisse, dum dixit: *Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus*, ubi septuaginta duo interpretes adjungunt, *& audiemus*; sic S. Augustinus legit, & dubium movit, quare dicatur *faciemus, & audiemus*, videtur enim ordo contrarius, & potiùs dicendum, *audiemus, & faciemus*, primò enim audire debemus mandatum, posteà exequi. Cui respondet: *Prius oportet verbo Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito devotionis ipse perducat.* Quasi diceret, cœcâ obedientiâ Deo obsequendum esse, ut per meritum istius intelligere possimus mysteria, quæ in præceptis ejus comprehenduntur. Hoc etiam S. Jacobus promptè executus est, dum à Christo vocatus fuit, ut sequeretur: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Quid enim intelligere poterat per piscatores hominum? Non erat adeò versatus, ut hoc inquireret, tamen sine morâ obedivit; piscationem præsenté quam præ manibus habebat relinquens pro futurâ quam ignorabat; licet quoque vocetur ad piscandum, non tamen retia aut instrumenta secum portat, ut videlicet non permittat expectare Christum quoad retia accepisset: *At continuò relictis retibus, & patre secutus est eum.*

Exodi. 24. 3.

S. Aug. q. 96. in Exod.

*Cæca obedientia Deo placet.*

Matt. 4. 19.

Matt. 5. 20.

*S. Iacobus in omnibus obediens.*

27. Eandem cœcam, promptamque obedientiam ostendit, quando simul cum fratre per matrem à Christo primas sedes petierunt, dum enim Christus calicem bibendum proponeret, non quæsierunt quisnam esset calix, sed alacriter responderunt, possumus: si volimus illum intellexisse quem calicem diceret, tunc major illorum

Matt. 20. 22.

rum enituit obedientia, ut benè notat S. Basilius. dicit enim illos proprio renuntiasse desiderio, ut se Christi voluntati accommodarent, dum enim venerant honores quærere & dignitates, non recusabant ignominiam, & tormenta à Christo proposita: quod his verbis eleganter Basilius prosequitur: *Illi re auditâ spei suæ summè contraria, nequaquam dixerunt, aliâ adducti spe ad te accesseramus, & tu contraria nobis atque speravimus, imperas. Nos quietem speravimus, & tu nos in pericula protrudis, honores nobis proposuimus, & tu ex transverso ignominiam ingeris.* Dum ergò Ecclesia hanc historiam S. Jacobi exhibet, non culpam aliquam allegat, aut imperfectionem, quæ illo tempore non fuisset in ipso admiranda, sed magnam perfectionem, & omnimodam voluntatis resignationem, sui ipsius abnegationem, magnanimitatem generosam, ac perfectam, & cæcam obedientiam in tam acerbo, & duro calice voluntariè suscipiendam ostendit.

S. Basil. in constitut. monast. c. 23.

*Quàm perfecta ejus obedientia.*

28. Sed ad propositam auctoritatem Exodi revertamur. Philo Judæus circa dubium à S. Augustino propositum, aliam movet difficultatem, quæ magis assimilatur illi, quam de velocitate fulguris attulimus ob promptam & cœcam obedientiam, sic inquiens: *Ad facta magis quàm ad verba properant, cùm enim alii audita faciant, isti quod mirandum est præ divino quodam impetu, ajunt facturos se priùs; deinde audituros; ut non propter doctrinam, & admonitionem, sed ultrò, & suapte sponte videantur ad bona opera accurrere.* Si aliquis opponat non inveniri S. Jacobum dum in Hispaniam pergeret petiisse consilium, vel auxilium à cæteris Apostolis: meminisse debet sollicitudinis quam Dominus Discipulis suis præcepit, quòd euntes ad prædicandum, neminem per viam salutarent, nec humanis tenerentur respectibus, aut certis cæremoniis quibus mundani se invicem salutant aut tractant, ut notat S. Ambrosius, super hæc verba: *Non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana; pulchra est salutatio, sed eò pulchrior, quò præceptorum executio divinorum, quæ per moram sæpè trahit offensam.*

Philo Iudæus lib. de confusione linguarum.

*Obediens sine mora.*

S. Ambros. lib. 7. in Lucam c. 10.

29. Sed ne fulminis obliti videamur; si hoc mirabiliter destruit res durissimas, non offendens molles, & teneras: S. quoque Jacobus se monstravit terribilem contra duros & obstinatos; maximè in bellis Hispanicis contra Mauros. Placidum quoque & benignum se exhibuit peregrinis sepulchrum suum invisentibus, ac persecutoribus suis, à quibus veniam petiit tam humili corde, ut oscularetur tortorem se ad mortem trahentem, ac consortem martyrii efficeret. Fuit profectò hoc osculum quasi fulmen admirabile

*S. Iacobus ut fulmen res duras confregit, mollibus ignovit.*

*Tortorem osculando martyrem effecit.*

rabile, quia liquefecit animam istius, corpore intacto manente. Moris erat Patriarchis antiquis, jam morti vicinis, benedicere & osculari filios suos: sic fecit Isaac, & Jacob. Non aliter S. Jacobus morti proximus voluit benedicere filium suum quem genuerat, ipsique tribuere privilegium primogenituræ, quandoquidem martyr cũ eo esse deberet. Reges Numidiæ scribit Valerius Maximus neminem ad osculum admittere, timentes ne magnitudini, aut dignitati suæ notam vilitatis inurerent; qui ut gentilis humilitatis virtutem ignorans, eam laudat, dicens: *Quidquid enim in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.* Sed magnitudinis suæ non fuit cupidus S. Jacobus, licet enim Princeps Ecclesiæ, judex universi, & Apostolus esset, non dedignatur osculari vilissimum satellitem, & tortorem: quinimò gloriam suam ei communicavit.

Genes. 49.

Valer. Max. lib. 2. c. 6.

30. Prophanatum, & inhonoratum erat osculum à Juda traditore, qui osculo magistrum tradiderat. Sed quia osculum naturâ suâ amabile, & desiderabile est, utpotè signum pacis & amicitiæ; voluit S. Jacobus ei honorem restituere, osculando proditorem, eique salutem æternam procurando, quo facto infamiam quam Judas osculo intulerat, abstulit. Sed quomodo verificatum fuit, quod S. Jacobus osculando, dixit; *Pax tibi sit?* Fortè dici potest illum habere pacem, qui ad mortem properat? Et quis effectus horribilior belli quàm iste? Veritatem tamen dixit, loquebatur quippè de pace Christi quæ inter persecutorum gladios mirabiliter invenitur, nulla siquidem res mundi illam auferre potest. Cur ergò non dixit, *Pax tibi est*, osculum enim est signum pacis præsentis, & non futuræ; meliùs enim dixisset, quàm *pax tibi sit*? Respondeo, osculum fuisse signum pacis quam S. Iacobus illi promittebat, si enim dixisset *Pax tibi est*, monstrasset se solummodo loqui de pace quam illi dabat; sed S. Iacobus qui ex corde illum amabat, non contentus fuit dicere eum habere secum pacem, sed ex parte Dei illi pacem animæ precatus est. Fuit denique hæc pax compendium universæ felicitatis, sicuti in scriptura sacra nomen pacis solet accipi. Sed numquid meliùs illum reprehendisset pro peccatis, & ad contritionem instigasset, dicendo, ego tibi ignosco frater sed pete misericordiam à Deo, quia illum graviter offendisti, cùm quasi alter Iudas me tradidisti? Respondeo S. Iacobum noluisse loqui de condonatione, ut non ostenderet se injuriâ ab ipso affectum fuisse, tam libenter siquidem mortem amplectebatur, ut potiùs gratias agere vellet pro occasione data, quàm loqui de remissione offensæ.

*Osculum à Iuda prophanatum.*

*A S. Iacobo restitutum.*

*Pacem Christi ei contulit.*

31. Fulgur

*S. Iacobus post mortem plurimos convertit.*

31. Fulgur dum per aërem volat, nullum excitat sonum, sed cadens in terram confringitur, & comburit ea quæ tangit. Sic S. Iacobus vivens, vix ullum fructum effecisse videbatur; moriens autem carnificem, totamque Hispaniam prædicatione discipulorum convertit. Dicet fortè quispiam S. Iacobum fulmini non rectè comparatum, nam Salvator noster diabolum quoq; fulguri comparavit, dum dixit: *videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem*. Sed non propterea vilipendi debet S. Iacobus, quinimo magis honorari; Christus enim videns summam satanæ malitiam quam in mundo exercebat, voluit contra illum alia mittere fulmina, quæ illum devincerent, ac è mundo ejicerent, ex quibus fuit S. Iacobus. Vel dicamus, satanam fuisse missum tanquam fulmen nocivum, & pestiferum, cùm Sanctus Michaël eum de cælo dejecit, sed Sanctus Iacobus missus fuit à solo Deo tamquam fulmen salutiferum indicans hominibus fulmina mala, & nociva, ut sese ab iis custodientes, salvarentur: sicut gentiles fingebant fulgura à Diis suis mitti. Fuit certè fulmen felicissimum, ut tota potest testari Hispania, quæ tam in vita ejus quàm post mortem, maximum experta est adjutoriũ, ita ut ipsi titulus fulminatoris meritò attribui possit.

*Lucæ. 10. 18.*

*Non rectè videtur fulmini comparatus.*

*Diabolus fulmina pestifera mittit.*

32. Mittit insuper satanas fulmina, sed pestifera, quæ res sanas bonasque corrumpunt, vinum coagulant, aurum liquefaciunt, manente bursâ integrâ, quia corpore manente sano, omnes animæ virtutes veneno peccatorum inficit & debilitat. At S. Iacobus fulmen est salutiferum, aquâ cælesti associatum, quod à serpentibus venenum aufert, elatos superbiâ montes, humiles valles efficit. Cælestis quippe gratiæ rore imbutus, peccatoribus veniam, superbis humilitatem, atque omnibus salutem animæ adfert. Cùm denique S. Iacobus pluries satanam devicerit, meritò ei titulus fulminatoris attribui potest, qui ipsi propter fortitudinem, & animi constantiam primò debebatur, moris enim est ut victores sibi titulos victorum asciscant. Vt ergo contra satanam, & socios ejus victoriam consequamur, confugiamus ad S. Iacobum, qui gloriosè illum devicit, sicque ejus intercessione pestiferi fulminis ictus evadere poterimus, & cum ipso cælesti gratiæ rore perfundi, ac perpetuò in cælis lætari, ut omnes ejus devoti experiuntur, & semper experti fuere.

*S. Iacobus salutifera.*

*Omnes contra diabolum protegit.*

# IN FESTO
# S. LAVRENTII MARTYRIS.
## DISCVRSVS VIGESIMVS.
### *De magnitudine animi, & ardentissimo amore S. Laurentij.*

### Trochylus, sive Regulus avium in veru ad ignem appositus.

### *Sicut in lecto vertitur.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Regulum ejusque proprietates describit, prim. 10. num.*

*Eas S. Laurentio applicat num. 12. 13.*

*Craticulam ejus variis encomiis dignam ostendit num. 14. 15. 16. 17 18.*

*Titulum mollis lecti, & quatuor eius officia, craticulæ & S. Laurentio tribuit à num. 19. ad finem usque.*

1. SPartanus quidam attentis auribus suavem aviculæ cantum magnâ animi voluptate percipiens, omne studium adhibuit ut illam caperet; quam exiguo reperiens corpore, in hæc verba prorupit; *Tantùm vox.* Non aliter profectò dicere possumus, si vera sint quæ ab auctoribus de Regulo afferuntur, tantùm in eo esse animum, & vigorem. Quis enim non obstupesceret animi ipsius magnitudinem, quòd intrepidè, audeat adire Crocodilum animal adeò ferox, & immane, ut nec homini, nec bestiæ ulli parcat: refert enim Plinius, Regulum circa Crocodilum volantem, os ejus apertum ad devorandum, intrepidè intrare, seque ibidem pascere ciborum reliquiis inter dentes hærentibus; quo facto ita Crocodilus delectatur, ut ore aperto quasi obdormiens, placidè conquiescat; quo peracto ex ejus ore liberè avolat; dentesque qui aliis instrumenta mortis esse solent, ipsi cibum ministrant:

*Reguli magnitudo animi.*

*Crocodilum liberè adit.* Plinius lib. 8. cap. 5.

*Ciborum reliquiis ex dentibus se pascit.*

*Audaces* enim *fortuna juvat timidosq.*

*dosq; repellit.*

2. In eo tamen cum aliis non convenit Leo Africanus, qui dicit se in insulis Nili multos vidisse Crocodilos soli expositos ore aperto, circa quos aviculæ plurimæ albæ magnitudine turdorum, qui os Crocodilorum intrantes, iterùm evolabant. Inquirenti autem rationem istius responsum fuit, aviculas istas vermes in dentibus Crocodili ex ciborum putrefactione natos comedere: Crocodilo autem os occludere volenti aculeo quem in summitate capitis gerunt, palatum pungentes, iterùm aperire cogunt, sicque liberè avolant. Alii dicunt Crocodilum dare signum Regulo ut discedat, vel motione capitis illum sine læsione expellere: sic refert Elianus. Nec solùm sese mutuò non lædunt hæc duo animalia naturâ prorsus diversa; verùm etiam mutuo auxilio ab hostibus defendunt: Crocodilus quippè dormiens, infestissimum habet hostem, Icneumon nuncupatum, cujus dormientis ventrem per os ingreditur, ac corrosis visceribus, interimit. Hoc advertens Regulus, tamquam bonus custos, clamore, volatu, ac rostro pungendo Crocodilum excitat, & ab imminente periculo liberum reddit.

Lib. 9. de sua Africa.

*Aliæ volucres idem agentes.*

*Regulus Crocodilum à morte liberat.*

3. Ex hâc animi magnitudine orta est fabula Reguli cum Aquilâ avium Regina pro regno contendentis: quæ lis eò devenit, ut conclusum sit, eam regnum adepturam, quæ aliis supervolaret. Aquila ergò solito volatu summa petens, super omnes se extulit: Regulus verò astutiâ prævalens, dorso Aquilæ insedit, & Aquilâ deficiente nullo labore supervolans, se Regem esse demonstravit, unde Reguli nomen obtinuit.

*Vnde Regulus dictus.*

4. Non immeritò hoc ei nomen inditum est, etenim corporis compositio & mores idipsum indicant: habet quippè in capite ad modum coronæ plumas aurei coloris, quæ in femellis non ita splendescunt cùm Reginæ non soleant esse tantæ auctoritatis ut Reges. Oculos habet grandiores, Reges enim vigilare, multaque conspicere oportet. Caudam corpusculo proportionatam, & semper erectam habet, rectæ videlicet intentionis symbolum, & finis actionum, quem in omnibus operibus habere debet Rex, ne in aliquo à verâ justitiâ deviet. Sicuti etiam Regibus mos est hyemali tempore unam civitatem incolere, aliam verò tempore æstivo; ita avicula hæc æstate sylvas, hyeme civitates inhabitat.

*Ex compositione corporis Rex apparet.*

5. Difficillimè ab hominibus capitur, astutiâ suâ illos decipiens, subitò evolando, dum ad accipiendum accedunt, in quo videtur gravitatem regiam conservare, solùm avolare assuetus dum aliter nequit evadere. Inimicissimus est Buboni sapientiâ cunctos principes superans, qui ordinariè insipien-

*Non facilè capitur.*

insipientium fatuorumque consortio delectantur. *Solus semper manet.* Solus semper incedit, & si alium ejusdem speciei reperiat, pugnare solet, quasi cognosceret, quod sicut in cælo Sol unus sufficit, sic in una regione non posse esse nisi unum Regem. Hyemis tamen tempore aliquando consortium admittit, ut mutuis contactibus in cavernâ absconditi calefiant: quo repræsentare videtur, debere Principes amicitiâ & fœdere simul jungi, ut se ab inimico potente tueantur.

6. Suaviter in hyeme cantant, instar Principum qui in omni adversitate monstrare se debent hilares, ut animos languentibus addant. Vermibus, Araneisque vescitur: ita homines vitiosos, & pestiferos persequi debent Reges. *Neminem timet.* Neminem timet, quinimò cum Aquila longè fortiori pugnare audet. Sic Principem generosum esse decet & fortem, quando ita honor ejus, & populi salus exigit.

7. Rem summoperè mirandam refert Oppianus, dicens; masculum non quærere femellam, sed primi veris tempore suavi cantu allectam in tantum eum prosequi, ut tandem consortium admittat; statim verò eam deserens, ab eâ remotus cibum quærit, & illa quasi contenta, socias repetit in loco à masculis separato, alimenta conquirentes. Vbi autem ova pepererunt, solæ fœminæ eorum curam habent per vices, aliquibus cibum procurantibus, aliis ova foventibus; quibus exclusis, dum pulli creverunt, masculos ad locum cæteris masculis determinatum perducunt, femellas verò secum retinent, ut de Amasonibus refertur.

Oppianus lib. 2. de aucupio. *Femellæ à masculis sole degunt.*

8. Suetonius rem admiratione dignam refert, dicit enim pridiè quàm Cæsar à conjuratis trucidaretur, Regulum ramusculum lauri in ore deferentem; in curiam Pompei volasse, qui ab aliis avibus occisus est, quod apertum fuit augurium rei quæ die sequenti contigit, cùm Cæsar qui se Regem Romanæ Reipublicæ faciebat, necidatus est.

Sueton. in vita Iulii Cæsaris. c. 81. *Mors Cæsaris à Regulo augurata.*

9. Super omnia autem admirabilis est proprietas, quam de ipso refert Albertus Magnus, & dicit se experientiâ probasse, Regulum nempè in veru igni appositum seipsum vertere, quasi de illo calore gauderet, desideraretque assari, ut delicatus reddi palato posset. Quod potiùs somnium videtur quàm fabula, cùm movere se non possit, qui vitâ caret: nec credibile sit veru appositum vivere posse. Si tamen illud rectè consideremus, non videtur adeò impossibile esse, sive hoc accidat dum vita superest, aut exsiccatâ pinguedine & unâ parte leviore effectâ, aliâ graviore decidente, hoc pacto moveri posse. Idem affirmat Joannes Baptista Porta; sed dicit hanc motionem contingere dum affigitur veru ligneo ex Cor-

Albertus Magnus lib. 23. de de animal. *Igni in veru appositus videtur se movere.*

*Quomodo hoc fiat.*

Ioan. Bapt. Porta lib. 14. Magiæ natur. cap. 10.

no confecto, hoc attribuens non aviculæ, sed ligno; quod calefactum ab igne, se contorquet, sicque moveri facit aviculam, idem aliis similiter igni appositis contingere posset.

Porta lib. 20. cap. 8.

10. Quod alio admirabili confirmat idem auctor, scribit enim in avenâ sylvestri parvam reperiri aristam nigram, & tortuosam, pedibus locustæ similem, quæ ab aquis contacta, subitò vertitur ac cartulâ affixâ seipsam mirabiliter inflectere videtur stupentibus iis qui causam ignorant. Sed qualicumque causâ hæc avicula moveatur, pulcherrima videtur similitudo istius, quod Propheta David in tribulatione positus faciebat: *Conversus sum* (inquit) *in ærumna mea, dum configitur spina*: *in ærumnâ*, eccè ignis; *dum configitur spina*, eccè veru ligneum transfixum; *conversus sum*, eccè conversio ad ignem.

*In eo similitudo est afflicti.*
Psal. 31. 4.

11. Multò tamen meliùs Regulo assimilatur gloriosissimus Martyr Laurentius, qui fuit avicula propter dignitatem Ecclesiasticam, sicut alibi diximus, homines Deo consecratos comparari avibus, & sæculares piscibus, ambo ex aquis producti. Avicula fuit, quia in dignitate Ecclesiasticâ juvenis, necdum ad sacerdotium provectus, magnanimus tamen & generosus erat. Valerianum Imperatorem tunc temporis, ut Crocodilum viventem, nec metuebat nec fugiebat, sed potiùs se illi offerebat, instigabatque ut se devoraret, ac tandem in os ejus ingressus, & inter dentes (crudelissimorum videlicet ministrorum manus) positus, nullo modo animum perdidit, sed ibi securus morabatur quasi in lautissimâ mensâ; licet enim ab igne devorari videretur, verè tamen nullum sensit damnum, sed potiùs Imperatori somno mortis oppresso, ab Icneumone diabolico viscera devorata fuerunt; quem licet S. Laurentius monitis & doctrinâ eripere non potuerit, alium tamen Crocodilum, S. Hypolitum Dei Ecclesiam persequentem à faucibus diaboli penitùs liberavit.

*Regulus est S. Laurentius.*

12. Coronam habuit auream propter charitatem, oculos magnos, ut miserias pauperum cognosceret, & rectam intentionem quâ soli Deo placeret. In æstate (pacis videlicet Ecclesiæ) quietus manebat, in hyeme autem persecutionis, liberè in civitate ambulabat. Spe quoque suâ frustratus tyrannus, dum eum capiens Ecclesiæ thesauris potiri putabat, quos antea in pauperes distribuerat. Consodales quoque suos virtutibus superare, ac calore, & fervore zeli sui accendere contendebat, tempore potissimùm persecutionis, in quo mirabiliter exhilarabatur, cùm etiam Archidiaconus fuerit, credibile est, eum prædicasse, ac vitia & peccatores instar vermium ro-

*Regulo in omnibus similis.*

dentium reprehendisse, & occidisse. Mulierum consortium abhorruit, semper virgo permanens, denique cum lauro in ore apparuit, publicans suum nomen Laurentius; & licet se à multis devorandum conspiceret, (qui tantùm ipsi vitam mortalem auferre poterant, non autem privare perpetuâ) viridante lauro caput ejus semper coronatum mansit, sicque victor de inimicis triumphavit.

*A Mulieribus se abstinuit.*

13. Quasi Aquila fuit S. Sixtus caput & Princeps omnium Sacerdotum, cum quo S. Laurentius quasi de primatu martyrii contendebat; licet enim altissimè volaverit, S. Sixtus sanguinem gloriosè pro Christo effundens; Laurentius tamen qui illum semper insequebatur ulteriùs ascēdit. Ideò illi dixit: *Te autem quasi juvenē manet gloriosior de tyranno triumphus post triduum me sequeris.* Illum Ecclesia quasi Regem martyrum summè honorat, nullius enim festum cum Octavâ nisi SS. Stephani & Laurentii celebratur. Aquila dici posset Romanorum Imperator, qui illam pro insignibus habebat, & licet summâ dignitate ultrà omnes mortales frui videretur; longissimè tamen à S. Laurentio superatus fuit, qui ab Aquilâ ipsâ (tormentis videlicet Imperatoris) in cælum sublatus, perpetuò victor exultat, Imperatore interim flammis suis deficiente.

*Ecclesia ut Regem martyrum honorat.*

14. Super omnia tamen Regulo simillimus fuit, quia in ferreâ craticulâ igni appositus tamdiu hilari facie, & magno cordis jubilo, nunc Deo gratias agens, nunc tyrannum deridens, permansit; ut dum hæc considero, non solùm mihi mens deficit, verùm etiam nomine digniori craticulā ferreā nuncupandam censeo, quàm instrumentum mortis. Quali ergò nomine illam insignire poterimus? Currus triumphalis vocari posset, in quo positus Laurentius, ad cælum evectus fuit, & igne, quasi purpurâ amictus, coronâ martyrii in capite insignitus, gloriosè de mundo, tyranno, diabolo, ac carne propriâ triumphavit. Juxtà dictum S. Sixti: *Te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus.*

*Igni appositus alacriter mansit.*

*Craticula S. Laurentii. Currus triumphalis videtur.*

15. Ad modum Eliæ, igneo curru raptus videtur in cælum, pallium carnis suæ in terrâ relinquens, & spiritu cælos conscendens. Idcircò Ecclesia ad imitationem Elisei petit sibi dari spiritum duplicem S. Laurentii, dum in oratione dicit: *Excita Domine in Ecclesiâ tuâ spiritum cui beatus Laurentius levita servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit, & opere exercere quod docuit.*

*Igneus Eliæ currus est.*

Theatrū dici potest, in quo ad splendorem non fulgentium luminum, sed carbonum ardentium, spectaculum sui ipsius exhibet Laurentius. Ita ut cum Apostolo dicere possit: *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* 1. Corint. 4. 9.

*Theatrum dici potest.*

16. Lau-

*Lautissima mensa.* 16. Lautissima mensa appellari potest, in illa quippè explevit Laurentius maximā famem suam patiendi pro Christo. Et ut secum comederet, tyrannum invitabat, dicens: *Assatum est, jam versa & manduca.*

*Nidus Phœnicis.* Admirabilis nidus Phœnicis, mihi ante oculos objicitur, in quo ut renascatur, se voluntariè hæc avis comburit: ita S. Laurent., ut novam & gloriosiorem vitam sortiatur, voluntariè, & hilariter moritur. Quare meritò cum S. Job dicere potest: *In nidulo meo morior, & sicut Phœnix multiplicabo dies.* Vt habet textus Græcus. *Iob.29. 18.*

*Babylonia fornax.* Nova Babyloniæ fornax mihi apparet, quia Laurentius instar trium puerorum in medio flammarum cantat, & benedicit Dominum, nec sentit aliud ignis nocumentum, quàm dissolutionem vinculorum carnis. Nec ipsi societas Angelorum deest, hoc quippè S. Hypolyto testante clarè patet: *Video ante te juvenem pulcherrimum festina me baptizare.*

*Vas in quo aurum probatur.* 17. Potest etiam nuncupari vas, in quo aurum per ignem probatur, quia in craticulâ ut aurum probatissimum examinatus, & purgatus fuit, Sic enim in persona ipsius cantat Ecclesia: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* *Psal. 16. 3.*

*Hortus amœnus.* Amœnissimus hortus non immeritò vocabitur; quia inter rubicundas rosas carbonum ardentium, candidum lilium puritatis Laurentii emicat. Mille insuper aliarum virtutum floribus ornatus, recreat intuentes: nec hoc mirū videri debet cùm largissimè pauperibus eleëmosynas distribuentes ab Evangelico Prophetâ horto amœno comparentur. *Cùm effuderis esurienti animam tuam, eris quasi hortus irriguus.* *Isaiæ 58.10.*

*Sacrum thuribulum.* Sacrum thuribulum appellari potest, etenim quasi incensum in medio ardentium carbonum positus, suavissimum odorem Deo, & hominibus offert: ut cum Apostolo dicere possit: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* *2. Corint. 2. 15.*

*Navis optimè instructa.* 18. Navis optimè instructa nominetur, in qua inter fluctuantes flammas positus, & suavi divinæ gratiæ aurâ afflatus, ad portum æternæ salutis felicissimè pervenit, ita ut cum Regali Prophetâ meritò dicere possit: *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* *Psal. 65. 12.*

*Altare holocausti.* Nomen altaris super quod seipsum holocaustum Deo obtulit, ipsi convenit, antiquitùs siquidem victimæ comburebantur, in craticula ferrea, ut per eā cineres defluerent, ut in Exodo habetur: sicque de illo affirmari potest: *Quasi holocausti hostiam accepit eum.* *Sapien. 3. 6.* Ad hoc sacrificium alludere poterat Laurentius, dum magistro suo S. Sixto dicebat: *Tu numquam sine ministro sacrificium offerre consueveras.* Eminentes profectò, & gloriosi tituli sunt isti, qui omnes virtutes & gloriam S. Laurentii mirabi-

mirabiliter prædicant & extollunt.

*Mollis lectus potiùs vocatur.*

19. His tamen omnibus derelictis nullus melior huic felicissimæ craticulæ titulus, quàm molissimi lecti potest assignari, in quo veluti in mollibus plumis adeò commodè jacebat, ut læto animo tyrannum derideret; & si non corporè ad minus animo involvebatur in flammis admodum Reguli. Vnde optimè ipsi congruit dictum emblemati appositum: *Sicut in lecto vertitur*: ex Sapiẽte desumptum, qui de pigro dormiente dicit: *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Nullus quippe piger ita contentus, in molli lecto decũbebat, ut S. Laurentius in craticula: ita ut dicere potuerit: *Lectulus noster floridus.* Ad quatuor diversa destinati sunt ab antiquis lecti. Primò ad quietem, de hoc S. Job: *Consolabitur me lectulus meus*: Hebræus textus sic habet: *Requiescere me faciet.* Secundò ad convivia, sic in libro Esther dicitur: *Cùm intrasset convivii locum Assuerus, reperit Aman super lectulum corruisse.* Tertiò ad sponsalitia celebranda, unde in Canticis dicitur: *In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea.* Quartò ad dormiendum, sic dicit Amos Propheta: *Qui dormitis in lectis eburneis.* Omnia hæc officia mirabiliter exequebatur craticula S. Laurentii.

*Dictum emblemati S. Laurentio bene convenit.*

*Proverb. 26. 14.*

*Cant. 1. 15.*

*Quatuor officia lecti.*

*Iob 7. 13.*

*Esther 7. 8.*

*Cant. 3. 1.*

*Amos 6. 4.*

*Primum officium lecti ad quiescendum.*

20. Quantum ad primum certissimum est lectum deservire ad quiescendum, in quo non una sola pars corporis, verùm etiam totum corpus, & singula membra sustinentur. Sic S. Laurentius in craticulâ totaliter extensus, quievit: qui plurimùm angebatur, dum S. Sixtus sine illo raperetur ad supplicium, quare plangendo dicebat: *Quò progrederis sine filio Pater?* Sed in craticulâ dulciter requievit. Quies (inquiunt Philosophi) est terminus motus Physici, & realis in corporibus; & motus Metaphorici (qui vocatur desiderium) in animâ, dum quippè anima obtinuit intentum, dicitur quietem invenisse. Sed quis umquam plus desideravit pro Christo pati, quàm S. Laurentius? Hoc invenit in craticulâ, ibi ergò quiescebat. Dicet aliquis, qui pugnat non quiescit, Laurentius pugnabat cum tormentis, cum tyranno, cum spiritibus infernalibus, ergò non quiescebat.

*Quid sit quies?*

21. Respondeo duo esse genera quietis, unum exterioris, alterum interioris; hoc ab inimicis externis, alterum ab internis; sed quod magis desiderabile? Sine dubio interna, plus quippè nocumenti affert discordia interna & domestica, quàm bellum externum. Hoc testari potest Roma, quæ semper invicta ab inimicis externis, internis dissidiis devastata fuit. Quid ergò homini accidit? Idem quod Livius Romanis accidisse asserit, qui dum nullis præliis occuparentur, contrà se in-

*Duplex quies interna, externa.*

se invicem tumultuabant, plebs contra nobiles, populus contra Senatum, cum maximo periculo ultimi exterminii: sed dum bellis externis opprimerentur, interiùs omnia pacifica erant, & seditiones cessabant, ita ut magis ipsis bellum quàm pax optanda foret. Similiter homini accidit, dum omnia placidè secundùm voluntatem nostram succedunt, nihilque exteriùs nos turbat; interiùs maximā sentimus commotionē, quia *caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem.* Dum autem caro variis tribulationibus opprimitur, non cogitat bellū inferre spiritui, ita ut verificetur istud dictum, *Ex bello pax*; ex bello videlicet externo, sequitur pax interna: ita quātò plus Laurentius exteriùs affligebatur, tantò magis internâ pace fruebatur; hujus autem quietis occasio erant flammæ quæ ipsi lectus quietis, & consolationis erant.

*Homo exteriùs vexatus interiùs quiescit.*

Ad Gal. 5. 17.

22. Hanc doctrinam optimè intelligens S. Hilarius, dixit: *Numquam Sancti meliùs requiescunt, quàm cùm laboribus fatigantur.* Sed ante ipsum magnus ille Patriarcha Jacob laboribus, & fatigationibus assuetus benedicens filio suo Issachar dixerat: *Issachar Asinus fortis, vidit requiem quòd esset bona, & supposuit humeros suos ad portandum.* Qualis est hæc benedictio; videtur potiùs maledictio? Quid pejus alicui dici potest, quàm quòd semper sit futurus Asinus portans pondera? Deinde quomodo ista conveniunt inter se? *Vidit requiem quòd esset bona, & supposuit humeros ad portandum?* Videbatur post hæc verba: *Vidit requiem quòd esset bona*, debuisse subdere, ut frueretur illâ. Vel aliter vidit bonum esse laborem, ideò se subdidit fatigationi: sed videre bonam requiem, & se dare labori tantum est ac videre viam commodam & contrariam sequi, vel judicare intellectu, hoc bonum faciendum, & voluntate aliud exequi: dare sententiam uni parti, & executionem contrariam exhibere. Si ergò affirmare velimus Patriarcham Jacob benè dixisse, dicendum est, requiem esse in labore, in tribulatione, & fatigatione. Propterea Issachar sapienter elegit laborem videns requiem bonam, & supposuit humerum ad portandum, quandoquidem *Sancti numquam dulciùs requiescant, quàm cùm laboribus fatigantur.* Cùm ergò S. Laurentius meliùs cognosceret hanc requiem, quàm Issachar, dici potest in craticula ignita tanquam in molli lecto dulciter quievisse. Sic de ipso hoc sentiebat S. Petrus Chrysologus, dicens: *Astrictus est ferro, sed ille craticulam supplicii, lectum quietis putabat.*

S.Hilar. c. 11. Matt.

*Sancti in tribulatione quiescunt.*

Gen. 49. 14.

*Quomodo hoc sit verum?*

S. Hilarius ubi supra.

*S. Laurentius hanc requiem expertus.*

Chrysolog. serm. 135.

23. Meliùs dicamus: quis locus proprius naturalis quietis uniuscujusque? propria sphæra, ubi eadem invenitur species, sic in mari pisces quiescūt, & flumina in terra ut proprio centro. Sed quid erat

*S. Laurentius igne divino accensus quiescebat.*

Laurentius? Totus ignis, ardens cælestibus flammis amoris: ubi ergò requiescere debebat nisi in igne? Cùm inter carbonum ardentium flammas positus, in propriâ sphærâ, & loco connaturali fuerit, per consequens, ibi dulcem invenit requiem. Animalculum Pirauſtam vocatum, graves affirmant auctores, vivere non posse, nec invenire requiem extra flammas, unde in emblemate ponitur cum hoc dicto, *Moriar si evasero*, si à flammis discessero animam exhalabo; quod si verum est, magnum profectò naturæ erit miraculum. Hoc in S. Laurentio verificari potest, qui adeò libenter versabatur in flammis, ut inde discedere maximum ipsi causaret dolorem, quinimò vitam & animam exhalare cogeret. Maximum profectò gratiæ divinæ miraculum.

*Homo non quiescit nisi in Deo.*

24. Sed veriùs inquiramus; ubi est centrum, & locus naturalis hominis? Non alibi nisi in Deo, teste S. Augustino dicente: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Vbi reperitur Deus, in prosperitate?
Job 28. 13. Minimè, quia Job Propheta dicit: *Non invenitur in terrâ suaviter viventium.* Sed in tribulationibus, & afflictionibus, teste David: *Cum ipso sum in tribulatione.* Moyses in
Psal. 90. 15. in ardenti rubo Deum invenit: S. Laurentius in ardentibus flammis quasi in centro; ibi ergò velut in mollissimo lecto requievit, nullam extra hunc locum requiem reperturus.

25. Secundum lecti officium erat antiquitùs, ut convivantes in eo quiescerent, non enim assidebant veteres mensæ, sed accubabant. Hoc officium flammæ, & craticula S. Laurentii exhibebant. Sed quomodo (dicet aliquis) epulabatur Laurentius? ubi mensa? ubi cibi? ubi socii? convivium est res maximè delectabilis, & Laurentius manet in tormentis: convivia pro conservatione, & exhilaratione corporis fiunt, ut nimirum impediatur calor naturalis, ne consumat humidum radicale. Econtrariò ignis iste aufert omnem vigorem corporis, destruit vitam, & humidum radicale penitùs absumit; quomodo ergò dicitur convivari, & epulari? Si diceremus ipsum præbere cibum (carnem videlicet assatam) credi posset; sed ipsum epulari, quis umquam concedet? Iterum tamen dicere audeo, ipsum inter flammas epulari: quod esse verum, ex communi illo Proverbio probare possem: *Quod sapit, nutrit*, nec credatis hoc vulgariter solummodo dici, imò verò conclusio est Philosophica, ratio est, quia non ad alium usum natura tribuit homini gustum, quàm ut comedendo, & gustando se nutriret; & quia natura nihil facit frustrà, nullum dedit saporem rebus quæ non nutriunt; sic videmus aquam nullum habere saporem,

*2. Lecti officium ad accumbendum mensæ.*

*S. Laurentius in flammis epulabatur.*

*Probatur ratione philosophica.*

rem,

rem, nec terram, nec lapides, quia nullum afferunt nutrimentum; valet ergò consequentia, si aliquod est saporosum, etiam est nutritivum.

*In flammis ut in convivio lætabatur.*

26. Sed quis umquam suaviori cibo usus est, quàm Laurentius flammis? Non videtis ipsum exhilarari, & ridere inter eas? Non advertis quòd putet se esse in paradiso? Vnde dicit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Quare gratias agit? quia Christiani numquam comedunt sine gratiarum actione, ad exemplũ Christi; dicit se introisse portas paradisi, propter dulcissimum saporem, quem in passione sentiebat. Quod si S. Stephano lapides torrentis dulces fuerunt (ut canit Ecclesia) etiam de eo cantare posset, prunæ ardentes illi dulces fuerunt, dulciores supra mel, & favum. Etenim ut Cardinalis Baronius notat, tormenta Martyrum sunt figurata in favo mellis, quem reperit Sampson in ore Leonis mortui; tyranni siquidem erant Leones mortui in peccatis suis, qui dum Christianis maximum inferre putabant malum illos persequendo, dulcissimum mel martyrii porrigebant.

Baron. in præfatione ad Martyr. Rom.

*Ignis, nutrimentum S. Laurentii.*

27. Nec solùm prunæ ardentes S. Laurentio dulces fuerunt, verùm etiam optimum nutrimentum. Docet Peripateticorũ Princeps Aristoteles, cibum ut boni sit nutrimenti, non debere esse totaliter similem, nec totaliter dissimilem nutrito, licet similior possit esse quàm dissimilior. Non totaliter potest esse similis, quia inter similia non datur actio, simile enim non agit in simile, nec convertuntur in se mutuò, unde caro humana non est bonum hominis nutrimentum. Nec totaliter dissimilis, quia nimis difficilè qualitates perfectæ conversioni contrarias cõcipit: idcircò herbæ malum dant homini nutrimentum, carnes autem animaliũ cùm non sint totaliter dissimiles, vel similes, optimum præbent alimentum. Tales erant flammæ S. Laurentii, ipse enim ut diximus, ardẽtissimo flagrabat divino amore; flammæ ergò istæ erant ipsi aliquo modo similes, quia ignis erant, & dissimiles, quia alterius sortis; sicut caro bestiarum est alterius generis à carne humana: habebant ergò omnes conditiones requisitas ad nutrimentum.

*Cùm esset inflammatus, flammis nutriebatur.*

28. Philosophi docent, & experientiâ patet, parvam flammam absorberi à magnâ; sed quomodo hoc? Nónne est lex naturæ, quòd simile non agat in sui simile? Quomodo ergò una flamma ab aliâ absorbetur, & extinguitur? Nónne hoc axioma ab omnibus est receptum: *Omne agens producit sibi simile?* Quomodo ergò flamma non solùm non producit aliã, verùm etiam productam extinguit? Responsio est facilis, flamma quippè major non immediatè extinguit minorem, sed per accidens,

dens, quia nulla flamma sine nutrimento sustineri potest, sic ergò flamma major cùm majorem habeat vim, ubi accedit minori, devorat omne nutrimentum ejus, sicque illam extinguit, & devorat. Hic effectus mirabiliter apparet in glorioso Martyre S. Laurentio, qui accensus erat maximâ amoris divini flammâ, è contra tyrannus curat alium ignem accendi, sed multò minorem igne divino; congregantur hi duo ignes, quid inde sequitur? Major ignis, devorat minorem, ignis S. Laurentii extinxit ignem tyranni. Ignis ergò materialis fuit cibus ignis spiritualis S. Laurentii, sicque dici potest flammis nutriri. Quod S. Leo Papa pulchrè declarat; *Segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intùs accendit.* Et S. Augustinus: *In comparatione ferveris quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat.* Et S. Maximus: *Nec pœnali flexus incendio est, cujus in pectore insuperabilis sancti Spiritus flamma fervebat*; propterea S. Laurentius tyrannum ad epulas invitabat. Sed ubi mensa erat? Ecce craticulam; ubi convivantes? Non deerant Angeli, nec Deus ipse, dicit enim; *Cum ipso sum in tribulatione.* Invitat tyrannum ad propriam carnem, tantò ipso humanior: *Assatum est, jam versa, & manduca.* Non obtulit illi ignem, quia non inflammatus erat eodem igne, sed carnē humanā, quia naturâ ferinâ similis bestiis evaserat.

*Igne divino ignem tyranni extinxit.*

S. Leo in serm. de S. Laurentio. S. August. Homil. de S. Laurentio. S. Maxim. homil. 1. de S. Laurentio.

Psal. 90. 15.

29. At meliùs dicamus eum præparasse convivium Christo, cujus sacræ mensæ assidens, recordabatur dicti Sapientis juxtà versionem 72. interpretum: *Si sederis cœnare ad mensam potentis, cognoscens intellige quæ apponuntur tibi, & sic extende manum tuam, sciens quoniam similia te oportet præparare.* Sic Christo mensam præparabat, dum in craticulâ carnem suam assabat; *Intellexit hoc* (dicit S. Augustinus) *S. Laurentius, ac fecit, & prorsus qualia sumpsit in tali mensâ, talia præparavit.*

*Christo convivium præparabat.*

Prover. 23.

Vbi suprà.

30. Tertium lecti officium est, inservire nuptiis & sponsalibus, quod officium carbones S. Laurentii sunt executi. Quid enim sunt sponsalia nisi unio indissolubilis inter duas personas amantes: S. Laurentius hoc igne, se indissolubiliter univit amantissimo Sponso Jesu Christo. Primò quidem unitus erat per gratiā, sed hæc unio rumpi poterat in hâc vitâ, quia solùm erant sponsalia de futuro, sed dum in lecto flammarum jacebat, matrimonium de præsenti contraxit, ita enim Christo unitus fuit, ut numquam potuerit separari. Dum Apostoli omnia relinquerent, & sequerentur Christum promisit ipsis sedes Regni cælestis, sed in futuro; *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim* &c. Sed dum fortes in tribulatione persistebant, dixit: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis.*

*3. Lecti officium sponsalibus inservire.*

*Per ignem se Christo univit.*

Mat. 19. 28.

Lucæ 22. 28.

*bit, ut sedeatis super mensam meam;* non dixit *disponam*, sed *dispono*, quia jam matrimonium initum erat: pariter in octo beatitudinibus: *Beati qui persecutionem patiuntur, quia ipsorum est Regnum cælorum*, quasi diceret, jam ad ipsos pertinet Regnum cælorum.

*Tribulatio Deo nos perfectè unit.* Mat. 5, 10.

*Mos antiquus sponsalia celebrandi.*

31. Varios ritus, modosque observabant antiqui in sponsalitiis, inter quos notabilis est ille, qui observabatur in Boëtiâ; ubi conducentes Sponsam domum Sponsi in curru, cùm ad portam domus advenissent, currum ante januam comburebant, significare volentes Sponsam non ampliùs exire debere. Hæc etiam consuetudo in S. Laurentio observata fuit; etenim vis currum quo ductus fuit? Vide craticulam cui est superimpositus, ac in signum quòd jam ad januam Sponsi pervenerat, accenditur ignis: quod ipse sciens, clamat voce magnâ: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Mos etiam fuit valdè antiquus coronare Sponsos & Sponsas; unde Evangelicus Propheta gloriabatur, dicens: *Quasi Sponsum decoronatum coronâ*: hâc cæremoniâ demonstrans, Sponsam adeò contentam esse debere matrimonio, ac si Regnũ adepta fuisset: *Quia mulier diligens corona est viro suo*, vel quia præsupponebãtur victores propriæ sensualitatis, & amoris. Sed quæ materia harum coronarũ? Vt plurimùm ex floribus, aut frondibus viridibus esse solebant, & particulariter ex iis quæ numquam amittunt viriditatem, ut sunt myrtus, laurus &c. Significantes amorem numquam languescere debere. Sic Laurentius portat coronam martyrii ex suo nomine formatam, lauro nimirum, potuit ergò meritò dicere: *Tamquam Sponsum decoravit me coronâ.*

Isaiæ 61. 10.

Prov. 12, 4.

*S. Laurentius ut sponsus coronatus.*

32. Dicet fortè quispiam, si sponsalitia contrahit, ubi est dos ejus, quam dare tenetur, olim quippè Sponsi dotem afferre debebant, sic Jacob quatuordecim annis pro Rachele servivit? Non quæras dotem, amplam enim & ditissimam præmisit per manus pauperum, ut tyranno respondit: *Divitias quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt.*

*Dotem exhi consulit.*

33. Pulchra etiam fuit apud Gentiles consuetudo, teste Plutarcho: quâ Sponsæ ad domum Sponsi adductæ, offerebatur ignis & aqua, multa bona illi augurantes; ex aquâ quippè & igne omnia ferè generantur; cùm etiam hæc duo sint instrumenta, quibus omnia in domo peraguntur, disceret Sponsa se venire domum Sponsi non recreationis & quietis causâ, sed laboris; vel quia hæc signa sunt tribulationum, dicente Prophetâ: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, recordaretur Sponsa se venisse ad patiendum. Multò tamen meliùs dicere possumus Deum sponsos suos excipere; & primò velle eos transi-

Plutarchus in quæst. Roman.

*Ignem & aquam suscepit more antiquo.*

Ps. 65, 12.

transsire per ignem & aquam, per varia videlicet tormenta: ut primò Laurentius per ignem & aquam transivit: per aquam, quia omnes divitias pauperibus distribuit, quæ nihil aliud sunt quàm aqua, juxtà illud Davidicum: *Divitiæ si affluant nolite cor apponere*, eleëmosyna quoque aqua est: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum*. Per ignem transivit, quia supra craticulam assatus: advertens ergò propè januas Sponsi esse dicebat: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*.

*Divitiæ & eleemosyna aqua sunt.* Ps. 61.11.

34. Dicet fortè quispiam S. Laurentius non se sponsum, sed servum appellat, dicens: *Miserere mihi Domine servo tuo*. Ad hæc responsio est facillima, nam Virgo Maria, cùm Mater Dei esset, non se Dominam appellavit, sed ancillam, dicens: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*: unde sicut ex his verbis colligunt Doctores, Mariam nihilominus fuisse Matrem, filiam & sponsam Dei, licet humillima & modesta foret. Sic ex verbis S. Laurentii summam ejus humilitatem colligere possumus: non solùm quia se servũ appellat, verùm etiam quia dixit: *Miserere mihi servo tuo*, quasi esset maximus peccator indigens Dei misericordiâ ut ipsi ignosceret peccata. Vides ô beatissime martyr paradisum pro te apertum, & dicis te introisse, *Quia januas tuas ingredi merui*. Et petis adhuc tremebũdus misericordiam pro peccatis? Si aliquid commiseris, eleëmosynæ aquis delevisti: quia *sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum*. Dico ampliùs, proprio sanguine delevisti peccata, quia martyrium alterum baptisma est, quod abluit omnia peccata. Quid ergò misericordiam petis? probatus es sicut aurum in igne, unde in tuo festo canit Ecclesia, *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*. Testimonium habes Summi Pontificis, cui meritò dicere poteras, *Quid in me displicuit Paternitati tuæ*: prædictio ipsius, securum te reddit triumphi; & unde occasionem habes timoris? Dicemúsne te petere misericordiam, non pro animâ, sed pro corpore? Non ut certum reddatur iter paradisi, sed ut libereris à tormẽtis tyranni? Non pro æterna salute, sed pro vita temporali? Nullo modo, nihil enim magis desiderabas, quàm pati, & mori pro Christo. Cùm enim in una parte satis assatus esses, ita ut caro tua mortificata nullum sentiret ampliùs dolorem, petivisti à tyranno ut verti posset in aliud latus: *Assatum est, jam versa, & manduca* ut magis corpus pateretur. Misericordiam ergò pro anima petivit, unde mirabiliter in uno corpore, ardentissimus amor, profundissimæ humilitati conjunctus fuit.

*Pro humilitate se servum vocat.* Lucæ 1.48. *Et misericordiâ Dei se indigere dicit.* Ps. 16.3. *Cur misereri sibi postulat?*

35. Quartum lecti officium est, ut somnus super eum capiatur, dul-

*Quartũ lecti officium; ad dormiendum.*

dulcissimo somno suprà craticulam requievit Laurentius. Neque admirandum est servos Dei in tribulationibus aut persecutionibus requiescere; etenim David inimicorum persecutionibus oppressus dicebat: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?* Ita ut multi judicarent nullam ipsi spem superesse: *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus.* Sed tunc quid fecisti ô David? *Voce meâ ad Dominum clamavi, & ego dormivi & soporatus sum.* Mirabilis profectò lectus est tribulatio, extra quem non videtur Sancti posse quiescere, nisi inquietè & turbatè, unde iterùm David, ex magno periculo à Domino ereptus dicebat: *Eripuit me de medio catulorum Leonis, dormivi conturbatus*: jam extra periculum benè quievisti David? Quinimò inquit, *Dormivi conturbatus*, sicut homo non benè jacens turbatur sæpiùs. Dormivit ergò S. Laurentius dulcissimè in hâc craticulâ, quia dulci contemplationis somno correptus putabat se jam in paradiso esse, ideircò dicebat; *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Vultis scire quanta fuerit hæc requies & consolatio? tanta fuit, ut acerbissima tormenta non sentiens deridebat tyrannum. Hoc notat S. Maximus, dicens: *Ardet profectò totis visceribus fortißimus martyr, & uritur: sed Regnum cæli promißaq; fideli mente pertractans, refrigerio conscientiæ victricis exultat.* Crederem equidem ipsum tunc mente inter Angelos versatum, quia S. Romanus unus ex astantibus vidit Angelum abstergentem sudorem, & purgantem vulnera ejus, unde exclamare cœpit; *Video ante te juvenem pulcherrimum, festina me baptizare.*

*Sancti in tribulatione quiescunt.*
Ps. 2. 3.
Ibid. 5.
Ps. 56. 5.
*S. Laurentius in craticulâ optimè quievit.*
Homil. 1. de S. Laurentio.

36. Quæro, utrùm S. Laurentius conspexerit Angelum oculis corporeis? Arbitror solùm oculis mentis vidisse. Ergóne majoris fuisset meriti S. Romanus qui illum ita vidit? Minimè: sed quia Romanus non videbat illum oculis fidei, voluit Dominus ei manifestare oculis corporeis: sed Laurentius qui sciebat non solùm Angelos, verùm etiam Angelorum Dominũ ibi esse præsentem, non debebat illum videre corporaliter. Adjungere possumus, quòd visio corporalis Angeli minuisset martyrium S. Laurentio, & consequenter meritum, quare voluit Deus ut non videret oculis corporis, sed mentis, ne desiderium pro Christo patiendi minueretur.

*Virùm viderit Angelum oculis corporeis?*

37. Dulcissimus denique lectus fuit craticula S. Laurentio, quia mors justorum vocatur somnus & requies; ibi felicissimam animam reddidit Creatori. Jussit olim sibi præ nimia mollitie quidam lectum è rosis confici, in quo requiesceret; lamentabatur tamen ob lecti duritiem se à somno fuisse excitatum, sed Laurentius in ferreo lecto positus, supra carbones ardentes, mollissimè jacebat, nec umquam

*In craticulâ molliter quiescebat.*

quam de lecti duritie, aut molestiâ conquerebatur. In quo maximam differentiam servorum Dei, & mundi colligere licet; quandoquidem his etiam rosæ duri lapides; istis carbones ardentes videantur rosæ. His deliciæ tormenta sunt; illis tormenta videntur deliciæ. Ægyptiis aqua in sanguinem versa est, Hebræis petræ scaturierunt mel; quis ergò non mallet Laurentio compati, quàm mundanis deliciis affluere? Quis non inflammabitur vehementi desiderio patiendi pro Christo, considerans lætitiam quam in asperrimis tormentis monstravit S. Laurentius? Gloriosissime martyr, invictissime Athleta, Regis cælorum ferventissime amator, qui in hâc vitâ illuminasti cæcos, distribuisti thesauros pauperibus, consolatus es afflictos, honorasti carceres, sanctificasti craticulam, & participem tui amoris fecisti SS. Hypolytum, & Romanum: illumina quæso corda nostra, & spiritualem cæcitatem, locupleta paupertatem nostram, consolare afflictos, amatores fac patiendi, & accende indurata corda, ferventissimo divini amoris zelo, ut tandem tecum æternâ requie, & pace perfrui mereamur in sæcula. Amen.

*Quis non vellet Sanctis compati ut congaudere possit*

IN FESTO

# IN FESTO SANCTI BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

## DISCVRSVS VIGESIMVS PRIMVS.

*De animi fortitudine, & rectitudine ejusdem.*

Serpens inter saxa se spolians pelle.

*Renovabitur juventus mea.*

### SVMMARIVM DISCVRSVS.

*Serpentis naturam & proprietates refert primis sex numeris.*

*S. Bartholomæum Nathanaëlem fuisse probat. num. 7. 8. 9. 10. 11.*

*Humilitatem & fortitudinem ejus exponit. num. 12. 13. 14. 15. 16.*

*Divitiarum contemptum & animi sinceritatem exhibet. à num. 17. usque ad 26.*

*Proprietates serpentis ei applicat, à numero 27. ad finem usque.*

*Serpens homini inimicus & amicus.* 1. INter omnia terræ animantia nullū cum homine majorem inimicitiam, & cognationem habet, quàm serpens. De inimicitiâ, nullum credo contradicere; ultrà enim quotidianam experientiam, adest divinum illud oraculum in mundi initio divulgatum; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius.* (Gen. 3. 15.) Sed de cognatione multis fortè dubium apparebit. Faciliùs tamen hoc probavero, si cum gravissimis auctoribus asseruero, ex mortui hominis medullâ serpentem generari. Ad quod videtur allusisse Sapiens dum dixit: *Cùm morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.* (*Ex homine mortuo generatur.* Ecclesiastici 10. 13.) Huic opinioni favet Plutarchus, dicens; Cleomeni mortuo, serpentem maximum adfuisse ita protegentem corpus, ut ne avem quidem appropinquare sineret. (Plutar. in vitâ Cleomenis.) Vnde antiquis, hujus rei causam ignorantibus, eum fuisse virum à Diis honoratum creditum fuit. Sicuti enim ex variis animalium cadaveribus nascuntur

vermes, fuci, & culices; sic ex medullâ hominis mortui serpens generatur.

*Serpentes cur amici nostri?*

2. Si ergò sanctissimus Propheta Job vocat cognatos, & amicos suos vermes, illisque titulum matris, & sororis tribuit, quia ex carne humanâ jam putrefactâ generantur. (*Dixi putredini pater meus es, mater mea & soror mea vermibus*) potiori jure dicere poterimus illos amicos nostros propinquiores esse, quia ex re magis internâ, qualis est medulla, generantur. Hinc etiam colligi potest argumentum majoris inimicitiæ inter illos; tum quia inter parentes solet esse inimicitia implacabilior; tum etiam, quia juxta Philosophos generatio, & corruptio inter se contraria exercent. Si ergò homo dum corrumpitur generat serpentes, necesse est ut serpenti contrarius sit. Crescit hæc inimicitia; eò quòd serpens sit animal venenosum in terrâ serpẽs, & pedibus insidietur, visu deforme, & sæpissimè occasio mortis eum tangentibus. Nihilominus sicuti à serpente venenoso Theriaca formatur, præstantissima contra plurima mala medicina, & mirabile contra venena antidotum; sic ex consuetudine, & moribus ejus pro principaliori virtute (prudentia nempe) utilissimum possumus accipere exemplũ, juxta dictum Salvatoris nostri: *Estote prudentes sicuti serpentes.*

Job 17.14

*Et cur inimici?*

Matt. 10.15.

*In quo sita prudentia serpentis?*

3. In quo hæc prudentia serpentis consistit? In exponendo corpore, & abscõdendo capite ne lædatur, cùm ex eo tota vitæ ratio dependeat; ex quo advertendum omnia potiùs nostra mille periculis exponenda, ut fidẽ tenere possimus; quod pulchrè sanctus Joannes Chrysostomus declarat his verbis: *Serpentis prudentiam imitari nos Dominus cohortatur, ut quemadmodum serpens totum seipsum tradit, nec minimum curat si corpus inciditur, dum caput suum integrum servet, eodem tu quoque modo præter fidem cætera perdere non cures,* &c. Magis hoc explicat, auctor sermonum ad fratres in eremo, ubi inter alios effectus prudentiæ serpentis, primò ponit, quòd venenum in gutture teneat, ut statim illo uti possit, cùm ab inimicis impugnatur. In quo serpentem imitari possumus, si semper arma ad defensionem contra inimicos fidei prompta habuerimus, & præcipuè orationem. Secundò, dum ad fontem pergit bibiturus, venenum in loco securo ponit, ut reversus resumere queat: quod nos imitari debemus, deponendo venenum dum ad fontem gratiæ venimus, illud ampliùs non recipientes. Vult quoque S. Bernardus particulariter hoc venenum deponi, dum ad fontem sanctissimorum Sacramentorum accedimus. Tertia species prudentiæ est, quod serpens singulis annis per foramen angustum petræ transeundo, antiquam pellem deponat,

Chrysost. hom. 34. in Matth.

Serm. 4.

*Bibiturus, venenum deponit.*

S. Bernard. in tractatu ad sororem

*Pellem renovat.*

nat, licet cum magno dolore, ut novam recipiat, & pulchrior evadat.

Plin. l. 10. cap. 27.
*Quomodo hoc fiat?*

4. Cùm ergò supra hanc proprietatem constituerimus emblema, operæ pretium erit, paulò exactiùs hæc omnia cum Plinio indagare: dicit ergò, quòd serpens hyemali tempore pellem omninò rigidam, & rugatam, ex continua quiete habeat: adveniente primò verè, ungitur succo fœniculi, & auferens superiorem pellem, nitidior & agilior evadit. Incipit autem primò à capite, & uno die ac nocte revestitur, ita ut superficies interior, modò exterius appareat. Hyemis quoque tempore obscuro delitescens in loco, oculósque inde caligantes reperiens, eos herbâ maratra dictâ linire solet; & si fortè palpebræ simul cohærerent, eas fricando dissolvit, spinísque iuniperi purgat. Huc usque Plinius. Nec difficilis hæc applicatio est, quia tempus peccatorũ, tempus hyemale vocatur, de quo in Canticis:

Cant. 2. 11. *Iam hyems transiit*; quando peccator quærit latebras obscuritatis,

Ioan. 3. 20. *Qui malè agit, odit lucem*, sed radiis divinæ gratiæ illustratus, obscuritatem propriam agnoscit; & latebris peccatorum relictis, per arctam pœnitentiæ, & mortificationis viam incedens, mores antiquos derelinquit, & novos induit juxta Apostolum; *Expoliantes vos veterem hominem, & induentes novum*; sicque cum Psalmistâ dicere potest; *Renovabitur ut Aquilæ juventus mea*: si oculi propriis passionibus offuscentur, spinis iuniperi (pungentibus videlicet cogitationibus) illos aperire, & perfricatione memoriæ passionis Christi caligationi mederi potest.

*Peccator serpentem imitari debet.*

Ad Colos. 3. 9.

Ps. 102. 5.

*Serpens fugit homines.*

5. His quatuor prudentiæ serpentinæ actionibus alios adjungere possumus, quòd nimirum fugiat homines quantum potest. Ad quod videtur allusisse Christus dum subdit: *Cavete autem ab hominibus*; nulla quippè res tantũ nocumenti alicui adferre solet, ut conversatio hominũ, quia *inimici hominis domestici ejus*. Deinde serpens hyemis tempore semper absconditur, quia frigus ipsi est contrarium: unde addiscere debemus, quomodo omnis occasio sit fugienda, & hominum consortium vitandum, ne animæ nostræ damnum inferamus. Multos alios prudentiæ effectus assignare possem, quos brevitatis causâ lubens omitto: solùm referam quod à patre quodam Josepho ex Brasiliâ rescriptum fuit, summoperè mirandum.

Matt. 10. 17.

Ibid. 36.

*Ad nobis imitandum.*

*Mira magnitudinis serpens.*

6. Scribit ergò ibidem serpentem quemdam reperiri voracem, inauditæ magnitudinis, Tapur dictum, qui cùm animalia deglutivit, quæ digerere non potest, tam diu supinus in aëre aperto instar mortui jacet, dònec ventre putrescente, aves alliciat, quæ ventrem omniaque in eo reperta devorantes, ipsum à morbo liberum

rum reddunt, sicque liberatus, brevi sanitatem recuperans, intermissam venationem repetit.

*Peccatoribus hic imitandus.* Exemplum hoc est peccatoribus imitandum, qui conscientiam peccatis onustam habentes, humili confessione ac ferventi contritione aperire deberent, ac inde volucres aëreas pauperes nempè Christi cibantes, primam subitò salutem, ac animæ sanitatem consecuti, denuò salutifero se cibo reficere possent.

*Optimè serpentis prudentiam imitatus.* 7. Serpentis prudentiam nullus inter pauperes, nec Reges meliùs imitatus fuit S. Bartholomæo, qui fuit ut serpens inter Apostolos simplices & indoctos, ipse enim versatissimus & doctissimus fuit in Scripturâ sacrâ, ut verba illa quæ S. Philippo dixit, osten-
Joan. 1. 46. dunt: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Communiter quippe SS. Patres affirmant, Nathanaëlem fuisse in lege doctissimum, qui fuit sanctus Bartholomæus; ut doctissimè probat Bartholomæus Gavanta in parvo tractatu de hâc materiâ adjunctus Commentariis in Rubricas Missalis, qui multos citat auctores idem asserentes. Nos hîc breviter aliquas conjecturas adjungemus, propter quas hoc multò probabiliùs æstimemus.

Barthol. Gavanta tract. de S. Barth.

*S. Bartholomæum Nathanaël dictum:*

*Probatur undecim conjecturis.* 8. Primam ipsi laudem Christus tribuit, dicens: *Eccè verè Israëlita, in quo dolus non est*; cùm enim
Joan. 1. 47. Nathanaël fuerit repertus bonus,
1. & innocens, non est credibile, ipsum non fuisse ex numero duodecim Apostolorum, vel saltem ex septuaginta duobus discipulis, sed S. Dorotheus hos omnes proprio nomine recensens, inter eos Nathanaëlem nõ refert, ergò erit ex numero duodecim Apostolorum, nec alius esse potest, quàm
S. Bartholomæus. Secunda con- 2.
jectura est, ipsum Salvatorem dixisse Nathanaëli: *Videbitis cælum* Ioan. 1. 51.
*apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Ergò fuit ex intimis Christi discipulis, quia hæc visio non omnibus revelata fuit. Tertia est, quia 3.
ejus vocatio describitur cùm vocatione aliorum Apostolorum. Quarta, quòd ipse post resurre- 4.
ctionem fuerit ad mare Tiberiadis, ubi non erant alii quàm Apostoli, & cum eis viderit Christum resuscitatũ, ergò erat ex ipsorum
numero. Quinta, S. Joannem 5.
numquam nominasse S. Bartholomæum, nec ejus vocationis ullam mentionem fecisse. Nec opinandum à S. Joanne omnia tam accuratè enumerante, vocationem Apostoli omissam, & Nathanaëlis vocationem, nec Apostoli, nec
discipuli fuisse descriptam. Sexta, 6.
quòd Evangelistæ simul ponant S. Philippum, & S. Bartholomæũ, juxta illud, quod S. Joannes narrat vocationem Nathanaëlis factam
post vocationem S. Philippi. Se- 7.
ptima, quod alii omnes Evangelistæ nullam mentionem faciant Nathanaëlis; credibile ergò est eos illum ponere sub nomine Bartholo-

Digitized by Google

tholomæi: sicut è contra S. Joannes nullam mentionem faciens S. Bartholomæi, illum intellexit sub nomine Nathanaëlis.

8. 9. Octava conjectura est, hoc nomen Bartholomæus compositum ex *Bar* & *Tholomæus*, significare filium Tholomæi, unde credibile est illum respectu patris ita vocatum, nomen tamen proprium ipsi fuisse Nathanaël.

9. Nona, si Nathanaël non fuisset Apostolus, saltem in locum Judæ cum Josepho, & Matthiâ, propositus fuisset, cùm ab initio ut Apostoli, Christum secutus fuerit, & cum eis post resurrectionem adhuc manserit; nec putandum est eum umquam deseruisse societatem Apostolicam, & propterea dignum fuisse gradu Apostolico.

10. Decima, S. Petro ob præclaram confessionem factam: *Tu es Christus filius Dei vivi*, dedit Dominus primatum omnium Apostolorum; sed multò excellentior fuit confessio Nathanaëlis: *Tu es filius Dei, tu es Rex Israël*. Cùm ergò Deus sit liberalissimus in remunerando, credibile est ad minus ipsum admisisse in numerum duodecim Apostolorum.

Matt. 16. 16.

*Si S. Petrus ob confessionem remuneratus à Christo cur non Nathanaël?*

Joan. 1. 49.

10. Dices forsitan eum pro suâ confessione accepisse promissionem illam: *Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei, ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Sed subjicio, duplici laude extulisse Nathanaëlem Christum, primò, *Tu es filius Dei*, secundò, *Tu es Rex Israël*. Promissio ergò illa correspondere posset secundæ laudi; *Tu es Rex Israël*: sicut enim Israël vidit scalam per quam descendebant, & ascendebant Angeli, & in eodem loco erexit lapidem, quem unxit oleo: sic Nathanaël se verum Israëlitam exhibens, & Christum Regem Israël recognoscens, necesse fuit ut mercedem, & favores Israëlis acciperet, sicque in petrâ uncta quæ Christus est, vidit Angelos ascendentes, & descendentes. Sed si secundæ parti confessionis Nathanaëlis tantum correspondet præmium; rationi consonum est, ut primæ parti, quæ major est, majus correspondeat, vocatio videlicet ad Apostolatum. Vndecima, Ecclesia nullum celebrat festum, aut memoriam facit Nathanaëlis, cùm tamen à Christo honoratus fuerit, ipsumque secutus cum aliis Apostolis, donec resurrexit; unde credibile est ipsum esse sanctum. 11.

Joan. 1. 51.

*Duplex confessio duplicem mercedem meretur.*

11. Verum quidem est, S. Augustinum dicere Nathanaëlem non fuisse electum in Apostolum, quia doctissimus fuit. Sed credo ipsum hoc dixisse, quòd cùm fuerit in doctrinâ excellens, quærebat occasionem se humiliandi, & voluntariè hanc sententiam amplectebatur, tamquam minùs favorabilem doctis. S. Augustinus quoque sciebat S. Paulum fuisse doctissimum, eum tamen ab Apostolatu non exclusit; insuper, doctrina conjuncta humilitati, & boni-

*S. Augustinus non contradicit huic opinioni.*

bonitati vitæ, laudabilior est quàm sancta simplicitas, aut rusticitas, teste Hieronymo. Aut fortè voluit S. Augustinus dicere non legi in S. Scripturâ Nathanaëlem electum fuisse in Apostolum, sed non negare electum fuisse: sicuti S. Paulus de Melchisedech, ait: *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ*, quia nec pater, nec mater ejus in Scripturâ sacrâ descripti reperiuntur, cùm tamen absq; iis natus non fuerit.

S. Hieron. in Comentar. ad Galatas.

Ad Hebr. 7. 3.

12. Erat ergò S. Bartholomæus doctior, magisque versatus in sacrâ Scripturâ omnibus aliis; nec tamen propterea insuperbivit, aut sapientiorem aliis se existimavit. Argumentum hujus esse potest, quod de ipso nihil in Evangelio legamus. De SS. Petro, Andrea, Jacobo, Joanne, Thomâ, Philippo, Thadæo, aliqua reperimus scripta; sed de S. Bartholomæo ab eo tempore quo Christum secutus est, ne in minimo quidem mentio fit. Quod contigisse puto ob summam ejus humilitatem, vel quia indignum se reputabat loqui coram æternâ sapientia, vel obstupescebat conspiciens admirabilia signa, & prodigia; qui enim res divinas ampliùs penetrat, & cognoscit, magis admiratur, & minùs se cognoscere fatetur, nec de illis loqui præsumit. Quando Deus voluit mittere Moysen, legatum ad Pharaonem, se excusavit, & inter alia dixit: *Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum*. Quomodo cum Deo loquendo impedita fuerat lingua ejus? Minatúsne illi fuerat? Non, quinimò admodum benevolè locutus; si dixisset ob præsentiam divinam sibi hoc contigisse, non admirarer: legimus quippè multos præcellentes Oratores ob præsentiam supremorum Principũ ita obmutuisse, ut orationem prosequi non potuerint, ita accidit Demostheni coram Philippo Macedonum Rege; sed quòd loquela taliter impediatur, admiranda res est, cùm potiùs oppositum dicendum esset, quia locutio unius, alterum ad loquendum inuitat: sic enim, inquit Sapiens: *A facie verbi parturit fatuus*, subitò quippè ac stolidus alios audit loquentes, etiam ipse sua effutire desiderat: qui surdus nascitur, mutus simul ordinariè est, ex auditu enim addiscitur locutio. Vnde ergò Moyses sic loquebatur? unde proveniebat impedimentum linguæ ejus?

S Bartholomæus doctus & humilis.

Cur in Evangelio nil de S. Bartholomæo reperitur?

Exod. 4. 10.

Ecclesiastici 19. 11.

13. Dicerem ego, id accidisse, eò quòd revelaverit ipsi Deus secreta altissima, nomen suum ineffabile, suum esse æternum, propter quæ admirabundus nesciebat aperire os, & eloqui quæ audiverat. Sic sanctus Bartholomæus in principio suæ conversionis admirari incipiebat, dicens: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Fuit etiam sanctus Bartholomæus in morte suâ similior Christo cæteris Apostolis, quia non solùm in cruce

Joan. 1. 46. *Christo in morte similis.*

Iacob. de Voragine in vita S. Barthol.

cruce suspensus fuit, ut refert Jacobus de Voragine, sed etiam excoriatus ad similitudinem Christi, qui flagris & flagellis totâ pelle spoliatus fuit.

14. Quid sibi vult quòd tantis hic S. Apostolus sit affectus suppliciis? Quomodo illa sustinere potuit? Legi quidem multos diversis temporibus excoriatos fuisse, sed nullus pelle denudatus, vivere potuit; quin potiùs ante excoriationem, aut in ipso actu spiritum emiserunt. Quomodo ergò sanctus Bartholomæus pelle privatus, vivere non desiit? Vt enim vita ipsi tolleretur, necesse fuit ei caput amputare. Fortè longis ac continuis jejuniis ita extenuatus erat, ut cum patientissimo Job dicere potuisset: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*; cùm ergò pellis carni non adhæreret, facilè abstrahi poterat absque eo quòd spiritum exhalaret? Vel quia solitus erat orare, & mente in Dei laudibus occupari, modò divinis contemplationibus absorptus, nullum tormentum, aut dolorem in abstractione pellis sentire potuit? Idcircò tamdiu vivus conservari voluit?

*Quomodo excoriatus vivere potuit?*

Iob 19. 20.

*Varia congruentia istius.*

15. Fortè assuetus se disciplinis excoriare, & asperitatibus corpus domare, nullum sensit nocumentum dum ei à carnificibus pellis detraheretur? Sicut Mithridati assuefacto sumere venenum, nihil nocebat. Vel ad minus dicere poterimus pellem ejus adeò fuisse mortificatam, ut mortua videretur; cùm enim mortuam scindimus pellem nullum sentimus dolorem. Sic sancto Bartholomæo pellis ita detracta fuit, ut nullum inde vitæ nocumentum sentiret? Vel cibando se continuò sale Sapientiæ divinæ, & austeritatibus pœnitentiæ, pellis ejus disposita erat ad excoriationem? referente enim Plutarcho, pecora sale crebrò pasta, faciliùs excoriantur; cujus rationem reddit, dicens; pinguedinem aut humorem qui pellem cum carne conjungit asperitate salis exsiccari, ac statim marcescere. Ideò ergò sanctus Bartholomæus sine difficultate superstes excoriatur?

Plutarch. q. 3. suarum natural.

16. Potuit hoc providentiâ divinâ fieri, ut antiquitùs primò excoriabatur victima quàm offerebatur in holocaustum Deo; sic sanctus Bartholomæus primò pelle nudatus fuit, quàm in victimam holocausti Deo oblatus: *Sicut enim holocausti hostiam accepit eum*. Serpens cujus similitudinem sancto Bartholomæo applicuimus, non moritur, pelle detractâ, quia novam intus habet. Sic S. Bartholomæo interiùs aliam pellem habenti (gratiam videlicet Christi, juxta illud Apostolicum: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum*:) licet pellis exterior ablata esset, non tamen ideò mortuus fuit.

*Pellis S. Bartholomæo detracta ut olim victimæ.*

Sap. 3. 6.

Ad Rom. 13. 14.

17. Serpentem quandoque ex medullâ hominis nasci, & tamen ipsi

ipsi inimicissimum evadere diximus: S. Bartholomæum ex ipsa mundi medulla natum, ex voluptatibus nimirum, & mundi deliciis, cùm suaviter sub ficu quiesceret, dum à S. Philippo ad Christum vocaretur; ipsi tamen mundo inimicissimum exstitisse conspiciemus. Sed numquid Nathanaël in multis aliis fuerat locis? numquid plurimas operationes exercuerat? cur placuit Domino hoc ipsi indicare, vidi te sub ficu potiùs, quàm sub aliâ re? Numquid Christus meliùs demonstrasset divinitatem suam, revelando ipsi occultas cordis cogitationes, quàm dicere, vidi te sub ficu, quod etiam oculus humanus percipere poterat? Non absque mysterio, Christus hoc Nathanaëli asseruit, ut clariùs annotat Rupertus abbas, dicens: non tam Dominum attendisse ad ficum, sub qua Nathanaël morabatur, quâ ad ficum sub qua Adam in paradiso terrestri sese absconderat. *Vidit* (inquit) *non solùm illum, sed omnes electos, cùm primus mandati transgressor consutis ficus foliis, pudenda contegeret; jam tunc vidit eos, & miseratus est. Iam tunc disponebat quo illos ordine liberaret.* Nobilis profectò inventio, sed allegorica.

*Cur Christus ei dixit: vidi te sub ficu?*

*Rupert. lib. 2. in Ioan.*

18. Litteraliter hoc intelligendo, dicerem sacram Scripturam temporalem prosperitatem indicare dum dicit: quòd homo poterit sedere sub ficu suâ. Sic describens felicitatem, quæ tempore Salomonis erat, dicit: *Habitabat unusquisque sub vite suâ.* Et in libris Machabæorum dicitur; *Lætatus est Israel lætitiâ magnâ, & sedit unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua.* Voluit ergò Christus ostendere Nathanaëli, dum dixit: *cùm esses sub ficu*, quòd vitam valdè commodam agebat, in magna rerum temporalium prosperitate, ut sciremus quàm promptus erat ad omnia pro Salvatore relinquenda. Fuit vocatio S. Bartholomæi tantò mirabilior præ cæteris, quantò difficilior; aliud quippè est, relinquere divitias, prosperitates, & vitam valdè commodam; quàm relinquere res viliores, & abjectas, vitamque molestiis, & calamitatibus plenam, ut fuerat vita aliorum Apostolorum. Natus ergò & enutritus est sanctus Bartholomæus ut serpens ex medullâ prosperitatum mundanarum, sed ipsis inimicissimus fuit, quia omnes contempsit, & fugit ab eis; in tantum, ut etiam se propriis necessitatibus privaret, ut orationi inserviret.

*In ficu proprietas temporalis indicatur.*

*3. Reg. 4. 25.*

*1. Machab. 14. 11.*

*S. Bartholomæi conversio admirabilior aliorum.*

19. Dum quis maximam suam paupertatem exhibere cupit, dicere solet, nihil mihi remansit pelle exceptâ, sicque latronibus obviando liberè respondet, nihil mihi præter pellem auferre poteritis. Non aliter S. Bartholomæus ita sese spoliavit rebus mundanis, ut inimici nihil in eo præter pellem reperientes, ipsam abstulerint. Sic illud retulit, & prophetavit

*Pauperrimus evasit.*

Job 21. 6. tavit sanctissimus Job, dicens: *Nudos spoliasti vestibus*: quod mirum videri potest, cùm nudus non habeat vestes, quibus possit spoliari. Quomodo ergò nudi dici possunt fuisse iis spoliati. Hoc in sancto Bartholomæo verificatum fuit, qui nihil in mundo possidens, nudus dici poterat, vestibus tamen spoliatus fuit, pelle nimirum quam plusquam vestes existimabat.

20. Cælesti Sponsæ vestis aliquando ablata fuit, unde dolens dicebat; *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi*: monstrabat autem se magis dolere de pallio amisso quàm de vulneribus inflictis; quia amissioné pallii, ut majorem, ultimo posuit loco. Erátne adeò avara, ut plus displiceret ipsi ablatio pallii, quàm inflictio verberum, & vulnerum? plus sentiret damnum exteriùs, quàm doloré internum? Plus timebat expendere pecuniá, quàm sanguinem? Non avaritiam puto hanc fuisse, sed modestiam potiùs, & amorem pudicitiæ, quia mulieri pudicæ magis displicebit incedere sine velo, ante oculos curiosorum, & mundanorum hominum, quàm carnem gladio penetrari: plus enim timet vulnera impudicorum oculorum, quàm gladiorum: plus periculum honoris, quàm vitæ. Ad quæ credo S. Hieronymum respexisse, dum ad Lætam scribebat, ut conservaret filiam suam: *Numquam*, inquit, *exeat foras, ne inveniant eam, qui circumeunt civitatem, ne percutiant, & vulnerent, & auferant theristrum pudicitiæ, & nudam in sanguine derelinquant*: pallium virgineum vocatur *theristrum*, quod etiam portabant noviter desponsatæ in signum pudicitiæ: sic Rebecca (secundum expositionem 72. interpretum) cùm vidisset Isaac, pallio se cooperuit. Sed S. Bartholomæus aliâ ratione dicere potest; *Percusserunt me, vulneraverunt, tulerunt pallium meum mihi*: primò enim crudeliter percusso, & vulnerato pallium ablatum est.

Cantic. 5. 7.

*Cur Sponsa de pallii ablatione conqueritur?*

*Quia pudica est.*

S. Hieron. Epist. 2. ad Lætam.

*Pallium virginitatis indicium.*

Cant. 5. 7.

21. Possumus etiam cum sancto Ambrosio dicere illud pallium Sponsæ ablatum, fuisse charitatem, quæ omnes defectus nostros cooperit, juxta illud dictum Principis Apostolorum: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Spirituales quippè inimici nostri, ad hoc totum intendunt conatum, ut pallium charitatis auferant. Meritò ergò plus doluit Sponsa in ablatione pallii, quàm in inflictione vulnerum, & verberum: plus enim virgo sentire debet minimum damnum spirituale, quàm maximum temporale. Hoc intellexit, & acutè perspicere potuit summus Hebræorum Pontifex Heli licet senex, & decrepitus esset; quia forti animo populi afflictionem, & mortem filiorum pertulit, sed Arcam Dei captam audiens dolore victus, in terram

1. Petri 4. 7.

*Plus virgini æstimandum damnum spirituale, quàm temporale.*

decidens collo & capite fracto spiritum exhalavit. Clarum profectò argumentum, ipsum pluris fecisse perditionem Arcæ Domini, quàm ruinam populi Israël, & propriæ domus, ac familiæ eversionem: quod pulchrè Mendoza in hunc locum auctoritatibus Patrum confirmat. *Hoc pallium ut conservaret S. Bartholomaus potiùs pellem, & vitam amittere voluit.*

Mendoza annotat. 13.

22. Sed proposito nostro magis congruit, quod sanctus Gregorius Nyssenus in hunc locum commentatur, dicit enim hæc verba non esse lamentationes sponsæ, sed cantiones; non verba dolorum, sed voces lætitiæ; non signa mœstitiæ, sed indicia gaudii; gloriando se amore dilecti sui sustinuisse verbera, vulnera, & amissionem pallii. Notat prætereà eam anteà dixisse: *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* Si spoliata erat usque ad tunicam, quomodo habere poterat pallium quo privaretur? Respondet Ludovicus de Ponte, ipsam adeò in virtute profecisse, & se spoliasse omni affectu terreno, ut respectu primi status poterat dici non spoliata, sed vestita, & pallio cooperta. Spoliavit se ergò primò, relinquendo omnia terrena, sed posteà ipsi etiam ablatum fuit pallium omnium affectuum, & cupiditatum terrenarum, ita ut totaliter nuda remanserit, privata videlicet omni cogitatione, & affectu corporeo; unde pulchrior sponso apparuit, qui illam omni velo, & tegumento sublato, liberiùs intueri poterat, & pulchritudinem contemplari.

S. Gregor. Nyssenus in hunc locū Cantic. *Sponsa non conqueritur, sed exultando cantat.*

Ludovicus de Ponte in hunc locum.

23. Quis meliùs his verbis uti, & gloriari poterat, quàm S. Bartholomæus? *Expoliavi me tunicâ meâ,* dicere poterat, sicut S. Petrus cum aliis Apostolis affirmabat; *Eccè nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matth. 19. 27. Quid ergò ultrà mundus ipsi auferre poterat? non aliud quàm pellem, quam nomine pallii intelligit, dicens: *Tulerunt pallium meum mihi.* Pulchrè dicit, dum de tunica loquitur, *Expoliavi me tunicâ meâ*, quia liberè, & voluntariè omnia reliquerat S. Bartholomæus; sed dum de pallio loquitur, non dixit se reliquisse illud, sed ipsi ablatum fuisse: nemo enim seipsum vitâ privare potest, sed expectare debet, donec ab alio fiat. Proptereà Christus S. Petro dicebat: *Cùm senueris alius te cinget, & ducet quò tu non vis*, significans, ut ait S. Augustinus: *Non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.* Maximam ergò jucunditatem credo S. Bartholomæum percepisse cùm intellexit sibi pallium, id est, pellem adimendam. Sciens quippè arctam esse paradisi portam, quantum poterat se coarctabat.

*S. Bartholomæus huic sponsæ assimulatus.*

Vbi suprà.

Joan. 21. 18.

S. August. tract. 21. in Joann.

*Cur S. Bartholomæus in excoriatione gavisus?*

24. Audiverat à magistro suo: *Arcta est via quæ ducit ad vitam.* Et *contendite intrare per angustam portam.* Sciebat etiam pedes abscindendos aut manus, si impedimen-

Matth. 7. 14.

tum

tum præstarent, propterea magnum sibi beneficium exhiberi putabat, dum pellis adimeretur. Quando à Christo audivit: *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum*; admirabatur cum cæteris Apostolis, *Mirabantur valdè*, ait S. Matthæus, dicentes: *Quis ergò poterit salvus esse?* Hoc summopere mirantur SS. Augustinus, & Chrysostomus, cùm non videantur benè argumentari; dicit Christus, difficile esse ut divites intrent in Regnum cælorum, unde ipsi conclusionem universalem deducunt; *Quis ergò poterit salvus esse?* Fortè desunt pauperes in hoc mundo? Quinimò sunt plures divitibus? Si ergò divites non fient salvi, salvabuntur pauperes. Quare ergò timent & admirantur, cùm non sint divites, sed pauperes. Non fuerunt fortasse benè edocti in scholâ Christi, ideò loquuntur juxta consuetudinem mundanorum: nam vident in hoc mundo divites præferri pauperibus, & si aliqua solemnitas, aut festum celebretur, facilè divites pauperibus exclusis admitti, ita judicarunt faciendum in Regno cęlorum, sic argumentantes, si divites tantam habeant difficultatem intrandi, quid accidet pauperibus? Si isti, quibus totus mundus favet, & unusquisque viam aperit, intrare non poterunt, quid fiet de pauperibus, quibus etiam viæ occluduntur?

Matt. 19. 24.

*Si divitibus difficilis cæli introitus, quid pauperibus erit?*

Ibid. 25.

25. Vel alio modo inter se argumentando dicebant: Si divitiæ tantùm præbent impedimentum, ut cælum intremus, quantò plus impedient culpæ, & peccata? Si divitiæ quæ à Deo datæ sunt, & quibus licitè uti licet, nec absolutè possunt dici malæ, adeò difficilem reddunt viam salutis, quantò magis scelera quæ partes sunt nostræ pravæ voluntatis, & absolutè mala, cælum claudent? Quis sine peccato in hoc mundo vivere potest? *Quis ergò salvus erit?* Sanctus Joannes Chrysostomus alio modo ad hanc difficultatem respondet, eos pro se non timuisse, sed pro toto mundo; nec enim de propriâ salute diffidebant; *Cuius rei gratia* (dicit ipse) *Discipuli qui nimiùm inopes erant, turbabantur?* Et respondet; *Quia propter perditionem aliorum dolebant, quorum omnium jam charitate afficiebantur.*

*Si divitiæ cælum occludant quid peccata facient?*

Ioann. Chrysost. homil. 64.

26. Subtiliùs S. Augustinus videtur respondere ad hoc dubium, scribẽs Apostolos intellexisse Christum loqui, non tam de possessoribus divitiarum, quàm de possessis à divitiis, non tam de divitibus in facto, quàm de divitibus in affectu, non tam de iis qui divitiis abundant, quàm de iis qui illas desiderant, non tam respiciebant quantitatem divitiarum, quàm cupiditatem earum. *Attenderunt igitur Apostoli non facultates, quæ in paucis reperiuntur, sed cupiditates quæ ferè in omnibus.* Cognoscebat ergò S. Bartholomæus ad ingressum

S. August. in Psal. 51.

*Non divitiæ sed affectus nimius cælum occludit*

sum paradisi non sufficere se spoliare externis divitiis; sed etiam omni interno appetitu, & affectu privari oportere; quod idem est ac si diceretur, non sufficere esse nudum, sed oportere etiam excoriari, ideò libenter sibi pellem detrahi permisit.

*S. Bartholomæus omnibus planè renuntiavit.*

27. Si serpens exponit totum corpus, ut caput salvet, S. Bartholomæus propriam vitam exponebat, ut servaret fidem, & non perderet Christum. Sicut ait sanctus Joannes: *Quemadmodum serpens totum seipsum tradit, & non admodum curat si corpus inciditur, donec caput suum integrum servet, eodem tu quoque modo præter fidem cætera perdere non cures, profundes universam tuam pecuniam; tradas corpus, vitæ ipsi si opus est minimè parcas.* Ideò sanctus Job plurimum est exaltatus, qui licet acriter percussus, & variis fuerit calamitatibus affectus, numquam tamen fortitudinem amisit. Multò ampliori laude dignus est S. Bartholomæus, quia Propheta Job pellem retinebat, & dicere poterat: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*; sed sanctus Bartholomæus illâ spoliatus libentissimè fuit, ut non privaretur gratiâ Dei. Fuit quasi alter Joseph; qui ne consentiret impudicissimæ voluntati Dominæ suæ, maluit relicto pallio effugere, non præferens pallium pelli: imò potiùs quàm committeret adulterium contra Deum suum sequendo falsos Deos, voluit relinquere pellem (id est pallium) in manu persecutorum.

Chrysost. homil. 33. in Matth. cap. 10.

Job 19. 20.

*Instar Ioseph pellem pro pallio reliquit.*

28. Si serpens prompta semper habet arma (venenum scilicet) S. Bartholomæus, prompta semper habuit arma (orationem videlicet) ita ut centies in die, & centies in nocte flecteret genua: rectè ergò de ipso dici poterat: *Exaltationes Dei in gutture ejus, & gladius anceps in manibus ejus.* Quotidie quippe Dei laudem in ore habebat, & gladium verbi Dei in manibus, quia prædicabat Regnum Dei. Sicuti enim ab inimicis repentè adorsus, alia non habens arma quàm gladium, palliũ, brachio circumvolvens loco scuti, inimicum impugnat; sic S. Bartholomæus ab inimicis præoccupatus, nulla secum habens arma mundana, propriam pellem accepit, quâ se antea ut pallio cooperiebat, & illâ ut scuto utens, & oratione, ut gladio, se defendens, insignem victoriam de hostibus reportavit.

Psal. 149. 6.

*Pelle, ut pallio se defendit.*

29. Fingunt Poëtæ Argum centum habuisse oculos, quibus effugere poterat omnium inimicorum insidias; sed quidam repertus fuit, qui omnes occludere noverat, sicque ipsi vitam ademit. Sub hac fabula cælum significabatur, tot stellis instar oculorum ornatum, quæ oriente sole omnes clauduntur. Sed plus quàm Argus fuit S. Bartholomæus, quia centum oculos aperiebat de nocte cùm centies oraret; nec sol poterat occludere oculos ejus, quia centies de

*Oratio ejus continua.*

de die iterum orabat. Vnde invictus contra omnes inimicos permansit, cujus pellis resplendet plus quàm cælum stellis adornatum; sicut etiam Propheta David dixit: *Extendens cælum sicut pellem.* possumus jam dicere; *Extendens pellem sicut cælum*, etenim ob gloriam martyrii non minus lucet pellis, quàm cælum ipsum. Sicut etiam cælum dicitur prædicare gloriam Dei; *Cæli enarrant gloriam Dei*; ubi nomine cælorum Apostoli intelliguntur, ut inquit S. Gregorius; Sic pellis S. Bartholomæi Apostoli, instar cæli prædicat gloriam divinam. Magnus quidam bellator, ut milites suos semper armaret, voluit post mortem sibi pellem detrahi, & ex ea tympanum confici, quô milites ad arma concitarentur. Sic ex pelle S. Bartholomæi tympanum factum est, per quod omnes Christi milites magis animantur ad gloriam Dei prædicandam, & fortiter contra tyrannos fidei dimicandum, licet eos etiam excoriare vellent. Pecora Patriarchæ Iacob virgas amygdalinas excorticatas videntes concipiebant, & parturiebant agnos ejusdem coloris; sic nos videntes S. Bartholomæū excoriatum fortiter persistere, concipimus generosas cogitationes patiendi pro Christo ubi sese occasio obtulerit.

Psal. 103. 3. *Pellis ejus ut cælum lucet.* Psal. 18. Homil. 30. in cap. 14. Ioann. *Pelle ejus omnes, ut tympano ad laudes Dei excitantur.* Gen. 30. 37.

*Omni dolo deposito ad Christum accedit.*

30. Si serpens dum ad fontem procedit venenum deponit; S. Bartholomæus ad fontem æternæ vitæ, omni dolo, & fraude depositâ, simpliciter accedens, à Christo eximium recepit testimonium; *Ecce verè Israëlita in quo dolus non est.* Aliqui fructus interiùs nucleum durum, & acrem gerunt, cujus generis sunt mala persica, & pruna; alii autem intrinsecùs dulciores, molliores, & sapidiores sunt, ita ut solùm corticem auferendo optimi sint nutrimenti, quales sunt ficus, & alii. Secundi generis fructus fuit S. Bartholomæus, qui intrinsecùs nullum nucleum durum habuit, quia in eo dolus non fuit: non accessit ad Christum fraudulenter, aut dolosè ut facere solebant Scribæ, & Pharisæi. Si hoc solùm intendisset Salvator non tanta ipsi laus fuisset, cùm de multis gentilibus illud affirmari possit; quia deceptor, & fraudulentus meritò ab omnibus vituperatur. Quid ergo dicemus per hoc significari? Liberum fuisse ab omni culpa, & peccato? Sed *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Dicere ergò debemus per dolum intelligere Christum, peccata graviora quæ ex corde, & malitiâ hominum derivantur. Fuit ergò fructus dulcis sine nucleo duriori, sine gravioribus nempe peccatis; sed quia carne mortali circumdatus, corticem levium peccatorum habuit, ideò ipsi aufertur pellis, ut totus candidus, & mundus sese cælesti mensæ fructum suavissimum offerret, ita ut ipsi applicari possint verba illa Prophetæ: *Ficum*

Ioan. 1. 47. Ioan. 1. 8. Ioel. 1. 7.

*cum meam decorticavi, albi facti sunt rami ejus.*

*Vt serpens inter saxa, sic inter manus carnificum excoriatus fuit.*

31. Serpens transeundo per angustum locum spoliatur antiquâ pelle, sanctus Bartholomæus per manus crudelium carnificũ transeundo, voluntariè antiquam pellem derelinquit, ut novam & pulchriorem in resurrectione assumat, & cum illâ æterno soli Christo clariùs, & splendidiùs repræsentetur: dicens cum Prophetâ Job; *Rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Salvatorem meum.* Dictum quoque illud quod initio posuimus. *Renovabitur ut Aquilæ juventus mea*, potest intelligi, tam de personâ Apostoli quàm de pelle ejus, quæ in resurrectione renovabitur, & clariùs splẽdescet.

Iob 19. 26.

Psal. 102. 5.

*Singulis annis renovatur serpens, ipse quotidie.*

32. Singulis annis renovatur serpens, sanctus Bartholomæus quotidiè renovabatur spiritu, juxta consilium sancti Pauli Apostoli: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Quare Ecclesia in hoc festo legit historiam electionis ipsius, ut sciamus finem vitæ correspondisse principio; & non esse instar plurimorum, qui in principio fervidissimi, paulatim deficiunt; ita ut pejores in fine, quàm anteà evadant. Sanctus tamen Bartholomæus, juxta quod fundamentum posuerat, ædificium desuper extruxit, fructus floribus primi veris conformes protulit, messem similem grano produxit, vesperam vitæ, matutinæ luci vocationis suæ adæquavit.

Ad Ephes. 4. 23.

33. Dicamus etiam ipsum adeò ferventem fuisse in totâ vitâ, ut sibi videretur nihil fecisse, sed tunc solùm Deo servire incepisse juxta doctinam quam spiritualis vitæ magistri tradunt. De Sampsone prædixit Angelus matri: *Ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum.* Si solùm inciperet exiguam mereretur laudem, quia non incipientibus, sed perseverantibus datur præmium, & qui perfectam victoriam de inimicis reportat, coronam accipiet: Sampson autem liberavit populum Israël ab inimicis, & plurimas obtinuit victorias contra Philistæos. Quomodo ergò Angelus dixit Matri ejus *ipse incipiet?* Fortè ut non superbiret Mater? benè quidem; sed puto hoc dictum fuisse quod ita pugnaret contra inimicos, & tali fervore procederet, quasi semper inciperet, nec umquam videretur defatigari; quod etiam de sancto Bartholomæo affirmare possumus.

Iudicum 13. 5.

*Cur Sampson incepit liberare Israël?*

34. Serpens inimicus homini, maximè fugit humana consortia; sanctus Bartholomæus in tantum fugit humanos affectus, & conversationem, ut etiam propriam carnem odio habuerit. Depingitur Hercules cum pelle Leonis in humeris, ut appareat ipsum Leonem ferocissimum superasse: sic sanctus Bartholomæus ab Ecclesia depingitur cum propriâ pelle super brachium, in signum ipsius celeberrimæ victoriæ, quæ major longè

*S. Bartholomæus ut serpens fugit humana consortia.*

longè fuit victoriâ Herculis; nam qui fuerat victor Leonum, à propriâ carne miserè devictus fuit. Si serpens frigoris tempore moratur in cavernis; sanctus Bartholomæus in frigidissimâ persecutionis hyeme mansit absconditè, at in floridissimâ æstate, causata à Spiritu sancto; sese in aperto campo spectabilem exhibuit: juxta præceptum Salvatoris: *Manete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Lucæ 24. 49.

*Si serpens aves pascit: ipse discipulos doctrinâ pavit.*

35. Si deniq; aliqui reperiantur serpentes, qui proprio ventre pascunt aves, absque sui nocumento: S. Bartholomæus doctrinâ à Christo traditâ, & bonis moribus pascebat Discipulos suos, qui posteà in varias mundi regiones ad modum avium discedentes, eam ibi seminabant; & sanctus Bartholomæus se reddebat capaciorem pro novâ gratiâ recipiendâ, cùm Dominus dixerit: *Date, & dabitur vobis.* Lucæ 6.38. Vt uno verbo dicam, talis fuit conversatio sancti Bartholomæi, ut Rex cælorũ in eo commorari, elegerit. Ex eâ quippè pelle sibi tabernaculum conficere voluit, ut cum cælesti sponsâ dicere posset: *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*; Cant. 1. 4. Niger videlicet in carne propter vulnera, & livores verberum, sed pulcher in animo sicut tabernacula Cedar, quæ oculis humanis pulchra videbantur; & exteriùs ornata pellibus, ut tabernacula Regis Salomonis, quæ auro pertexta oculis divinis in templo, propter charitatem splendebant.

*Ob sanctam conversationem Christo charus.*

IN FESTO

# IN FESTO
# S. MATTHÆI APOSTOLI.
## DISCURSUS VIGESIMUS-SECUNDUS.

*De admirabili & perfecta conversione ejusdem.*

Lynx sive lupus Cervarius.

*Non memorabor amplius.*

### SUMMARIUM DISCURSUS.

*Naturam lyncis describit 7. prim. num.*

*Eam S. Matthæo applicat num. 8.* 9. 10. 11. 12.

*Quomodo de proximo loquendum, & memoria in actionibus dirigenda sit.* 13. 14. 15. 16. 17. 18.

*Perfectam S. Matthæi conversionem ex variis conditionibus ostendit. à num.* 18. *usque ad* 27.

*Quàm grati Deo peccatores primò conversi, à num.* 28. *ad finem usque prosequitur.*

*Natura non omnibus æqualiter providit.*

1. SOlet natura quãdoque parcitatis culpari, eò quòd omnibus dona sua non æquè liberaliter distribuat; dum enim unum tribuit aliud negavit. Magis tamen divina laudanda prudentia, quæ mirâ varietate omnibus omnia distribuens, mundum tantâ pulchritudine illustravit, ut miraculosâ quâdam proportione cunctis necessaria dispertiatur. Communiter homines intellectu præcellentes memoriâ valere non solent; quique facilè apprehendunt, difficilè conservant, & è contra: de quibus modò non disputandum. Simile quid in lupo Cervario aut Lynce reperitur; cùm enim perspicacissimi sit visus, caret memoriâ; cumque res longissimè distantes videt, præsentium obliviscitur; videt utilia, nociva, indifferentia; necessaria non retinet. Visum ipsius nihil impedire, memoriam nihil adjuvare potest.

*Lynx visu excellens caret memoriâ.*

*Cur vocetur lupus Cervarius?*

2. Referunt aliqui ipsum vocari lupum Cervarium quia ex conjunctione

junctione Lupi,& Cervi nascitur, sed hoc credibile non apparet, cùm inter ipsos summa sit inimicitia, & se mutuò ubique fugiant; quomodo ergò posset esse tam amabilis conjunctio? Aliorum opinio est ipsum ita vocari, quia cervos insequitur, ut canis lepores insequens, leporarius nuncupatur. Vel hoc nomen inditum esse potest, quia naturam utriusque participat, cùm sit fortissimus ut lupus, & agilis ut cervus.

*Virum lynx visu montes penetret.*

3. Lynx quoque nominatur, unde natum est proverbium, *lynceos habet oculos*, quo significatur homo visu, & intellectu perspicax. Vt tamen verum fatear, incredibile videtur quod multi asserunt, hoc animal visu montes & saxa penetrare. Quod aliqui non de animale, sed homine lynce nuncupato, qui primus sub terra aurum argentumque noverat effodere, & in cavernis cum lumine accenso morari, unde putatum est terram visu penetrare. Inveniri tamen aliquos qui sub terra reconditos videant thesauros, testatur Ribera in vita Sanctæ Matris Theresiæ.

*Cibos in corpore non retinet.*

4. Nemo est qui non asserat ipsum memoriæ esse ad modum labilis; nec cibos in corpore indigestos diu retinet; alia enim animalia habent intestina plurima variè inter se contorta ut cibos retinere possint, ipse teste Plinio unicum habet intestinum rectum, per quod subitò cibus transiens, eum semper esurientem relinquit: ideo ad prædam capiendam velocissimus & continuò intentus est. In cursu adeò velox ut capras assequi possit, & per saxa rupesque salire.

*Astutissimus venator.*

5. In venatione animalium astutissimus, arborem ascendit & inter ramos se abscondens super animalia transeuntia insilit, eisque si magna fuerint, unguibus acutis ac oblongis caput penetrat, donec interempta conspiciat, ac cerebrum sanguinemque exsugens, reliqua intacta relinquit: exigua autem facilè devorat. Hominem non metuit, astutitiâ tamen non semper prævalet; ut patet in rustico qui securi quem super humerum gestabat Lyncem in se insilientem ita percussit, ut in terram deciderit, ac iteratis ictibus occiderit. Venationē Leporum, Cervorumque exercet, ac felium silvestrium, quibus non dissimilis, magnitudine tamen excedit. Refert M. Polo se in aula Regis Tartarorum vidisse domesticos quibus Rex ad venationem pergebat.

*Quomodo capitur?*

6. A venatoribus equis, canibus, armisque capitur non sine ingenti periculo. Laqueis quoque ac fossis aconito præparatis concluditur, quod ut effugiat arbores ascendit, ibique bombardis ac sclopetis appetitus, sæpè occiditur. Venatoribus pellis pretiosa conceditur, quæ carè venditur. Pilos habet albos nigris maculis distinctos; simulque cum Panthera, Leopardo, aliisque similibus

Bacchο dicatus, Suetia, Polonia, Lituania iis abundat.

*Vrina in in gemmam mutatur,*

7. De urina eius mirabilia referuntur, quod nimirum in terram cadens in petram commutetur, vel in gemmam Linguriam nomine tam pulchritudine, quàm variis morbis curandis excellens. Colore similis est succino, paleas & festucas sibi copulat teste Solino. Alii tamen cum Dioscoride fabulosum putant quidquid de hoc refertur; licet lapis pretiosus tali nomine & virtute præditus reperiatur. Plinius ait non ex urina nasci hunc lapidem, sed prodesse urinæ, ne ex vesica defluat, sicut & unguibus. Invidens ergo homini tantam utilitatem urinam emissam terrâ tegit; quod tamen magis credendum est facere quia instar felium munditiam amat, qui excrementa sua sordibus cooperiunt.

Plin. lib. 28. cap. 8.

*S. Matthæus lupus Cervarius.*

8. Lupus cervarius dici potest S. Matthæus ante conversionem, propter famẽ insatiabilem pecuniæ; quia in telonio tamquam in arbore latitans, transeuntes adoriebatur, & ex substantiâ illorum se sustentabat. Divitiæ enim substantiæ hominum jure vocari possunt, cùm æterna sapientia sic eas appellaverit de filio prodigo, dicens: *Dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.* Verum quidem est avarum differre à Lynce (licet ambo insatiabiles sint) quia in eo fames excusari potest, cùm unicum habeat intestinum, quid mirum si nil retineat, & semper accipiat? Si semper sit vacuus quid mirũ si impleri desideret? Avarus autem sicut avidissimus est in recipiendo, sic tenacissimus in retinendo. Non valet in ipso regula de intellectu humano verificata, apprehensionem facilem tenaci retentioni conjunctam non esse: cùm avarus facillimæ apprehensionis, & retentionis sit tenacissimæ. Nec solùm unum intestinum rectum habet ut Lynx; verùm etiam clausum, ut notat S. Joannes: *Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo*; quâ paraphrasi pulchrè describit avarum qui viscera clausa habet. Talem credo fuisse S. Matthæum ante conversionem, quando Christus eum vidit sedentem in telonio; & pertinaciter lucris inhiantem, ut Glossa exponit.

Luc. 15. 13.

*Avarus Lynci comparatur.*

1. Joann. 3. 17.

*Negotiatores & teloniani ut lynces homines decipiunt.*

9. Alia animalia suo periculo ad venationem procedunt, dum quippè illa aggredi ac devorare nituntur, ab ipsis sæpè superantur & occiduntur. At Lynx in arbore latitans, & ex ipsâ desiliens, absque periculo accipit, & occidit. Non aliter homines suo periculo furantur, & illos aggrediuntur, intercepti siquidem morte plectuntur. Sed qui homines in telonio & negotiatione circumveniunt, nullo periculo subjiciuntur; acceptiones eorum non vocantur furta, sed exactiones; usuræ justa negotiorum lucra; & violentiæ justitiæ appellantur. Oculos insuper habent

habent lynceos, ut cognoscant ubi aurum vel argentum latitet; subtilesq; valdè sunt in omni occasione, unde lucrum sperare possent: & à longè prævident quæ ipsis in aliquo prodesse possunt.

*S Matthæus perspicaci visu Christum agnovit.*

10. Feliciores habuit oculos S. Matthæus, qui sub apparentiâ simplicis hominis, cognoscere potuit in Christo altissimam sapientiam, ipsamque divinitatem absconditam; sicque ad unam vocem ipsius omnia relinquens dicere poterat, *Non memorabor amplius*, non recordabor ultra lucri, non revertar ad cibum à me derelictum, nec ullo affectu illi amplius adhærebo, quasi numquam vidissem illum. Imitando Prophetam Jeremiam per quem Deus dixerat se non recordaturum peccatorum populi sui, si ad eum reverteretur: *Propitiabor* (inquit) *iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.*

Ieremiæ 31. 34.

*Non peccatorum oblitus sed divitiarum.*

11. Fuit hæc oblivio in S. Matthæo mirabilis multis de causis, primò propter distinctionem, quia non obliviscebatur delictorum pro quibus pœnitentiam agebat, sed divitiarum, ut non delectaretur illis: non immemor se peccatorem fuisse, ut se humiliaret, sed divitem fuisse ut non superbiret; quæ omnia colliguntur ex modo quo à S. Lucâ hæc conversio describitur. Sanctus Lucas vulgato nomine Matthæu appellare noluit, sed Levi dixit, quo nomine non agnoscebatur cùm jam illud reliquisset; loquendo autem de convivio quod Salvatori paraverat, dicit: *Fecit ei convivium Levi in domo suâ, & erat turba multa publicanorum, & aliorum qui cum illis erant discumbentes*: Ita ut S. Lucas quantum potest abscondat personam culpabilem, & revelet divitias ejus maximas & liberalitatem.

Luc. 5. 25.

12. At sanctus Matthæus non tacuit nomen proprium, sed dixit: *Vidit Iesus hominem, sedentem in telonio Matthæum nomine.* Loquens autem de convivio dixit se fecisse in domo, sed non adjunxit sua, nec dixit fuisse magnum, sed simpliciter: *Discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis ejus.* Vnde primi status recordabatur ut se accusaret, sed nō ut gloriaretur. Memor se fuisse in telonio, sed non possedisse domum; idcircò noluit eam sibi sed Christo addicere, cui se suaque obtulerat. Fortè creditoribus hæc domus debebatur propter debita, vel quia illam jam affectu dimiserat, noluit vocare suam.

Matt. 9. 9.

*Matthæus se publicè accusat.*

Mat. 9. 10.

*De aliis honorificè loquendum.*

13. Ex contextu ergò Evangelistarum, qui Spiritu sancto inspirante scripserunt, nobis addiscendum, ut dum de aliis loqui cupimus, taceamus quæ in dedecus illorum verti possent, & manifestemus illa, quæ ad honorem pertinent. Dum autem de nobis loquimur ad imitationem S. Matthæi humiliter referamus, quæ ad humilia-

humiliationem non autem ad honorem inservire possent. Hujus exemplum nobis præbuit Christus, qui numquam se filium Dei, sed filium hominis dixit; naturam inferiorem nominans, per quam morti & mille tormentis subjectus erat: tacuit autem semper divinitatem suam, per quam immortalis, æternus, & æqualis patri erat. Quādo debuit manifestare gloriam suam, ascendit in montem excelsum seorsum & vix permisit tres discipulos præsentes esse. In morte autem civitatem primariam elegit, & tempus Paschæ quando maxima hominum multitudo conveniebat. Ita ut gloriam semper absconderit, ignominiam autem patefecerit. Interrogatus de doctrina & discipulis coram Pontifice Caipha, ad primum quidem respondit se publicè docuisse; sed de discipulis nihil dicere voluit, cùm tamen conqueri potuisset, se relictum ab illis: cùm enim nihil boni dicendum habuit, mala proferre recusavit. Ita nos eius exemplo cùm nil de proximis boni dicere possumus, mala silentio potiùs tegere quàm leviter aperire debemus.

*De se ipso humiliter: exemplo Christi.*

14. Antigonus Macedoniæ Rex in bello unum perdiderat oculum quo deformis reddebatur, & pictores communiter sic ad vivum reddebant: Apelles autem non minus ingenio quàm artificio pollens, voluit defectum illum tegere, sed quomodo hoc executus? Modum invenit ex transverso vultum pingendi, ut unâ parte faciei tectâ, altera appareret: pari modo nobis agendum dum coloribus verborum & penicillo linguæ proximus depingendus. In omnibus una pars sana & defectuosa reperiri solet, cùm ergo nec omnino bonum, nec malum unumquemque exhibere liceat, sine adulationis aut falsæ suspicionis nota: imitemur Apellem faciem ex transverso pingentem, quod pulchrum est exhibeamus, quod deforme relinquamus. Sic S. Joannes resuscitationem Lazari referens, & S. Mariæ Magdalenæ reminiscens dixit: *Maria autem erat quæ unxit pedes Iesu*: Hæc erat pars faciei pulchra quam ideo referebat; cur autem non dixit hæc erat peccatrix à dæmonibus obsessa, quia ut totam exhiberet picturam hæc quoque pars detegenda erat; subticuit illud ex transverso volens depingere, partemque defectuosam occultare. Idem insignis ille pictor S. Lucas in S. Matthæo fecit, virtutes referens, defectus nomenque occultans.

*Bona proximi divulganda non mala.*

*Joan. 11. 2.*

15. A sancto Matthæo ergò quid nobis addiscendum? Quomodo nimirum memoria dirigenda sit, quæ res magni momenti est, non minùs quippè bona memoria, quàm intellectus aut voluntas æstimanda; sed in quo bonitas hæc memoriæ consistit? putant aliqui illum memoriâ excellere;

*Quomodo memoria dirigenda.*

cellere, qui rerum semel lectarum numquam obliviscitur; sed illam potiùs magnam memoriã quam bonam esse puto; sicut pictura aliqua multis personis referta posset dici magna, sed non semper bona, si magnitudini artificium non correspondeat. Quæ ergò erit bona memoria? ordinariè memoria venter animæ vocatur, quia cibos quos intellectus masticat, ipsa tamquam venter conservat. Vt ergò venter bonus sit, & suo fungatur officio, non debet omnes retinere cibos quos per os recipit, sed bonos retinere, malos ejicere; sic memoria recordari debet bonorum, malorum oblivisci. Si in vase ex hedera confecto vinum aquâ mixtum ponatur, retinere vinum dicitur, aquâ per poros defluente. Sic bona memoria recordari debet beneficiorum à Deo receptorum, obsequiorum ab amicis præstitorum, injuriarum autẽ & malorum incitationum oblivisci. Ad imitationem Julii Cæsaris, qui dicitur tenacissimæ fuisse memoriæ, injuriarum verò subitò oblitum.

*Recordari bonorum debemus non malorum.*

16. Dicet aliquis peccatorum semper recordari convenit, ut de illis doleamus, juxta illud Sapientis: *De propitiato peccato noli esse sine metu*, & Davidis: *Peccatum meum contra me est semper*. Sanctus Bernardus ex hâc memoriâ optimum docet confici unguentum his verbis: *Dicamus ergò ex parvis tria esse genera unguentorum, primum sit de recordatione peccatorum.* Respondeo laudari memoriam peccatorum, non sicut illa pinxit libido, sed sicut pœnitentia. Libido pulchra, & delectabilia exhibuit, alioquin voluntas illa non amasset; pœnitentia autem deformia & detestabilia. Prima pictura delenda, secunda retinenda.

*Peccatorum quomodo recordandum?*
Eccli. 5. 5.
Psal. 50. 5.
S. Bernar. serm. 53.

17. Sancta vidua Judith intellexit quãtum proderat illa oblivio, omnia quippè pretiosa Holofernis ei à populo concessa, in anathemâ oblivionis perpetuæ tradidit templo Domini teste S. Scripturâ: *Porrò Iudith universa vasa bellica Holofernis quæ dedit illi populus, & conopaum quod sustulerat de cubili ejus obtulit in anathema oblivionis.* Numquid convenientius fuisset aliqua in domo retinere in signum tantæ victoriæ divinitùs adeptæ? Sic facere solent strenui milites & Duces insigni victoriâ ab hostibus reportatâ: consultiùs fore reputabat prudentissima mulier à se omnem occasionem auferre istius quod in Holofernis exercitu gestum erat, ut numquam ei vanam gloriam vel superbiam parare posset; vel blandientiũ recordaretur verborum amorosorumq; affectuum, quos illi Holofernes exhibuerat.

*Iudith omnium oblita fuit.*
Judith. 16. 23.
*Occasio malorum auferenda.*

18. Plato in libro de Republicâ præceperat ne trophæa bellorum contra cives gestorum erigerentur, ut illorum memoria quantociùs periret. Athenienses quoque ut populum in pace cõservarent, sancive-

Plato lib 5. de republ.

sanciverant ne ullus præteritarum injuriarum recordaretur. Themistocles cuidam artem reminiscendi docere volenti, respondit, mallem artem obliviscendi mihi demonstrari. Non parva ergò laus est sanctum Matthæum ita divitiarum, & vitæ antè actæ oblitum fuisse, ut nullorum ampliùs recordatus fuerit.

*Quàm promptè S. Matthæus omnia reliquerit?*

19. Fuit etiam mirabilis hæc oblivio ob animi promptitudinem, quâ subitò omnia reliquit & secutus est Christum. SS. Petrum & Andream hoc præstitisse non adeò mirandum, cùm pauca & vilia reliquerint, S. Matthæum verò continuò lucris & commodis inhiantem, thesauros & divitias quotidiè accumulantem, subitò omnia reliquisse, & personam ignotam, & externâ apparentiâ pauperem secutum fuisse, maximè est admirandum. Arbor paucas habens radices, faciliter evellitur; sed profundè in terra radicata, priùs abscinditur quàm evellatur. Alii Apostoli paucas radices in hoc mundo habebant, exigua bona possidebant, quibus parum afficiebantur. Sed S. Matthæus maximam avaritiæ radicem habebat. Ex magnitudine arboris ramorumque latitudine ordinariè profunditas radicum colligitur; sicut enim ars altis ædificiis profunda jacit fundamenta; sic natura arboribus elatis firmiores & profundiores providit radices. Sed quæ arbor ex radicibus avaritiæ consurgit? Quis eius pondus explicare poterit? *Radix enim omnium malorum est cupiditas*, inquit Doctor gentium, omnia mala, & peccata ex hac radice pullulant; injustitiæ, crudelitates, perjuria, ingratitudines, rebelliones, aliaque infinita; quis ergo magnitudinem eius percipere poterit? Hanc igitur arborem ita in terra radicatam, si levi manu, aut voce simplici radicitùs evelli conspicimus, quis non obstupescet? Quis non confitebitur inter maxima Salvatoris miracula hoc reputandum?

*Arbor radicata difficilè evellitur.*

*Profunda avaritiæ radix.*

1. ad Tim. 6. 10.

20. Est & alia difficultas, quòd radix è terra non evellatur, nisi multâ terrâ adherente, propter nimiam namq; conjunctionem terræ vix ab ea separari potest. Sic plurimi mundum relinquentes, secum multum terræ adferunt, commoditates, honores, præcellentias, aliasque prærogativas ratione status antea possessi, retinere cupientes. At S. Matthæus liber ab omni terrâ evellitur; propterea ut ante diximus, non dixit domum fuisse suam, quia illam jam reliquerat. Vlteriùs dum radix evellitur, particulæ quædam in terra remanere solent, quę postea pullulantes, ramusculos producunt, sic plurimi à peccatis recedentes, affectum aliquem terrenum ad illa retinent, qui paulatim germinans, incitamenta & cupiditates profert, & nisi adhibeatur remedium, quantociùs denuò peccato-

*S. Matthæus absque ullo affectu conversus.*

peccato-

peccatorum arborem producit. Sed S. Matthæus nullam in terra radicem reliquit, nullum affe-ctum ad negotia præterita retinuit, idcirco ut S. Gregorius notat, licet S. Petrus, & S. Andreas ad piscationem post conversionem redierint, non tamen ipse ad telonium reversus fuit, quia ex corde dixerat; *Non memorabor amplius.* Ex silvestri & indomita bestia, mansueta & domestica factus, optimè Regi cælorum in venatione inservivit. Pellem quoque pretiosam (Evangelium nimirum quod conscripsit) maculis peccatorum refertam reliquit, quæ ipsi non in dedecus, sed in honorem cesserunt, cum pellem suam insigni peccatorum confessione dealbatam, virtutum maculis distinxerit.

S. Gregor. homil. 24.

Jerem. 31. 34.

21. Mirabilis ergo, & perfectissima fuit conversio S. Matthæi Apostoli, cui solummodo opponendum videtur, quod non legamus illum jejunasse, aut carnem macerasse, sed convivium Christo & discipulis exhibuisse. Dicit enim S. Augustinus: *Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiam, per dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificiũ.* Inter omnia autem signa doloris, & effectus pœnitentiæ, principem locum jejunium obtinet; idcirco Niniyitæ, ut pœnitentiam peccatorum demonstrarent, jejunium subitò prædicarunt. Achab quoque, ut Deum propter peccata sua offensum placaret, jejunavit in sacco & cinere. Idcirco S. Basilius jejunium vocat: *Pharmacum efficax abolendi peccata.* S. Ambrosius dicit: *Iejunium est interfectio culpæ.* Non videtur ergo S. Matthæum conversum ad Christum, ad convivia attendere debuisse, sed potiùs ad jejunia. Sed quis S. Matthæum non jejunasse affirmat? Verum quidem est nos legere in S. Luca Christo convivium in domo sua exhibuisse: sed numquid Christo convivium instruere potuit, & ministrare in jejunio. Concedamus ipsum assedisse mensæ, cùm dicatur quòd multi peccatores, & publicani mãducabant cum Christo, ideóne omisit agere pœnitentiam, & converti totaliter ad Christum? Quinimò hoc fuit signum perfectæ conversionis, & relictionis omnium.

*Cur subito convivium exhibuit?*

S. August. lib. 50. homil. homil. ult. cap. 15.

S. Basil. homil. 1. de laudibus jejunii.

S. Ambrof. lib. de Elia & jejunio.

Lucæ cap. 5. 29.

22. Quando Elias Elisæum vocabat, ad animi promptitudinẽ demonstrandam occidit boves cum quibus arabat, & lignis aratri coxit carnes, convivium suis exhibens. Simile quid S. Matthæus fecisse videtur: volens quippè negotia quæ ut publicanus gerebat omninò relinquere, pecuniâ quâ telonium tenere solebat, convivium Salvatori, discipulis, & amicis aptavit: quasi diceret, usque modò divitijs congregandis attendi, nunc illas distribuere cupio. Vsque modò mundi ac diaboli servitio illas addixi, nunc autem

*Convivium exhibuit quia omnia reliquit.*

autem Salvatoris mei servitio impendere volo, aut ex toto derelinquam. Usque modo cum principibus terrenis, & peccatoribus conversatus fui, ex nunc principi cælesti adhærere desidero, & consortium peccatorum, quibus nunc valedicendo, convivium exhibeo, protinus derelinquere.

*Primâ vice Deus libenter ignoscit, aliis vicibus non ita.*

23. Advertenda hîc ulteriùs differentia quæ est inter primam vicem quâ quis convertitur ad Dominum, & inter secundam, & tertiam; primâ vice Christus se totaliter benignum, & placabilem exhibet, & promptissimum ad ignoscendum, & recipiendum in gratia perfecta: sed si postea in peccata relabimur, licet porta condonationis, & veniæ, non sit clausa; vult tamen ut experiamur justitiam eius, & non sine difficultate peccata remittit. Cùm David peccasset cum Bethsabee, & homicidium Vriȩ commisisset; misit ad illum Deus Nathan Prophetam, qui acriter illum reprehendit; unde errorem recognoscens compunctione peccatorum commotus dixit: *Peccavi Domino*; vixque illa verba protulerat, quin subitò Nathan adjunxit; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Post multum verò temporis in alium errorem valde gravem incidit, jubens numerari populum, mittit illi Deus Gad Prophetam, qui eum corriperet, ipse autem subitò ad solitum confugit remedium, dicens: *Peccavi valde in hoc*, sed non audivit amplius: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: sed dixit Propheta Gad, unum ex tribus his flagellis elige pestem, famem, vel bellum. Quid hoc sibi vult? Peccatum primum adulterii, & homicidii gravius fuit secundo, nihilominùs tam facilè veniam obtinuit, hoc verò adeò severè punitur. Ratio est, quia primâ vice quâ quis convertitur ad Dominum, quantumvis maximus sit peccator, benignè recipitur; sed si posteà recidat, non cogitet secum tali mansuetudine agendum, sed requiri asperrimam pœnitentiam quâ veniam promerebitur.

2. Reg. 12. 13.

2. Reg. 24. 10.

*David primâ vice à Deo non punitus, sed secundâ.*

*Filii Israël ex Ægypto discedere nolentes non puniti, sed eò redire volentes.*

24. Quando Deus populum suum de Ægypto liberavit, quâ benignitate illum non est complexus? Voluit ut comederet Agnum Paschalem, convivia exhiberet, & onustus spoliis argenti, & auri exiret, mare rubrum aperuit, pluit manna de cælo, & ut paucis perstringam, nihil ipsi deesse permisit. Sed dum in deserto murmuravit, in Ægyptum redire volens, crudelissimè illum excepit, maximam occidens multitudinem. Sed quare in Ægypto non fuit punitus inde discedere nolens, sed tunc benignè receptus, posteà autem pro solo desiderio eò revertendi, tam severè castigatur? Vt cognoscamus Deo maximè displicere peccatoris relapsum in peccatum, quando per Dei misericordiam ab eo est absolutus.

Quod

Quod optimè notavit S. Cyrillus Alexandrinus, loquens de Hebræis: *Profligati sunt ab hostibus illorum gerentes typum, qui virtutis iter ingressi, ad præteritæ vitæ tenebras, pedem retroferre laborabant.* Ad idem propositum adducit exemplum uxoris Loth, quæ non punita fuit, in Sodomis manens, sed dum egressa, retrospexit.

S. Cyrill. Alexand. in cap. 17. S. Ioann.

*Primâ vice benignè exceptus.*

25. Sic sanctus Matthæus semel ex Ægypto egressus, numquã redire voluit. Cùm ergò hæ fuerunt primæ vices, conveniens fuit ut convivium præpararet, & Deus se benignum, & mansuetum erga eum demonstraret. Licet quoque publicanos odio prosequerentur Hebræi, eò quòd vectigalia ab ipsis exigebant; non sequitur inde fuisse homines pessimos, sed inter ipsos aliqui boni esse poterant, qui contenti stipendio, & lucro, injuriâ, aut violentiâ neminem molestabant. Potuit S. Matthæus fuisse unus ex istis, ideò non legitur quidquam restituisse, ut Zachęus. Quomodocumque sit, cùm fuerit in mensâ Salvatoris, & ab ipso electus, credibile est fuisse liberum à vitiis: ab iis præcipuè quę Regius Propheta detestatur: *Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam.* Nam si tales ad mensam Davidis admissi non fuerunt, quomodo ejus filius Christus illos recepisset? Dices ipsum hoc libenter præstitisse, & increpasse Pharisæos hoc convitiantes: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*: benè quidem, sed cùm ipse ex iis non esset medicis qui multò tempore indigent, ut curent infirmos, credibile est ipsum subitò eos sanasse, ut secum comedentes non ampliùs nec superbi, nec insatiabiles corde essent.

*Non videtur fuisse malus.*

Psal. 100. 5.

Matt. 9. 12.

26. Convivium insuper sanctus Matthæus exhibuit, ut demonstraret lætitiam quâ mundũ deserebat, ut Christum sequeretur: quę res summopere desideranda est iis qui à malâ vitâ ad bonam frugẽ convertuntur. Si enim illibenter illam relinquunt, signum est, brevî relapsuros. Quando filii Israël ab Jerusalem discedere, & in Babyloniã migrare debebant multi admodum tristes dicebant: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus dum recordaremur tui Sion*, quod fuit indicium ipsos debere reverti; sed posteà è Babyloniâ in Jerusalem revertentes gaudentes, & cantantes; dicebant: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione*: quasi dicerent, maximam esse cordis lętitiam, quã concipiebant; quod fuit præsagium, illós non debere ampliùs eò reverti, sicut factum est. Idem in sensu mystico peccatori accidit; qui enim discedit ab Jerusalem, id est peccatum aliquod committit, per quod perdit gratiam divinam, sed illibenter, cum remorsu conscientiæ, à malis passionibus

*Convivium exhibuit ut animi lætitiam ostenderet.*

Psal. 136. 1.

Psal. 125. 1.

*Gaudium initio conversionis bonum signum.*

victus, vel à consortio seductus illud perpetrat, spes erit relinquendi peccatum; sed si hilariter illud committat, ex malitia, timendum certè est, illum numquam ad bonam viam reduci posse, sed esse ex illis de quibus sapiens ait; *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Qui bono animo mundum, non deserit, facilè revertetur; sed si hilariter discedit ab eo, sperare potest, se non amplius eò reversurum, sed semper ab eo longè absuturum. Proverb. 2. 14.

*Gaudium in peccatoribus malum, in justis bonum signum.*

27. Mala ergò est lætitia in peccatoribus, & bona in pœnitentibus; sicut longa cæsaries symbolum lætitiæ, occasio mortis Absoloni fuit, & symbolum fortitudinis Sampsoni. Sanctus Matthæus, exemplum dedit perfectæ conversionis; ideo dignus fuit, qui primus scriberet Evangelium. Conveniens quippe non erat, eum tale officium exercere, qui nondum fuisset executus id quod alios docere volebat. Jdcirco Apostolus Paulus scribens ad Timotheū dixit: *Opus fac Evangelistæ.* Exequere quod dicis, & doces. Primum quod in Evangelio docetur est, agere pœnitentiam, à qua prædicationem suam incepit S. Joannes Baptista, & Christus. Nec casu S. Matthæum in Æthiopiam missum fuisse arbitror; dum enim recordaretur se fuisse nigrum ut Æthiopem, propter concupiscentiam rerum mundanarum, judicavit conveniens esse illis prædicare Evangelium; nec desperavit illorum conversionem, licet Jeremias Propheta dixerit; *Si mutare potest Æthiops pellem suam?* quia de seipso exemplum sumebat, qui tam feliciter immutatus erat. 2. ad Tim. 4. 5. *S. Matthæus quæ docuit complevit.* Ierem. 13. 23.

28. Exhibuit insuper Domino convivium S. Matthæus, ut exterius ostenderet, quod interiùs operabatur; sicut enim in corde dulcissimum sentiebat convivium per pœnitentiam, & abrenunciationem terrenarum cupiditatum; sic etiam sensus externos reficere volebat. Vnde benè dixit S. Joannes Chrysostomus; *Discumbebat Iesus plus in Matthæi mente, quàm in sigmate, & epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris.* In externa mensa carnem adhibebat animalium, sed in interna, proprium cor: comedebat Christus exteriùs cum eo, sed interiùs ipsum manducabat. Juxta illud S. Bernardi: *Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat? ego autem qui peccator sum, cinis sum, ut manducer, ab eo mandor, cùm arguor; glutior, cùm instituor; digeror, cùm transformor; unior cùm conformor.* Figura istius convivii fuit hœdus ille quem Rebecca dedit Isaac pro cibo delicatissimo; Capræ enim & hœdi sunt peccatores, quos à sinistra sua collocabit Iudex, ut destinentur ad æternum macellum inferni. Sed hœdi illi in igne pœnitentiæ cocti, in tantum Regi cælorum placent, ut explicari vix possit. Hoc bene notat

*Convivium exhibuit, ut externum, internum monstraret.*

Chrysost. serm. 29.

Serm. 11. in Cantica.

Franco tomo 3. de gratia.

*Pœnitentes Deo maximè placent.*

tat Franco Abbas dicens: *Bene sapiens mulier, quæ sic novit hædos coquere, sic condire, ut gratiam cervorum coæquent, aut etiam superent. Gaudium enim est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, sic sic satagit gratia.*

29. Clariùs hoc repræsentatum fuit in linteo pleno serpentibus,& quadrupedibus de cælo misso S. Petro famelico, ut occideret & manducaret, cui dixit: *Absit Domine, quia numquam manducavi, omne commune,& immundum*: quo dicto audivit vocem de cælo dicentem sibi; *quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Nec sine emphasi illud *tu* dictum fuit, quasi diceret, si alius immundos vocaret peccatores,tolerabile foret,sed *tu*,ô Petre, qui negasti magistrum tuum, perjurus fuisti, remissionem tamē invenisti, & sanctificatus es; audes vocare immundos alios, nec vis recipere peccatores ad pœnitentiam? *Tu*, qui es Vicarius Christi, audebis dare sententiam contra magistrum? Serpentes quos purificaverit, vocabis *tu* immundos? Et dicit sacer textus, quod *hoc factum est per ter*, non sufficiebat unâ vice id fieri, cùm *semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit*?

Actorum 10. 14.

*Hoc in linteo S. Petro è cælo misso figuratum.*

Act. 10. 16.

Iob 33. 14.

30. Voluit fortasse monstrare, promptum se esse ad peccatores sanctificandos, non solùm primâ vice, sed etiam secundâ,& tertiâ, imò infinities? Vel etiam non solùm unâ vice, sed etiam tribus vicibus sanctificatos esse, videlicet in superlativo gradu? Vel significare voluit omnes tres personas sanctissimæ Trinitatis, ad hanc sanctificationem concurrere, ut tres essent qui testimonium darent in cælo? vel ad majorem certificationem S. Petro exhibendam hoc non esse imaginationem aliquam, aut somnium à fame causatum, sed veram revelationem Dei? Vel potuit in hoc Deus demonstrare, quàm ingenti desiderio flagraret, ut Petrus ex hoc cibo comederet, quandoquidem nō ipsū semel sed ter invitaverit? Quomodocumque intelligatur, proposito nostro rectè inservit, sicut illud quod sequitur; *& statim receptum est vas in cælum*; non dicitur, quod evanuerit, aut absconditum fuerit, aut reliquerit illa animalia currere per terram; sed quod iterum in cælum receptum fuerit: quasi cibus adeò esset delicatus ut cælum terræ eum invideret, & ostenderet S. Petro, non illi oblatum cibum, quem nemo manducare vellet: cùm esset cibus Angelicus, ipsumque ad cæleste convivium invitaret. Sic sanctificatus S. Matthæus, factus est cibus dignus Regi cælorum.

*Cur ter linteum è cælo missum?*

Act. 10. 16.

*Quàm gratus cibus Deo, peccator pœnitens.*

31. Numquid præstitisset serpentes istos aliaque animalia à Deo fuisse conversa in tot columbas, agnos, aut animalia munda? Respondeo, Deum nos docere voluisse, gratiam non destruere

*Gratia non destruit naturam sed perficit.*

Vv 2 naturam,

naturam, sed illam perficere; & convertendo peccatores, permittere sanctè exercere hoc officium in domo suâ, quod anteà vanè, aut propter lucrum temporale in mundo exercebant. Sic ad se traxit Petrum, & Andream piscatores, non auferens ipsis artem piscandi, sed perficiens, quia eos piscatores hominum effecit. Vocat Mariam Magdalenam, quæ vanos amores sæculi sectabatur, & eam in domo suâ constituens, ad verum & divinum amorem attendere fecit. Convertit Saulum qui cum mandato, & litteris Summi Pontificis ad varia loca, ut Christianos comprehenderet, excurrebat. Et per diversas mundi partes, non verbo solùm, sed epistolis, ut multos in lege Christianâ captivos reddat, transmittit. Regem Davidem Prophetam suum efficit, & quia primò lusu citharæ delectatus, ut cantu, & Psalmis eum laudet, citharœdum suum creat. Sanctum Matthæum Scriptorem insignem, Evangelistam suum facit, ut vitam suam narret, & genealogiam computet; & modum quem in thesauris terrenis congregandis exercuerat, in cælestibus thesauris cumulandis utatur.

*Officia ante conversionem exercita post conversionem perfectiùs peraguntur.*

32. Pulcherrimum hîc occurrit dubium, cur Propheta Isaias loquens, de animalibus in lege Evangelica, dixit mutatura mores suos, & naturam; *Quia Leo quasi Bos comedet paleas; & habitabit Lupus cum Agno*: arbores autem non dixit mutandas, ut, domesticæ fiant silvestres, aut è contra: sed pro malis bonas nascituras, *Pro saliunca, ascendet Abies, & pro urtica Myrtus crescet.* Non potuisset dicere, salix fiet fortis ut Abies, & urtica erit tractabilis sicut Myrthus? & alibi; *Dabo in solitudinem Cedrum, & spinam, ponam in deserta Abietem, Ulmum, & Buxum.* Non dicit convertam arbores silvestres, & spinosas in fructiferas; sed faciam loco illarum crescere bonas, & fructiferas. Fortè per arbores in terra radicatas, obstinati intelliguntur, qui non dicuntur convertendi, sed quod à Deo loco illorum sint constituendi boni. Vel sunt sicut arbores rationis expertes, non cognoscentes miserias suas, & ad Deum converti nequeuntes. Fortè per arbores infructiferas igni destinatas, perversi intelliguntur, æternæ damnationi addicti? Credibile etiam est, per arbores Judæos in terra promissionis natos, & per animalia gentiles præfiguratos esse.

*Quid per istas scripturas præfiguratum?*

Isaiæ 11. 7.

Isaiæ 55. 13.

Isaiæ 41. 19.

*Per animalia boni, per arbores mali videntur intelligi.*

33. Quomodocumque ista diversitas in animalibus, & arboribus intelligatur, inde colligere possumus, duobus modis providere Deum bonos ministros in Ecclesia sua. Primò convertendo malos, illos bonos efficiendo, secundò auferendo malos, bonosque eorum loco constituendo: hinc Episcopo Ephesino misit Deus nuntium ut se converteret, &

& pœnitentiam ageret, alioquin officio privaretur: *Age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & movebo candelabrum de loco suo.* Apoc. 2, 5. Fuit ergo S. Matthæus ex silvestri, commutatus in domesticum animal, & mansuetum, & Iudas quasi urtica pungens, & salix silvestris, & amara, eradicatus, & igni æterno destinatus; in cujus locum substitutus est S. Matthias, qui fuit quasi Abies fortis, & Myrthus odorifera ob insignes virtutes.

*S. Matthæus ex silvestri in domesticum animal mutatus.*

34. Vel melius dicamus, in animalibus peccatores intelligendos, in quibus natura paulatim deficit: in arboribus autem vitia, quæ in nobis penitùs extirpari debent. Hoc mecum affirmat S. Gregorius Papa, qui hunc locum Isaiæ explicans, inquit: *Pro Saliunca ascendit Abies, dum in sanctorum corde pro abjectione terrenæ cogitationis altitudo supernæ contemplationis exoritur. Pro Vrtica crescit Myrthus, cùm justorum mentes à prurigine, & ardore vitiorum ad cogitationum temperiem tranquillitatemq; perveniunt.* Quæ omnia in S. Matthæo, à quo totaliter vitia evulsa, & dotes naturales, in bonum conversæ fuerunt, possunt verificari.

S. Gregor. lib 18. moral. cap. 12.

# IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

## DISCVRSVS VIGESIMVS TERTIVS.

### *De Primatu, & Protectione sancti Michaëlis contra diabolum.*

### Aquila volans testudinem unguibus tenens.

### *Ad Petram allidet.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Sanctum Michaëlem Aquilæ, diabolum testudini, & Christum petræ comparat 16. primis numeris.*

*Per eum Ecclesiam semper vincere, ideoq; inter myrteta visum num. 17. 18. 19. 20. 21. 22. exhibet.*

*Quomodo ubique nos contra diabolum defendat exemplo corporis Moysis, à num. 23. ad finem usque demonstrat.*

*Aquila & testudo maximè opposita.*

1. IN repræsentato emblemate duo habentur animalia, tam inter se naturæ proprietate, inclinatione sensuali, & dispositione coporali diversa; quàm in hâc occasione situ videmus cōtigua. Aquila non solùm avis, sed avium Regina est. Testudo non solùm terrestre animal, sed inter ea penè infimum locum obtinet. Quod sic probo, infimum unius generis aut ordinis, semper naturam alterius ordinis, aut generis participat: ut in alquibus imperfectis animalibus apparet, quæ vix cognoscuntur, utrùm animalia sint aut herbæ; tales herbæ reperiuntur, quæ similitudinem lapidum participant. Inter hæc testudo est, quæ licet in terrâ semper vivat, & repat; naturam tamen aquatilium animalium, ita participat, ut maximè sit dubiū, an inter ea connumerari debeat: diebus quippè esurialibus manducari, permittitur, ut piscis, quod signum est ipsam esse infimam speciem illius generis. Aquila velocissima, Testudo tardissima;

Aquila

Aquila leviſſima, Teſtudo graviſſima: illa armis offenſivis egregiè inſtructa, acuto roſtro, & rapacibus unguibus, hæc armis defenſivis optimè à naturâ dotata, & fortiſſimâ loricâ induta: illa calidiſſima, hæc frigidiſſima: illa levibus ornata plumis, hæc gravi circumcincta thorace: illa circumquaque volando delectatur, hęc numquã è domo ſuâ egreditur: illa inſigne eſt belli, & armigerorum, unde Jovi armiger tribuitur, hæc ſymbolum mulierum delicatarum, unde pro ſcabello pedibus Veneris appingitur.

*Contraria ſibi mutuò exercent officia.*

2. Non mirum ergò ſi ſumma inimicitia inter eas reperiatur: & Aquilam calidam & ſiccam, teſtudinem frigidam & humidam in cibum appetere. Sed quomodo eam comedit, aut diſrumpit? Refert Plinius, eam in altum teſtudinem elevare, indeque ad durum lapidem allidere, & impenetrabili diſrupto cortice intra quem latebat, pro libitu illâ fruitur. Notat quoque caſum Eſchili Poëtæ, ſuprà cujus caput calvitio ſplendens cùm Aquila (petram arbitrata) teſtudinem immitteret, ipſum confregit.

*Inimicitia inter eos maxima.*

Plinius lib. 10. cap. 3.

3. In hâc ergò victoriâ quam in lapide Aquila contra teſtudinem obtinet, optimè victoria, quã contra infernalem Luciferum virtute Chriſti S. Michaël obtinuit, repręſentatur; cui meritò dictum illud appoſuimus: *Ad petram allidet*, ſumptum ex Pſalmo Davidico: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Primò enim pulcherrimum ſymbolum magni Archangeli Michaëlis, Aquila eſt: alibi quippè diximus, per aves rectè repręſentari Angelos, utque avium Regina Aquila, ſic Princeps Angelorum S. Michaël, quem Eccleſia præpoſitum paradiſi, & cæleſtis militiæ primatem vocat. Quod item ex prælio cum lucifero inito (de quo Evangeliſta Joannes) rectè colligi poteſt: *Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone.* Etenim cùm Lucifer primus fuerit, aut ex primis Seraphinis, ut Theologi communiter docent, conveniens fuit, ut contra ipſum in prælium exiret unus ex Seraphim; & quia hoc negotium arduum, bellumque adeò honorificum erat, Principem illorum, aut unum ex primis requirebat. Credibile inſuper eſt, omnes Angelos bonos, arma contra Luciferum, ſocioſque ejus ſumpſiſſe; zeloſi quippè omnes pro honore divino erant, nec aliquis fuit, qui in neutram partem inclinaret, cùm pro Angelis inter cælum & infernum locus alius non reperiatur. Horum Angelorum, qui contra Luciferum ſocioſque ejus pręliabantur, Princeps fuit S. Michaël, cujus reliqui milites fuerunt. Hoc apertè declarat S. Baſilius dicens: *Tibi ô Michaël Dux ſupernorum ſpirituum, qui dignitate, & honoribus prælatus es cæteris omnibus ſpiritibus ſupernis*, &c. Beatus quoque

*Victoria Aquilæ victoriâ S. Michaëlis exprimitur.*

Pſal. 136. 9.

*S. Michaël ex primis Angelis.*

Apocal. 12. 7.

*Dux præliantium contra Luciferum.*

S. Baſil. homil. de Angelis.

Laurent. Justin. ser. de S. Michaele. que Laurentius Justinianus, dicit: *Sanctis spiritibus prælatus est Michaël, sicut Lucifer malis*: hoc fortè dicere voluit Angelus Gabriel dum Danieli dixit: *Ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum*: vox quippè *unus* in Scripturâ sacrâ sæpè accipitur pro *primus* sic dicitur in Genesi: *Factum est vespere, & mane dies unus*, id est primus. Dum ergò dicitur sanctus Michaël unus ex Principibus primis esse, intelligi potest primus inter Principes; ita ut inter magnos sit maximus, inter Principes principalior, inter primos maximè excellens.

Daniel. 10. 13.

Genes. 1.

*Vtrum plures sint Michaëles vel unus.*

4. Scio aliquos Theologos non audentes negare, has rationes non probare, S. Michaëlem primum Angelum paradisi cælestis esse, ex aliâ quoque parte scientes S. Michaëli commendatam Ecclesiam & vocari Archangelum, illumque ad nos mitti juxta hymnum Ecclesiæ: *Angelum pacis Michaël ad istam cælitùs mitti rogitamus aulam*: dixisse plures esse Angelos Michaëles, inter quos unus fuit Dux belli contra Luciferum, estque primus Seraphim; alium autem Archangelum esse cui commendata est Ecclesia. Hi autem arbitrantur, nullum primorum Angelorum stantium ante conspectum divinum sese immiscere rebus terrenis. Sic sentit Magister Sententiarum, Abulensis, & Suares. Nihilominus conformiter ad illud quod tenet Ecclesia, credo unum debere admitti Michaëlem; nam illa omnia S. Michaëli attribuit, quæ isti ad diversos pertinere dicunt. In hymno etiam festivitatis canit Ecclesia; *Michaelem in virtute conterentem Zabulon*; alludendo ad victoriam in paradiso obtentam; posteà subjungit; *Quo custode procul pelle*, loquendo semper de eodem S. Michaële, ut de uno Angelo, illum nostrum custodem statuens.

In hymno festi.

Magist. Sent. in 2. dist. 10. q. 13.
Abulen. in Jud. 13. c. 53.
Suarez lib. 6. de Angelis cap. 10.

*Vnus S. Michaël tenendus*

5. Nec miremur vocari Archangelum, scio enim hoc nomen officii esse non naturæ; unde etiam in Daniële vocatur Princeps; si ergò ex hâc regulâ argumentari vellemus, dicendum esset tres fuisse Michaëles, unum qui prælium cum Dracone commisit, alterum Principem, tertium Archangelum. Ad oppositionem autem dicentium Seraphim non mitti, respondere possem hanc opinionem S. Thomæ esse, cui plurimi contradicunt. Sed meliùs dicamus hoc dici de negotiis ordinariis, & communibus, non de extraordinariis, & maximi momẽti. Quin imò S. Michaël de cælo non descendẽs, novit protegere Ecclesiam sibi commissam. Est ergò S. Michaël Angelorum Princeps, non minùs quàm Aquila avium Regina.

*Supremi Angeli extraordinariè mittuntur.*

6. Si Aquilam nidum suum in altis & præruptis rupibus, constituere delectet, juxta illud Job: *In arduis ponet nidum suum: in petra manet, & in præruptis silicibus commoratur,* Job 39. 27.

*tur, atque inaccessibus rupibus.* Sancto Michaëli volenti hîc in terrâ locum commorationis eligere, in alto Gargani monte sibi templum constituere placuit. Si Aquila ad solares radios probat pullos: sanctus Michaël subitò ac anima è corpore egressa est, illam bilance justitiæ ad cõspectum æterni Solis probat. Si Aquila adeò perspicacis est visus, ut Solem ipsum firmiter intueri, & ex nubibus in fluminum fundo pisciculos etiam minimos conspicere queat: sanctus Michaël perspicacissimo intellectu, semper divinam essentiam contemplari, & simul de supernis cælorum ad omnes animas sibi commendatas attendere potest. Si Aquila imperialis; cum duobus capitibus coronatis depingitur ad significandum imperium orientale, & occidentale; non aliter S. Michaël mysterio horum duorum capitum nobilius, & excellentius gaudet; cùm post Christum Ecclesiæ triumphantis, & militantis protector sit, & caput. Nec longè à doctrina Platonica discederemus, si illum cum duobus capitibus depingere vellemus: nam Plato duas facies Angelis tribuebat, unam quâ contemplarētur cælestia, alteram, quâ terrena negotia attenderent. Quid mirum esset cùm à spiritu Sancto illis quatuor attribuantur ut in Ezechiele Propheta apparet: nam illi spiritus qui humeros ad supportandum thronum majestatis divinæ supponebant, Angeli esse debebant. Habebant faciem Aquilæ propter sapientiam, faciem Leonis, propter fortitudinem, faciem hominis, propter mansuetudinem, & faciem vituli, qui Deo sacrificatur, propter pietatem. Si apud auctores legitur, Ptolomæum postea Regem Ægypti, vix natum aperto campo expositum, ab aquila non solùm defensum, ne unguibus aliarum volucrum discerperetur, & alis à solis calore protectum; verùm etiam sanguine coturnicum ab ipsa occisorum, mirabiliter enutritum fuisse. S. Michaëlem parvulos vixdum natos mille periculis expositos ab unguibus infernalium bestiarum alis suæ protectionis defendere ac officium quandoque nutricis exercere, certò credimus; juxta illud Isaiæ: *Erunt Reges nutritii eius.* Si Aquila denique in vexillis populi Romani in bellis præferebatur: Nomen S. Michaëlis in vexillis Machabæorum in bellis præferebatur; nam quatuor initialibus litteris verborum: *Quis similis tui in Diis vel fortibus Domine?* ponebant, significatum nominis S. Michaëlis, *Quis ut Deus?*

*S. Michaël similis Aquilæ.*

*S. Michael ut Aquila duobus capitibus.*

Ezech. 1. 5.

*S. Michael omnes protegit.*

Isaiæ 49. 23.

Sixt. Senen. lib. 1.

Exod. 15. 11.

7. Per Testitudinem optimè diabolus figuratur, qui ad modum serpentum non elevatur à terra, ad hoc enim à Domino condemnatus fuit in primo serpente qui Evam seduxit. Deprimitur Testudo à duro cooperculo; & à petra duræ obstinationis deprimitur

*Testudini rectè diabolus comparatus.*



tur

tur Diabolus. Quod Testudo semel ore percepit, numquam derelinquit; Diabolus peccatū semel commissum, & animas semel acceptas numquam derelinquit, quia in inferno nulla est redemptio. Domum suam Testudo, quocumque vadit, confert; diabolus domum suam, quæ est infernus, semper secum habet, nam pœnas inferni etiam patitur dum nobis adest.

Plin. lib. 9. cap. 10. 8. Plinius refert, Testudinem centenos filios generare, quem Gundisalvus Ferdinandus de Oviedo in suâ historiâ Indiæ Occidentalis sequitur, Testudines nempè è mari exeuntes in arenâ fossas efficientes ibi 300. aut 500. ova reponere, ac arena cooperire solent, quæ calore Solis educuntur, & foventur: sic plurimos sequaces, & imitatores habet diabolus, qui terrenis rebus inhiantes, & calore concupiscentiæ se foventes, ei similes efficiuntur. In tenebris noctis fovet ova sua Testudo, Plinio teste, in ignorantiæ tenebris, tentationes suas fovet Diabolus. Truncato capite, referente Eliano adhuc vivit & mordere potest testudo; licet diabolo caput sit confractum, juxta illud Genesis: *Ipsa conteret caput tuum*, adhuc tamen nos tentare, & si accesserimus, mordere potest; dum enim totaliter victus videtur, cavere tibi debes ne à capite abscisso superbiâ videlicet & vanâ gloriâ devincaris.

*Gonzal. lib. 12. c. 9.*

*Testudo plurimos generat filios.*

*Elianus lib. 4. c. 28.*

*Gen. 3. 15.*

9. Solam fortitudinem Testudo habet in ore, in quo licet nullos habeat dentes, ita fortis est, ut dura quæque etiam lapides comminuere possit: diabolus totam fortitudinem suam in ore habet, non quòd devorare possit, aut confringere, cùm dentibus careat, sed persuadere mala ut consentias, in quo tantùm valet, ut nullus sine particulari gratiâ divinâ resistere possit. Omnia comedit Testudo, pisces, conchas, herbas, & quidquid ore apprehendere potest, sed diu absque cibo vivere nequit. Diabolus omnium hominum genera tentat, & ab uno quoque cibum sibi procurare cupit. Non respicit magnates, non commiseretur parvulis, non reveretur Sacerdotes, non timet Religiosos, non despicit mundanos, non ignoscit in eum confidentibus, sed omnibus nullo habito respectu damna infert; & licet multo tempore expectet ut animam lucretur, non propterea desperat, nec à tentatione desistit, sperans se tandem illâ potiturum.

*Testudinis fortitudo in ore quo omnia devorat.*

*Diabolus omnes aggreditur & tentat.*

10. Testudo marina quandoque extra aquas manere gaudet, sed dum à Sole cortex ejus induratus est, in aquas redire non potest, unde vel capitur à piscatoribus aut mori cogitur. Dum est resupina omnem fortitudinem perdit, nec se ultrà movere potest: sic Lucifer super omnes Angelos ascendere voluit, de quibus profectò Angelis mysticè intelligi potest,

*Testudo extra aquas manens exsiccatur.*

Psal. 148. 4. test, dictum Psalmistæ: *Et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*: sicut enim aquæ quæ in terrâ sunt significant populos, juxta illud Prophetæ: *Aquæ multæ, populi multi*, sic per aquas supra cælos possunt intelligi Angeli, qui populatam reddunt Jerusalem cælestem. Sed dum ipse omnem humorem, & devotionem gratiæ perderet, ita exsiccatus per obstinationem remansit, ut æternâ morte condemnatus fuerit; & cùm semel ab illâ gratiâ, quam in creatione acceperat, corruerit, numquam eam ampliùs acquirere potuit, nec pro suo errore pœnitentiam agere.

*Diabolus extra gratiam damnatur.*

*Testudines in terra & mari sunt:*

11. Testudines ubique reperiuntur in mari, in terrâ, & in lacubus, terrestres: aquas amant; & marinæ sæpissimè ad terram veniunt. Dæmones pariter tot sunt numero, ut ubique reperiantur in mari, in terrâ, & in omnibus abyssis: quidam particulari vitio destinati, si occasionem aliorum peccatorum reperiunt, ad talia instigare norunt. Testudo frigidi temperamenti est, cujus etiam sanguis frigidus esse dicitur; Cardanus tamen, ut mihi videtur, meliùs hoc explicat, dicens; respectu aliorum animalium sanguinem frigidum dici: si enim totaliter frigidus esset, non credo testudinem posse vivere, nec aptum ei fore instrumentum functionibus vitalibus. Dæmon frigidissimus dicitur, quia elegit sibi partem Aquilonarem, unde ventus frigidus spirat. Licet etiam quandoque assumat corpus fictitium, calorem tamen ipsi attribuere non potest, ut sæpissimè expertæ sunt veneficæ.

*Similiter Dæmones,*

*Testudines frigidæ sunt,*

*Dæmon frigidissimus.*

12. A Testudine animali originem habere videtur instrumentum musicum ejusdem nominis; cùm enim Mercurius corticem Testudinis vacuam, & exsiccatam reperisset, in quâ nervi in similitudinem cordarum dispositi remanserant, inde formam instrumenti sumpsit. Nos autem dicere possumus musicam Angelorum in cælis solarum vocum esse, cùm nulla habeant instrumenta corporea; sed musicam aliorum Sanctorum in cælis fieri cum instrumentis & organo quasi corporeo. Occasio autem musicæ in cælis cum instrumentis unde sumpta est, nisi ex Testudine mortua, ex casu videlicet & ruinâ Luciferi? Cùm enim sedes ipsius vacua maneret, placuit supremo Monarchæ, in locum Angelorum substituere homines, ut secum portantes corpora sua, musicam plenam cum instrumentis exhiberent.

*Qualis musica in cælo?*

13. Multis prætereà rebus Testudines marinæ, & terrestres inserviunt, Barbaris nationibus, coopercula domorum sunt, & grandioribus pro navigiis, minoribus verò pro multarum rerum repositoriis utuntur. Carnes etiam optimæ sunt, & sanguis illarum pro medicinâ bibitur. Pari modo homines

*Gentiles in multis utuntur corticibus testudinum.*

mines tam Barbari & mente excæcati reperiuntur, ut Dæmonum operam multis rebus per incantationes adhibeant; quandoque cogendo ut illos in varias regiones ultra mare transportent; vel pro tecto illis inservientes ut scelera cooperiant; quod est potissimùm eorum officiũ, nam tales sibi subjugatos habent, seque inter cælum & terram opponunt, ne dona cælestia, vel aliquem divinæ gratiæ influxum percipere queant.

*Homines in multis utuntur dæmonum operâ.*

14. Tempore antiquorum Romanorum in pretio habebantur coopercula Testudinum, scindentes quippè illa in minutissimas partes, ebori, variisque lignis, quibus supellectilem ornabant, interserebant. Sic diabolus plurimas subtilitates invenit, ut augeat crapulam & libidinem in mundo. Aquatiliũ & terrestrium animalium naturam participant Testudines, ideò monstrosæ dicuntur: Pariter diabolus videtur ex omnibus animalibus monstrosè compositus, ideoque in Leviathan monstro marino, & Behemot mõstro terrestri præfiguratur.

15. Christum autem esse petram patet ex variis sacræ Scripturæ locis. Sanctus Paulus inquit: *Petra autem erat Christus*: omnes autem supra hanc petram cadentes confringit Christus: *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.* Vbi videtur alludere ad duo genera victoriarum quæ de inimicis reportavit. Prima est in hâc vitâ quando peccatores in ipsum impingentes, & supra eum cadentes, confracti & conquassati remanent. Altera victoria, in die judicii est, quando hic lapis supra reprobos cadet, ipsosque conteret. Similiter dici potest, diabolum durante hoc mundo supra Christum cadere, seque confringere: post diem autem judicii Christus ad eum descendet, & conteret eum. Per virtutem ergò hujus petræ sanctus Michaël multas obtinuit victorias contra diabolum: primam in cælo, quia in magno illo conflictu ad petram recurrit, dicens: *Quis ut Deus?* Quâ percussione Satanas totaliter confractus, & conquassatus remansit.

*Christus verò petra est.*

*1. Corint. 10. 4.*

*Mat. 21. 44.*

*Duplex victoria Christi.*

16. Nec mihi opponatur Christum tunc nondum fuisse natum, quia in quantum Deus etiã petra est, juxta dictũ Psalmi: *Deus cordis mei*, ubi textus Hebræus legit: *Petra cordis mei.* In virtute quoq; Christi venturi victor fuit S. Michaël, ut notat D. Bernardus, super illa verba: *Vocatum est nomen ejus Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur.* Rupertus item Abbas ejusdem est opinionis, qui acutè notat in Apocalypsi primùm fieri mentionem partus virginis, deinde prælium cum Dracone describi. Sed numquid prælium Angelorum præcessit Nativitatem Salvatoris? Præcessit certè quantùm ad ordinem temporis, sed nõ quantùm ad ordinem intentionis in

*In virtute Christi S. Michael victor fuit.*

*Ps. 27. 26.*

Bernardus super illa verba Lucæ. 2. 21.

Apocalyp. 12. 5.

in mente divinâ: nativitas autem primò describitur (dicit Rupertus Abbas) ut sciamus victoriam Angelorum bonorum, non tam ob fortitudinem illorum fuisse obtentam, quàm per virtutem sanctissimi filii gloriosæ virginis Mariæ. Idcirco ipsimet Angeli hunc honorem illi tribuebant, dicentes; *Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.* Hanc etiam victoriam Psalmista David illi attribuit dum dixit: *Tu confregisti capita draconis*: unde meritò S. Bernardus dicit: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum à captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens, solvens illum, & servans istum.*

Rupertus supra hunc locum Apocal.

Apocalyp. 12. 10.

Ps. 73. 14.

S. Bernar. serm. 22. in Cantica.

17. Nec hanc victoriam solam, verùm etiam omnes alias bonorum victorias, ab hac petra procedere, ostendit nobis Propheta Samuel, qui cùm Philistæos in prælio subjugasset, cognoscens hoc à Deo factum, in memoriam tanti beneficii, erexit lapidem in eodem loco, quem vocavit *lapidem adjutorii*, dicens: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus*: intelligi volens mysticam petram Christum, sicut etiam Propheta David intellexit dicens: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Illicitos nempe appetitus. Supra quem locum S. Hieronymus scribens ait: *Si non abscidero, & allisero ad petram donec parva est concupiscentia, non potest postea abscindi, quando crevérit: Petra autem est Christus.* Et S. August. eandem expositionem sequens dicebat: *Hostis major est? Occidatur ad petram, brevis est hostis? Elidatur ad petram, & maiores ad petram occidite, & minores ad petram allidite, petra vincat &c.* Adjutorio ergo huius petræ S. Michaël obtinuit victoriam contra diabolum in cælo, & alibi sæpius.

*Omnis victoria justorum per Christum.*

1. Reg. 7. 12.

Psal. 136. 9.

S. Hieron. in hunc Ps.

S. August. in Ps. eund.

18. Inter alia quæ S. Michaël cum diabolo bella gessit; pro corpore Moysis contendere debuit, (ut S. Thadæus in sua epistola refert) ubi dum victor commodè esse non poterat, ad Petram recurrit dicens: *Imperet tibi Deus.* Tali modo S. Michaël semper victoriam obtinet, & obtinebit, quoties cum Dracone præliabitur. Hinc Angelus qui in adjutorium venit populo Israël in captivitate Babylonica ostensus fuit Zachariæ Prophetæ: *Ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo*; quod autem hic fuerit Angelus, explicat idem Zacharias dicens: *Et responderunt Angelo Domini qui stabat inter myrteta*; hunc verò S. Michaëlem fuisse inde probatur, quod ipse curam particularem synagogæ Hebræorum gereret, & quia repræsentatur, ut Princeps, & Dux aliorum Angelorum ipsum comitantium, & cui ea quæ egerunt, referunt. Sic opinantur Theodoretus, Liranus, aliique expositores communiter.

*S. Michael per Christum semper victor.*

Epist. Iudæ 9.

Zachar. 1. 8.

Ibid. 11.

19. Sed quare inter myrteta apparuit

*Cur Angelus inter myrteta & Deus inter spinas visus.*

paruit? Myrtus symbolum delectationis, & lætitiæ est, unde antiquitùs Veneri dedicata erat, quid ergò ipsi cum puritate Angelicâ? Deus etenim cùm Moysi apparuit, visus est inter spinas pungentes, cur idem non fecit Angelus minister Dei? Hoc fortè propter diversum statum istius populi accidit: qui cùm in Ægypto vehementer opprimeretur, Deus se inter spinas ostendit, & cùm in Babyloniâ indulgeret voluptatibus carnis, Angelus se inter myrtos monstravit; vel Deus inter spinas apparuit, ut insinuaret se carnem humanam assumere, & acutis dolorum spinis transfigi debere: Angelus autem, quia numquam felicitatem deperdere poterat, visus est in myrtetâ. Hæ & aliæ rationes hujus diversitatis adduci possent: sed relinquendo visionem spinarum, pulcherrimo mysterio se Angelus, inter Myrtos potiùs, quàm inter spinas, flores, aliúdve genus arborum exhibet conspiciendum.

*Myrtus lætitiam, spina dolorem indicant.*

Plin. lib. 15. cap. 29.

Isaiæ 55.13.

20. Primò quia Myrtus arbor felicis augurii est, in festis, & recreationibus adhiberi solita, antiquitùs etiam ex eâ coronæ triumphantibus conficiebantur Plinio teste: Isaias quoque Propheta populo suo mutationem status dolorosi, in statum lætitiæ, prædicens, dixit: *Pro urticâ crescet Myrtus*; ut ergò sciremus S. Michaëlem maximè lætari, dum in adjutorium populi, & pro nobis ad bellum procedit; utque Prophetæ animum adderet, ostendens statum illorum brevì in melius mutandum, illosq́; de inimicis triumphaturos, se inter Myrteta exhibuit. Nec inter unam solùm, aut duas sed inter myrteta, sylvas nempè myrtorum; ut abundãtiam festorum indicaret, idcircò etiam septuaginta legunt: *Inter duos montes umbrosos.*

Plin. lib. 7. cap. 11.

*Myrthus odore recreat, S. Michaël animas orantes defendit.*

21. Odorifera valdè est Myrtus, ac semper & ubique odorem suum retinet Plinio teste: *In Ægypto etiamsi cætera sint sine odore, lilia, viola, rosa, myrtus tamen præcipuus est odor.* Sic Angeli, & maximè sanctus Michaël animabus devotis, & orantibus, quæ odorem orationum diffundunt; assistere gaudent. Recreat Myrtus, ac spiritus jam dispersos congregat, Angeli animas sibi devotas, odore bono recreant, & mente distractos, ad devotionem accendunt.

S. August. lib. de Genesi ad litteram contra Manichæos.

Gen. 2. 4.

*Amoris symbolum myrtus, ideo Angelus inter eas apparet.*

22. Myrtus perpetuò viret, & quasi immortalis est; Angeli nullis temporum injuriis sunt expositi; ut notat S. Augustinus, exponens illum locum Genesis: *In die quã fecit Dominus cælum & terram, & omne viride agri*: sic S. Augustinus legit ex septuaginta, ubi nos habemus, *omne virgultum*, & dicit: *Viride ergò agri, spiritualem, invisibilemq́; creaturam dici propter vigorem vitæ æternæ.* Symbolum amoris est Myrtus, sicut enim Poëtæ Heroici, qui horrida bella canebant, se lauro cingebant: ita Poëtæ elegiaci, seu

ci, seu lyrici qui amores præcinebant, cingebant tempora Myrto. Supremi illi spiritus nimio amore ferventes, præcipuè S. Michael, Myrtis circumcincti apparent. In hortis mille genera diversarum rerum Myrto effingi solent, modò castra, modò milites, modò naves, modò animalia diversa; Angelici spiritus, amore nostro in omnia quæ volumus se transformant; unde Theodoretus: *Cælestes spiritus omnis formæ expertes, à Deo formantur, ut usus hominum postulat.* Inter has ergò Myrtos se monstrat gloriosè S. Archangelus Michael, quia illorum Princeps, & Dux est.

Daniel. 12. 1.

*Magnus Princeps vocatur S. Michael ob Heroica facta.*

23. Meritò etiam à Daniele vocatur *Princeps magnus*, qui titulus solet dari Principibus, non tam propter dignitatem illorum (sic enim haberent à nativitate) quàm propter insignem aliquam victoriam adeptam: ita vocati fuerunt Alexander Rex Macedoniæ, Carolus Imperator, & alii. Sed nullus potiori jure hoc titulo gaudet, S. Michaele, nullus enim potentiores devicit inimicos, cùm diabolum, ejusque socios cælo ejecerit, ideò post Christum ob insignes, magnasque victorias meritò triumphare potest. Benè ergo gladium manu dextrâ gerens, & bilancem sinistrâ depingitur, ut gladius supremam ejus dignitatem designet, ad hunc quippè finem supremi Principes illum ante se deferri curant; & de Plautiano maximè honorato à Severo Imperatore refert Herodianus, quòd *Ensem propterea gestabat, supremæ dignitatis insigne.* Cum bilance depingitur, quia symbolum justitiæ est, quæ virtus principibus propriè convenit, Bilanx in cælo posita est inter Leonem, & Virginem, ille nimiùm est ferox, hæc nimis placida; quia extrema sunt fugienda à vera justitia, delinquentes superfluo rigore non puniendo, nec immoderatâ clementiâ ignoscendo. Cùm ergo S. Michaël sit magnus, & justissimus Princeps meritò cum gladio, & bilance depingitur, cum gladio, propter insignem fortitudinem, cum bilance, propter prudentiam, cum gladio propter victoriã obtentam, cum bilance, quia cùm sit Dux Ecclesiæ militantis merita suorum militum æquè ponderabit.

*Cur S. Michael bilancem & gladium gerat.*

Herod. lib. 8.

*An melius librum manu teneret?*

24. Numquid meliùs in manu librum teneret, ad demonstrandum, cum summâ sapientiâ secundùm juris ordinem judicare? Respondeo duo esse genera justitiæ, justitiam belli, & justitiam pacis; hæc valdè est favorabilis, quia dantur multi termini defensionis, appellationis, & variarum replicationũ, & per libellos exercetur. Sed justitia belli cũ maximo procedit rigore, pro minimo enim errore, sine excusatione, aut appellatione præcipit Dux reum puniri, & statim sententia executioni mandatur absque ullis Scripturis. In hâc vitâ exercetur justitiâ

*Iustitia pacis in hac vita exercetur, in altera belli.*

tia pacis, Deus expectat, & audit excusationes, & si appelles ad misericordiam tibi ignoscit. Sed in alterâ vitâ, justitiam belli exercet, & S. Michael ut præcipuus Dux ejus, tenet gladium, & bilancem. Dicamus etiam eum bilancem pro nobis tenere, & gladium pro Dæmonibus contra quos pugnat, & se defendit, ut ergò monstretur promptissimus, non depingitur gladium latere, gestans, sed in manu ut verberet.

25. Hoc Prophetæ Danieli ostensum fuit, ab alio Angelo his verbis: *In tempore illo, consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui*: ubi notandum verbum *stat*, significare propriè dispositum & promptum ad officium suę professionis exequendum. Loquens etiam Apostolus de militibus Christi dicit: *State ergò succincti lumbos mentis vestræ*, continete vos, nimirum ut sitis apti ad pugnam, non meditemini fugam, sed prælium, videant inimici vestri, quod possitis illis faciem, non dorsum offerre. De Moyse dictum fuit: *Nisi Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*: si non se opposuisset parti disruptæ propter peccata populi Israel, non vicisset. Dicendo ergò quod sanctus Michael Dux, & bellator cælestis; *Stat pro filiis populi sui*, ostenditur eum esse promptissimum ad protegendum nos, & pro nobis præliandum.

Daniel. 12. 1.

*S. Michael stat promptus ad defensionem.*

Ad Ephes. 6. 14.

Psal. 105. 23.

Vbi suprà.

26. Promptitudo Dæmonis, & diligentia quâ utitur ad invadendum nos, inexplicabilis est, in hoc enim omnes suas disposuit cogitationes, nec umquam quiescit; sed, *circuit quærens quem devoret*. Non tamen illi adæquari potest diligentia, quam S. Michael exhibet, ut nos liberet; hoc enim explicans Propheta David dicit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Septuaginta autem legunt, *castrametabitur*, & sanctus Hieronymus vertit, *circumdat in gyro*; nec parva est differentia, quæ inter hæc verba, *circuire*, & *circumdare* reperitur; quia illud denotat moram, & successionem, hoc firmitatem, & continuationem; illud verificari potest de unâ solâ personâ, quæ circuit unam civitatem, hoc requirit exercitum qui ex omnibus partibus civitatem cingit. Ita ut multò plus sit circumdare, quod attribuitur S. Michaeli Archangelo, quàm circuire, quod adscribitur diabolo. Diabolus etiam non semper ab omni parte nos impugnat, sed Angeli ab omni parte nos protegunt. Isti non continuò & ubique nos aggrediuntur, sed Angeli omni momento nos custodiunt.

*Dæmones circumeunt nos, Angeli circumdant.*

1. Petri 5. 8.

Psal. 33. 8.

27. Amplius dico, non expectant Angeli donec dæmones impugnent, sed ipsimet illos aggrediuntur; id in suâ Apocalypsi S. Joannes demonstrat, dicens: *Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone; & Draco pugnabat, & Angeli ejus:*

*Angeli dæmones pro nobis impugnant.*

Apocal. 12. 7.

*ejus*: ubi advertendum non dici primò diabolum incepisse pugnam, sed S. Michaelem, unde posteà adjunxit: *Draco pugnabat, & Angeli ejus*: quasi diceret, videns Draco se impugnari, arma sumpsit. Si ergò S. Michael primò Draconem impugnat, argumentum clarum est, ipsum diligentiorem & promptiorẽ esse ad prȩliandum. Nec mihi objiciatur ibi describi prælium quod fuit in cælo, quantumvis enim dicat sanctus Joannes: *Factum est prælium magnum in cælo*, nihilominus verum est, quòd non loquatur de primo bello facto in cælis inter Angelos, quandoquidem in Apocalypsi non describantur præterita, sed futura; sed loquitur de prȩlio quod à S, Michaele, & Angelis ejus fit in hoc mundo contra diabolum, & spiritus rebelles: dicitur autem in cælis accidisse, quia cælum vocatur Ecclesia Dei, & S. Joanni illud in cælo monstratum fuit.

Ibid.

*S. Michael pro anima & corpore præliatur.*

28. Quis exprimere queat quoties nobis nescientibus S. Michael contra Principes tenebrarum pro nobis prælietur. Pro animabus de corporibus egressis ipsum contendere verisimile apparet: quòd autem pro corporibus prælietur, postquam anima inde egressa est, quis suspicari posset? Habemus tamen pulcherrimum exemplum, in altercatione S. Michaelis cum diabolo pro corpore Moysis referente S. Juda Thadæo: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore*; quoties ergo nobis inscientibus & ne quidem opinantibus pro nobis præliari debet? In hoc tamen casu potuisset unũ è minoribus Angelis mittere: Dux exercitus, non facilè procedit ad pugnam nisi pro negotio urgentissimo; hîc autem cùm non de animabus, sed de corpore mortuo agatur, non videbatur conveniens primum Angelum hoc sibi assumere. Voluit tamen in persona venire, vel quia negotium honorabilius erat quàm apparebat, vel propter honorem Moysis qui fuerat Dux populi Hebræorum, voluit Dux Angelorum hoc præstare officium, cùm quasi collega Moysis esset in officio principis populi Dei, vel propter amorem immensum quo nos prosequitur, voluit hoc charitatis officium exercere.

Epist. Iudæ 9

*Cur S. Michael pro Moysis corpore contenderit?*

29. Notandum est, in Deuteronomio dici Deum sepelisse corpus Moysis: *Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab, contra Phogor*. Sed tota contentio inter S. Michaëlem, & diabolum fuit circa sepulturam corporis Moysis: si ergo S. Michaël assumpsit curam sepeliendi corpus eius, quomodo in Deuteronomio dicitur Deum illud sepelisse? Vtrumque, verum esse potest, Deus enim illud sepelivit operâ S. Michaëlis, & S. Michaël reputatur tantus Dei minister, ut

Deuteron. 34. 5.

 Deus

*S. Michael corpus Moysis occultavit ne adoraretur ut Deus.*

Deus censeatur facere, quod S. Michaël operatur. Sed quæ fuit hæc contentio inter diabolum, & S. Michaëlem, aliqui suspicantur, diabolum scire voluisse, sepulchrum Moysis, ut illud populo Hebræorum revelaret, & adorarent tamquam Deum, cùm tot mirabilia inter eos operatus esset, sicque committerent peccatum Idololatriæ: S. Petrus Damianus dicit: *Sepulchrum eius innotescere noluit hominibus, ut tollatur occasio, ne qui tam charus extitisse cognoscitur, divinus honor illi ab Israëlitica plebis perfidia prabeatur.* Fuit ergo hæc contentio S. Michaëlis zelus honoris divini, & diligentia sedula, ut hominibus auferretur occasio peccandi.

Petr. Damian. serm. de translat. S. Hildegrandæ.

*S. Michael gratiam Moysi retulit.*

30. Adjungo insuper magnam fuisse gratitudinem S. Michaëlis erga Moysen. Vt hoc intelligamus, advertendum est, Moysen nullam mentionem fecisse Angelorum in descriptione creationis mundi, juxta doctrinam S. Joannis Chrysostomi, & aliorum; ut populus Hebræus propter nobilissimam illorum naturam, illos non adoraret, tamquam Deos. Sicut ergo Moyses creationem universi referens, tenebris silentii obvolvit Angelos, ne ut Dii adorarentur: Sic S. Michaël abscondit corpus Moysis ne tamquam Deus à populo Israëlitico honoraretur. Dices fortasse, vindictam potiùs hoc redolere, quàm gratitudinem; nam auferre memoriam alicujus ne honoretur, videtur potiùs offensa, quàm beneficium. Respōdeo hoc verum reputari posse inter homines mundanos, & ambitiosos; sed servi Dei indebito honore se magis offensos æstimant: particulariter autem si illis honorem divinum exhibere velimus, quandoquidem se contra ipsorum velle instrumenta facta vident, ad Dei offensionem procurandam, quem magis amant, quàm seipsos. Hoc bene expressit B. Petrus Damianus, supra citatus dicens; cùm enim Moyses Deo charissimus fuerit, noluit permittere Deus ut tamquam Deus honoraretur. Idem sentit S. Petrus Chrysologus, qui exponens illa verba filii prodigi: *Pater peccavi in cælum*, ut dicta in persona gentilium, quia in cælum peccaverat adorando solem, & lunam tamquam Deos; si enim creaturæ istæ ratione pollerent, graviter conquererentur, de falso honore sibi exhibito; sic ergo inquit S. Petrus Chrysologus; *Peccavit in cælum, dum in cælo solem, & lunam Deos esse blasphemat, & hæc eadem prophanat adorando.*

*Sancti i honorari maximè timent.*

Lucę 15, 18.

Chrysol. serm. 5.

*Omnes creatura honorem divinum renuunt.*

31. Hanc offensam optimè considerabat Jeremias Propheta, idcirco lamentando ad cælos clamabat: *Obstupescite cæli super hoc, & porta eius desolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala fecit populus meus me dereliquerunt fontem aqua viva, & foderunt sibi cisternas dissipatas:* Quibus verbis reprehendit Deus

Ieremiæ 2. 12.

Deus hunc populum pro peccato idololatriæ, eò quòd dereliquerãt, & adorabant Deos alienos, & creaturas. Sed quas creaturas? Non alias nisi cælestes, ut idem Jeremias inquit; *Vt faciant placentas Reginæ cæli*, lunæ videlicet; & alibi; *Sacrificaverunt omni militiæ cæli*, stellis nimirum. Quomodo ergo invitat Ieremias cælum ut conturbetur, & desoletur? Videtur potiùs debere cælum invitare, ut exhilaretur, & cõgaudeat, cùm se ab hominibus ita honorari videat. Optimè tamen dixit Ieremias, honor enim indebitus injuria reputatur, & quòd creatura pro Deo reputetur, res est tremenda & abominanda, propter quam etiam cæli commoveri deberet, ut notat Eucherius: *Turbata ergo erant elementa, turbata non officio, sed affectu, quòd unicum (ut dixi) nomen Deitatis, hominum eis error imponeret, famulatumq́ debitum conditori cæcâ devotione præberent.*

Ierem. 7. 18.

Eucherius lib. 4. in lib. Regum

*Sancti nolunt honore divino affici.*

32. Si hoc dicatur de cælis, & elementis, quantò magis prohibere debent veri servi Dei, ne indebitè pro Diis adorentur? Hoc in S. Paulo, & Barnaba apparuit, qui vestimenta scindebant, eò quòd Lacedemonii illis divinum honorem tribuere vellent, sicque populum à tam impio cultu, & errore falso retraxerunt. Pariter S. Michaël obligatus erat Moysi, quia non loquendo, aut scribendo de ipso, occasionem, ne pro Deo adoraretur abstulit: ideo gratitudinem animi ostendens, procuravit abscondere corpus eius, ne tanquam Deus adoraretur, & ita liberum ab omni Idololatria reddidit. S. quoque Antonius præcepit discipulis, ut corpus suum occultè sepelirent, ne ab Ægyptiis superstitiosè adoraretur. Gratissimus est ergo omnibus gloriosus ille Princeps, & Dux cælestis exercitus, propterea ipsi inservire, eumque omni honore venerari debemus, inveniemusque illum promptissimum in nostris necessitatibus adjutorem.

*Occultatio corporis sanctitatem augere videtur.*

33. Circa hanc rationem contentionis cum diabolo, aliud mihi dubium occurrit, quod nimirum occultatio corporis Moysis, & sepulchri ejus, potiùs augeret opinionem ipsum Deum esse, quàm adimeret: quandoquidem Hebræi non invenientes ejus corpus, nec sepulturam, poterant faciliùs suspicari, ipsum mortuum non fuisse, sed vivum cælos ascendisse; sicuti de Romulo creditum fuit, qui Deus reputatus est, eò quòd corpus ejus inventum non fuisset. Hoc etiam accidere sibi optavit Empedocles, propterea se in montem Ethnam injecit. Alexander Magnus moribundus, se in flumẽ præcipitare voluit, quod cùm uxor ejus Roxanes impedivisset, doluit dicens eam divinitatem ejus impedivisse. Respondeo populum Hebræum ita rudem fuisse, ut non facilè moveretur propter res absentes. Pro-

*Responsio ad objecta.*

ptereà multò majus periculum erat, ne adoraret sepulchrũ præsens, si ibi fuisset, quàm dum ignoraret ubi esset: quia tunc facilè oblivisce baiur, sicuti de Moyse dixerat dum quadraginta diebus in legis receptione ab illis aberat: *Moysi enim qui eduxit nos de Ægypto nescimus quid contigerit*. Cùm etiam veniret ex Ægypto ubi corpora Regum & Principum asservari solebant, & venerari tamquam Dii, timendum erat, ne & ipse idem præstitisset.

Exodi 32.1.

*Cur S. Michael & diabolus altercarit*

34. Dicunt alii (ut refert Ecomenius) rationem contentionis S. Michaelis, & diaboli fuisse accusationẽ quam ipse contra Moysen adferebat, dicens non debere sepeliri corpus ejus, quia Ægyptium occiderat, & absconderat sub arenâ, & quòd S. Michael illum defendebat; unde argumentari possemus quàm sollicitus esse debeat in defensione animarum nostrarum, quandoquidem etiam defendat cadavera. Alii affirmant altercationem illam fuisse pro loco sepulturæ; cùm enim diabolus adoraretur in Phogor, pati non poterat, ibi sepeliri reliquias Moysis, cujus præsentiâ debebat impediri, & privari suâ fortitudine. Hoc item advenerat in silvâ Laurorum prope Antiochiam, ubi cùm sepultum esset corpus S. Babilæ, diabolus recedere debuit: in quo apparet maxima sollicitudo Archangeli hujus, ad impediendum progressus satanæ, & nos ab ejus insidiis defendendum.

*Cur Angelus in equo rufo apparuit.*

35. Sed quid sibi vult in visione ex Zacharia Propheta narrata, S. Michaelem insidentem equo visum fuisse? An equis Angeli indigent? Minimè, sed ut doceamur quàm prompti, & veloces sint ut nos protegant, cùm signum velocitatis sit equus. Equus autem hic rufus erat ut arbitror, quia color iste signum est vindictæ, & veniebat ut vindicaret populum Hebræorum jam afflictum. Fortè etiam quia Draco in Apocalypsi apparuit ejusdem coloris, ideò S. Michael ut victor ejus eundem colorem induit. Si ergò se adeò favorabilem ostendit Hebræis, multò ampliùs nobis erit propitius: cum ipsis enim semper ut extraneus mansit. Hoc fortè significare voluit, dum in equo rufo in aperto campo visus fuit; sed nobiscum ut civis manet, idcircò in mõte Gargano apparens, ibi Ecclesiam ædificari constituit: quasi diceret, nolo vobiscum solùm ut peregrinus manere, verùm etiam continuò habitare, idcircò mihi domum hîc ædificari desidero.

*Verum hoc emblema rectè S. Michaeli applicatum?*

36. In hoc tandem emblemate notandum est, Aquilam confringere Testudinem, ut vescatur ejus carnibus, quod aliquibus videtur nõ posse S. Michaeli attribui, quia nec cibo indiget, nec diabolus ipsi esse cibus potest. Nihilominus hoc mysticè etiam verificatur, quia

quia membra satanæ sunt peccatores & S. Michael illos manducat, dum efficit ut se convertant, & moribus ac ratione vivendi efficiantur tamquam Angeli: ulteriùs etiam propter gaudium quod inde concipit; quia, *Gaudium est Angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente*; istis autem rebus dicimur vesci, ex quibus gaudium & lætitiam haurimus. Converte ergò gloriosissime Princeps animas nostras, accipe in nomine Dei, cujus vices geris totalem possessionem earum; expelle olim ut è cælo inimicum nostrum, ne permittas ut prævaleat tuis devotis famulis, defende illos ab incursu maligno, auferas ejus insidias; & tandem præsenta nos tremendo illi tribunali æterni judicis; sis noster advocatus, tuis meritis ac intercessione, culpas nostras auferendo, fac ut ex tua bilance non præcipitemur in infernum, sed in beata cælorum patriâ recepti tecum sine fine gaudere, & exultare possimus.

Lucæ 15. 10.

*Deprecatio ad S. Michaelem ut nos defendat.*



# IN FESTO
# S. LVCÆ EVANGELISTÆ.
## DISCVRSVS VIGESIMVS QVARTVS.

*De assiduo labore, & tolerantiâ ejusdem.*

**Bos.**

*Nascitur ad laborem.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Bovis naturam, & proprietates refert 11. primis numeris.*

*Eas S. Lucæ applicat num. 12. 13. 14. 15. 16. 17.*

*Sanctum Lucam maximo gustu parvoq; labore scripsisse Evangelium probat à num. 18. usque ad 28.*

*Carnis mortificationem prædicationi Evangelii adjunxisse ostendit, à numero 29. ad finem usque.*

*Bos omnia animantia præcellit.*

1. INter cætera animantia ad humanum obsequium, destinata, primum meritò locum Bos obtinet: cùm propter utilitatem, tum propter maximum adjutorium hominibus præstitū. Utilissimus siquidem est, non in vitâ solùm, sed & in morte; in vitâ continuo labore in agris colendis, & oneribus vehendis, in morte carnibus & pelle: cujus etiam cadaver penè corruptum, apes mellis fabricatrices generat. Vivus est socius hominis, mortuus ejus cibus & vestimentum, & in putredinem redactus, alvearia instaurat. Vivus allevi at laborem nostrum suâ fortitudine; mortuus reparat vires nostras jam debilitatas, corruptus efficit ut cibo, & potu absque labore abundemus. Vivus nobis necessariū provIdet cibum, Mortuus, substantiali suo cibo nos sustentat, corruptus delicatam, ac dulcem porrigit escam. Vivus est adjutorium, & conservatio rusticorum, Mortuus est substantia, & nutrimentum civium, corruptus delitiæ, & condimentum ciborum divitum. Quinimò vestes superbas,

*Utilis est in vitâ & morte.*

perbas, & pretiosas præbere potest, si verum est quod Vida approbante, Alcasar in Apocalypsim refert ex Bovis cadavere, frondibus Mori enutriti, bombices produci.

Alcasar. c. 4. comm. 2. v. 2.

*Quis primus Boves aratro junxit.*

2. Utilitas tamen ejus quam vivus exhibet omnibus est præferenda, cùm universalis sit, magisque necessaria. Primum, qui colla Boum jugo submisit, terramque arare docuit, Hebræi putant fuisse Patriarcham Noë, de quo pater ejus, dum nascebatur, dixit: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum*, quod dictum in eo verificatur, quia hominibus ingenti cum labore terram arantibus, invento Boum adjutorio multum laboris sustulit. Cujus inventricem fuisse fabulantur Poëtæ Venerem, aut Bacchum, quem cum cornibus Bovis antiqui depingebant, quia primus colla ipsorum jugo subdidit.

Gen. 5. 29.

*Boves semper in pretio habiti.*

3. Propter maximum agriculturæ adjutorium, in tanto pretio Boves habiti sunt, ut teste Varone, non minùs morti adjudicabatur qui Bovem, quàm qui civem occidisset. Ægyptii & Phœnices, referente Porphyrio apud Ælianum potiùs carnem humanam, quàm bovinam, aut vaccinam manducari permisissent. Tanti eos faciebant, ut ne quidem Diis immolarent. Valens Imperator in Oriente præceperat, ne quis carne vitulinâ vesceretur; ut agriculturæ servarentur; hoc quoque tempore in Siciliâ nullus vitulus sine licentiâ Magistratus, aut vice Regis occidi permittitur; in aliis quoque locis in pretio habentur, nec eos pro libitu semper & ubique occidere vel vendere licet. Argumentum etiam æstimationis Bovis erat, quod ejus effigiem antiqui pecuniæ imprimebant, quasi ab ipso omnes divitiæ congregarentur: Unde Demosthenes pecuniâ corruptus ne peroraret in causâ particulari, finxit argutè se catarro impediri, quò minùs loqui posset, unde proverbium est natum, Bovem in linguâ habet. Cùm antiqui civitatem novam ædificare cuperent, locum murorum aratro à Bove, & vaccâ pertracto designabant; quasi ab his animalibus omnia civitatis bona dependerent. Quinimò ut aliqui affirmant, Italia nomen suum à Bove desumpsit, qui à Græcis antiquis Ἰταλὸς nuncupabatur

*Pecunia antiquitus impressus Bos.*

4. Plura dico, omnes docti (si verum Plutarchus affirmat) principia doctrinæ Bovi tribuere debent. Prima enim littera apud Phænices Bovem significat; qui honos ei tribuitur, quia inter omnia maximè est necessarius. Non tamen tantam à Bobus utilitatem percipimus, quantam populi Quiviræ in mundo novo recipiunt; refert quippè Boterus Boves illis alimenta, potum, vestimenta, calceamenta, funes, domos ex corio confectas, instrumenta varia ex

*Bos initium doctrinæ.* Plutarch. lib. 9. convivialium quæst. quæst. 3.

Boterus fol. 184. *Boves in India cuncta necessaria præstant,*

ex ossibus, filum ex nervis, ex cornibus vasa, & ex stercore ignem subministrare.

5. Magni prætereà fecit hoc animal Macerinus Rex Ægypti, dum enim unica ejus filia defuncta esset (Herodoto referente) ut illi condignum sepulchrum exstrueret, statuam vaccæ ex ligno incorruptibili jussit fabricari, aureis laminis coopertam, in quâ corpus filiæ suæ collocavit, nec in terrâ sepeliri voluit, sed in cubiculo honoratissimo, & pulcherrimo eam ponens, novis & gratissimis odoribus semper completo, in quo noctis tempore lucerna odorifera ardebat; quod Herodotus se vidisse asserit. In vicino autem cubiculo, multæ insuper statuæ asservabantur, quas Regis concubinas fuisse affirmabant, alii verò, filiæ pedissequas. Qui videbatur majorem honorem Bovi quàm homini tribuere. Adjungit insuper Herodotus, simulacrum non erectum, sed genuflexum magnum fuisse, rubro panno ad collum usque coopertum, quod intra cornua rotundam gerebat figuram instar Solis, singulis autem annis foras hanc statuam trahentes, cùm aliquem suorum Deorum flagellassent, iterum reponebāt. Si omnes Ægyptiorum insanias prosequi vellem, charta, & tempus deficerent, maximè illas quas circa Bovem dictum Api, suum Deum exercere consueverant, de quo fusè tractat Plinius.

Herodotus lib. 2. cap. 10.
*Vacca aurea sepulchrum filia Regis Ægypti.*

*Varia ceremonia circa hanc vaccam.*

Plin. lib. cap. 46.

6. In Siciliâ è contra propter ignominiam, & supplicium statua Bovis erecta fuit ex ære, ut in eâ homines vivi absque commiseratione comburerentur. Formatus enim erat tali modo, ut lamentationes, & voces quas afflicti ederent, viderentur Bovis rugitus ne ad compassionem quisquam commoveretur. Cujus inventor dicitur fuisse Perillus, quem gratissimum fore arbitrans, Phalaridi tyranno crudelissimo eum obtulit, præmiumque operi condignum reportavit; primus in eo concrematus. Unde varia emblemata, & proverbia à diversis exierunt: *Quas struit, sibi parat insidias*, alii, *ingenio experior funera digna meo*; alii, *sponte contractum inexpiabile malum*; alii, *vulnera facta meo.* Hæc omnia non tam historiæ sunt conformia, quàm in sensu primario & litterali, ipsi auctori à quo argumentum sumitur, optimè accommodata.

*Bos aneus in quo vivi comburebātur.*

7. Taurus Perilli inservire posset emblemati vitæ intemperatæ, accipiens eum pro instrumento mortis, & adjungens dictum, *Venter non cornu timendum*, vel, *Perimit & decipit*, aut, *voce alienâ mugit*, vel, *tortum mugire cogit*; qui enim crapulæ, & ventri inserviunt, seipsos ignoranter torquent, & dum sibi beneficium præstare putant, mortem & tormenta asciscunt. Sic voce alienâ mugiunt, non credentes sibi hoc nocere posse, ab aliis tamen edocti experiuntur, ac proptereà nullus ipsorum dum vivunt,

*Potest dici emblema vita intemperata.*

vivunt misereri solet. Tauro æneo malefici in Silesia torqueri solent, non imponendo homines, sed superponendo, ventremque Bovis carbonibus accensis implendo, unde calor per certos canales, ad supra sedentes ascendens per civitatem ductos maximo tormento afficit.

*Bos animal stolidum.*

8. Bos quantum ad esse naturale, non tam mansuetus, quàm stolidus, & hebes vocari potest: unde dicere alicui eum bovem esse, idem est ac stupidum, nulliusque ingenii; aut industriæ vocitare. Ad quod videtur alludere Isaias dicens: *cognovit Bos possessorem suum*: quasi diceret, Bos quamvis sit animal stupidum cognovit tamen dominum suum. Bovi Cyprio major stoliditas tribuenda videtur, qui refertur manducare res immundas, quas aliqui dicunt pro medicina sumere. Bos ordinariè munditiem amat, nec voluntariè aquam turbidam bibit, & si contingat ipsum stercore suo os inficere, illo odore perdurante cibum non sumit.

*Isaiæ 1. 3.*

*Munditiam amat.*

*Præscius tempestatis dicitur.*

9. Non tamen adeò est, stupidus quin cognoscat vocem sui bubulci & nomen sibi impositum. Præscius dicitur tempestatis, & serenitatis futuræ: si enim, teste Plinio, caput elevans respiret quasi aërem abigens, & linguâ suâ contrariè pilos lambat, tempestatem futuram significat. Elianus quoque dicit si se plus solito cibo impleat, signa dare propinquæ tempestatis. Eodem referente, à Lupo, appetiti girum efficiunt, & terga tergis premunt, oppositisque cornibus eum, quandoque dilacerant. Idem Elianus, ait Boves in Regione Susan centenarium quasi ponderis numerum onustos sentire, & alacriter ferre, nec ad ultra ferendum cogi possunt.

*Pondera portant ad centum usq;.*

10. Quidquid de eo sit, ostendunt factis se philosophiam moralem comprehendere, quæ ad duo ista famosa capita reducitur, *sustine, & abstine.* Non solùm Bos, verùm etiam Taurus hoc observat, ut notat Alciatus, quem sustinere pondus ait, cùm dextrum genu ligatum habet, & ita effici mansuetum, ut à quolibet tractari queat. Refert Pierius suo tempore Græcum quemdam Taurum per civitatem Romanam mansuetè dextro genu ligato, ducendo, omnes in admirationem rapuisse; quod item facere dicitur, si coronam ex ficu silvestri collo gestaverit, tunc enim mansuetus redditur. Dicunt aliqui si dum carnes vaccinæ coquuntur, in olla ponatur ramus fici, parvo igne citius meliusque coqui.

*Alciat. emblemat 34.*

*Quomodo taurus mansuetus redditur?*

11. Continentia singulari Bos excellit, nam Pierio, & Alciato referentibus, numquam vaccam gravidam tanget, licet ad actum venereum multum inclinetur. Remotus etiam à vaccis pascua sumit: docens homines quomodo consortia mulierum fugere debeant, si castos se conservare velint.

*Bos continentiâ excellit.*

lint. Taurus fœno ad cornua alligato, signum ferocitatis antiquitùs erat, unde natum proverbium; *fœnum ad cornua habet.* Meritò fœnum applicabatur, ut indicaretur ex abundantia cibi, ferocitatem eius provenire. Milo Crotoniates ut fortitudinem suam ostenderet, in ludis olympicis, Taurum pugno occidit, & in humeros elevans, per stadium portavit, quem postea uno die comedit.

*Bos symbolum laboris.* Pierius lib. 3. Hieroglyphicorum.

12. Multarum insuper rerum symbolum Bos erat, ut videre est apud Pierium. Ordinarium tamen, & particulare symbolum laboris assidui fuit quem alacriter, & fortiter sustinet, tam in terra aranda, quàm oneribus vehendis, & supportandis; unde Ovidius vocat illum, *natum tolerare labores*, & nos illa verba Prophetæ Job accipientes: *Homo nascitur ad laborem*, S. Evangelistæ Lucæ applicuimus. Bos quippe S. Lucæ communiter attribuitur juxta prophetiam Ezechielis, qui in quatuor animalibus, quatuor Evangelistas figuratos vidit. Ad laborem quod attinet, S. Lucas patientissimus laboris fuit, quandoquidem non contentus scriptione Evangelii, & Actuum Apostolorum, etiam continuò in pictura, medicina, & prædicatione verbi Dei se exercebat, unde colligi potest, semper fuisse laboris amantem & inimicum otii, cùm cognosceret se ad laborandum in mundo natum esse.

Ovid. Metam. 15. Iob 5. 7.

*S. Lucæ attribuitur.*

*Cur Bos stupidissimus S. Lucæ doctissimo tribuatur?*

13. Considerandū tamen hîc videtur, inter quatuor animalia quæ à Propheta Ezechiële, & S. Joanne, Evangelistis tribuuntur, S. Lucæ particulariter Bovem ascribi, cùm inter omnia nullum animal stolidius Bove reperiatur, cujus figura & nomen ordinariè stupidioribus assignari solet; Sanctus autem Lucas Evangelista doctissimus fuit inter omnes, nam S. Matthæum Teloniarium fuisse, S. Marcum nullis attendisse negotiis legimus. Sed S. Lucas Medicus, erat versatus in litteris Græcis, & consequenter studuerat: quare ergò ipsi reliquis doctiori, non tribuitur Aquila, aut homo, potiùs quàm Bos, qui insensatus est in omnibus? Non sine mysterio hoc accidere puto, sed ut doceremur ad mysteria divina comprehendenda, aptiores esse simplices, & idiotas, quàm Philosophos, magnosque Doctores; in scholâ quippè Christi hi locū Bovis tenent, alii ut homines, Aquilæ, & Leones magis exaltantur; juxtà dictum Salvatoris; *Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Voluit ergò Christus S. Lucam doctiorem aliis, inter Evangelistas esse, ut sciremus Deum doctos à scholâ suâ non excludere, nec à divinis mysteriis repellere, sed unum tantùm admisit, tres autem simpliciores, ut sciremus illos aptiores esse. Voluit etiam Bovi assimulari, ut docti intelligerent

Lucæ 10. 21.

telligerent se in doctrinâ confidere non debere, si velint in scholâ Christi promoveri, sed primò debere fieri Boves, id est humiliari, & cognoscere se ignorantes, & stupidos, juxtà dictum Apostoli; *Si quis videtur inter vos sapiens, stultus fiat ut sit sapiens.*

*1. Cor. 3. 18.*

*Rationes cur S. Lucæ Bos tribuatur.*

14. Non desunt aliæ rationes, propter quas S. Lucæ Bos attribuatur, tres enim alias Pierius Valerianus enumerat; Prima est continentia, & temperantia ejus, de quâ antè diximus; cùm S. Lucas ab ineunte ætate, castissimus fuerit, ut S. Hieronymus refert, qui dicit eum semper cælibem, & virginem mansisse. Secunda est, cùm Bos sit dedicatus sacrificiis, sanctus Lucas Christum in sacrificio oblatum, suo Evangelio exhibet, ideoque à Zachariâ Sacerdote, ad quem pertinebat offerre sacrificia in altari divino, incipit. Hæc etiam ratio ab Irenæo, Eucherio, & aliis approbatur. Cui addere possumus ipsum solùm referre oblationem parentum Christi in templo aliasque cæremonias in lege adhiberi solitas. Tertia ratio est ipsum suo Evangelio descripsisse mansuetudinē, quam Deus homo factus nobis ostendit. Quartam adjungere licet, propriū Bovis esse terram præparare in quam semina spargentur. Sic S. Lucas non statim à nativitate Christi incœpit, sed præmisit nativitatem S. Joannis Baptistæ, & conceptionem, ac proœmium Evangelio proposuit, in quo disponit animas ad verbum Dei & sanctum Evangelium recipiendum, ubi alii Evangelistæ absolutè Evangelium incipiunt.

*S. Hieron. lib. de script. Eccles.*

*Bos terram seminibus præparat, S. Lucas corda Evangelio.*

15. Pro quintâ ratione dicere possemus, quòd sicut Aquila, & Leo sibi victum procurant, & homo cibum sibi providet; Bos è contra ab aliis pascitur, bubulcus enim illi fœnum defert, aut ad pascua educit. Sic SS. Matthæus, & Joannes scripserunt quæ viderant, & S. Marcus cum Domino in carne vixerat, quia unus fuit è septuaginta duobus discipulis, S. verò Lucas Evangelista, ex aliorum relatione cibum Evangelicum hausit, ut ipsemet in principio Evangelii sui testatur, ac particulariter de beatâ Virgine multa scripsit. Bos insuper lento passu progredi solet, ubi Aquila, & Leo velociter currunt, aut volant, homo etiam diversos habet modos incedendi. Pariter quatuor Evangelistis contingit, sanctus Joannes ut Aquila subitò ad divinam essentiam convolat, sanctus Marcus statim ad prædicationem Christi saltat, S. Matthæus & S. Lucas lento pede progredi incipiunt, & S. Lucas plus in mysteriis referendis commoratur, ubi S. Matthæus in discursu sermonum referendo ampliùs se extendit, quia proprium est homini ratiocinari.

*Bos ab aliis cibatur, S. Lucas ex aliis scripsit.*

*Vt Bos lento passu in Evangelio procedit.*

16. Si mihi deniq; liceret, ex nominibus Latinis mysteria hauri-

re, dicerem, Ecclesiam dum Bovem S. Lucæ appingit, significare voluisse, ipsum esse Elephantem, quia *Bos luca* latinè Elephantem significat. A proposito tamen emblemate non discedamus, dicamusque, sicuti hic utilissimus est ratione laboris sui, & cibi quem administrat, & vestimentorum, quæ ex pelle ejusdem conficiuntur; sic S. Lucas nobis maximè profuit, eò quòd imaginem Salvatoris nostri, & beatissimæ Virginis Mariæ penicillo suo sæpissimè depinxerit; cibum nobis Evangelicum subministravit, & bono exemplo, ut vestimento instruxerit. Sicut Bos utilis est rusticis, civibus & nobilibus; sic sanctus Lucas omnibus profuit, indoctis picturâ, quæ liber simplicium dicitur: doctis Evangelio, & exemplo iis qui ad perfectionem aspirant. Ad modum Bovis vivus, & mortuus profuit, vivus suâ prædicatione, mortuus Evangelio quod posteris dereliquit; corruptus quoque, & quasi in pulverem redactus reliquiis (ut multis patet, ad illas devotè recurrentibus) prodesse solet.

*Vt Bos nobis multum utilis.*

17. Si antiqui nolebant, Bovem occidi, nec Deus permisit, ut S. Lucas occideretur. Quæ certè res summoperè est miranda, cum isto tempore zelosi prædicatores Evangelii, omnes martyrio affecti fuerint. Ferebat nihilominus continuò jugum mortificationis, & passionis Christi, ut S. Ecclesia de ipso testatur, *Qui Crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit.* Sicut Bos ligatur vinculis ex corio bovino confectis, sic S. Lucas seipsum ligavit præceptis suis Evangelicis, quæ aliis tradiderat. Optimè quoque custodivit illud *sustine*, & *abstine*, cùm admodum continens, & patientissimus in omnibus fuerit.

*Bos à multis prohibetur occidi, S. Lucas occisus non fuit.*

18. Sed ut Evangelista, numquid instar Bovis in scribendo Evangelio laborare debuit, aut sine difficultate scripsit? Non videtur scribendo insudasse, cùm non propriâ industriâ, sed spiritu S. inspirante scripserit. Nec Evangeliū ejus tam partus proprii studii fuit, quàm revelatio cælestis, cùm non tam scriptor, quàm penna præcipui scriptoris, nempè Spiritus sancti fuerit, juxta dictum Propheticum; *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*; eâdem ratione, S. Joannes Baptista *vox clamantis*, & non vox clamans, dictus est; quasi alter per ipsum clamaret. Ad hoc videtur intendisse S. Lucas, dum Evangelium suum his verbis exorditur: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem*; quibus verbis, ut Origenes refert, tacuit multos, qui spiritu Sancto non instigante narrationem Evangelicam contexere aggressi erant, monstrando laborem, & difficultates, quas alii impēderant, ubi sancti Evangelistæ, nullas difficultates experiebantur, cùm à spiritu Sancto ad hoc moverentur

*Vtrum scribendo Evangelium multum sudaverit.*

Psal. 44. 2.

Lucæ 1. 1.

*Videtur nullam sensisse difficultatem*

verentur; *Matthaeus quippe, Marcus, Ioannes, & Lucas*, inquit Origenes, *non sunt conati scribere, sed Spiritu sancto pleni scripserunt Evangelia*; S. etiam Ambrosius sic scribit: *Conati illi sunt, qui implere nequiverunt, non conatus est Matthaeus, non Marcus, non Ioannes, non Lucas; sed divino spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine illo molimine capta compleverunt.*

Origenes in Lucam.

S. Ambros in hunc locum.

*Sacri scriptores facillimè scripserunt.*

19. Nec hæc scribendi facilitas quam scriptores divini spiritus instinctu habent, abscondita fuit aulicis Regis Judeę Ioachim: dum enim Baruch ipsis prælegeret librum quem Ieremias Propheta scribi jusserat, plenum comminationibus contra Regem, & civitatem Ierusalem, ut probarent, utrum illum propriâ industriâ, aut Spiritu S. dictante conscripsisset; dixerunt Baruch scribæ, *Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos, ex ore eius?* Intra seipsos discurrendo, si inter dictandum cogitaverit quæ ulteriùs dicere debebat, aut aliqua immutaverit, signum erit fuisse proprio ingenio dictatũ; sed si consequenter absq; hæsitatione, emẽdatione, vel correctione alicujus sensus, vel verborũ dictaverit, manifestum erit, ipsum solum instrumentum fuisse, Deumq; ut auctorem principalem per ipsum hoc dictasse. Respondit illis Baruch, *ex ore suo loquebatur quasi legẽs ad me omnes sermones istos*: quasi diceret, fluebant verba ista ex ore eius sicut torrens, nec videbantur venire ex intellectu, sed in ore eius nasci, ita enim mihi dictabat, ut si ex libro legisset. Quo percepto verè hanc scripturam divinam, & non compositionem ingenii humani esse judicabant. Hoc ergo modo S. Lucam Evangelium absque ullo labore scripsisse credo.

Jerem. 36. 18.

Ibid.

20. Sed quid dico sine labore? Quinimo cum indicibili gustu scripsit, quandoquidem res suaviores scriberet, quàm ingenium humanum cogitare posset. Evangelium plenum est bonis nuntiis, jucundissimisq; mysteriis, maximè illud S. Lucę, cùm in eo fusè describatur Annuntiatio, & Visitatio B. Virginis, Nativitas, & Circũcisio Salvatoris, Purificatio, & oblatio in templo sanctissimæ Dei Matris. Conversio S. Mariæ Magdalenæ, reversio filii prodigi, aliaque mysteria innumera misericordiâ, & amore divino plena. Si de lege antiqua rigida, & durissima Regius Propheta dixerit; *quàm dulcia faucibus meis eloquia Domini super mel ori meo?* Quantò magis S. Lucæ placere debebant ineffabilia mysteria Incarnationis, & legis Evangelicæ plena dulcedine, & amore divino? Excellens quidam musicus dicere solebat; si hominibus notum foret, quomodo ipse magis delectaretur, cantando, quàm alii audiendo, nullus ipsi præmium tribuisset. Pari modo dicere possumus majorem fuisse dulcedinem S. Lucæ scribendo

*Maximo gustu scripsit Evangelium.*

*Evangelium S. Lucæ plenum dulcedine.*

Psal. 118. 103.

Evangelium, quàm nobis illud legendo, cùm nulla quamvis suavissima musica, suavitati Evangelicæ doctrinæ possit comparari. Attalus Philosophus apud Senecam argutè respondit, se majorem jucunditatem ab artificibus recipere, in exercitio laboris, quàm in opere completo; *Iucundius* (inquit ille) *est amicum facere quàm habere, sicut pictori jucundius est pingere, quàm pinxisse*; qualis ergo debebat esse jucunditas S. Lucæ scribendo Evangelio, cùm in lectione ejusdem inenarrabilem sentiamus jucunditatem?

*Non sine labore sacri scriptores sua ediderunt.*

21. Non desunt tamen rationes urgentissimæ pro contraria parte; licet enim mirum videretur dicere, laborem scriptorum sacrorum tantum esse, ut in comparatione eius mors multis tormentis acquisita optabilior videretur, non tamen sine fundamento diceretur. Hoc colligi videtur ex verbis aliquibus quę sapiētia Patris Apostolis dixit: *In hoc enim est verbū verum, quia alius est qui seminat, & alius qui metit, ego misi vos metere quod non laborastis, alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*: quasi diceret, vos fruemini aliorum laboribus. Sed qui sunt isti qui laborarunt? Communior Patrum expositio habet, fuisse Prophetas testamenti veteris, illi ergo plus laborarunt quàm Apostoli? Non solùm plus laborarunt, sed vita horum & prædicatio, vocatur requies respectu laborum Prophetarum. Mirum hoc certè videri debet, quandoquidem Prophetæ non dereliquerint patriam, non vixerint in paupertate, non peregrinati fuerint per totum mundum, multi etiam persecutiones passi non fuerunt ut Apostoli.

Ioann. 4. 37.

*Prophetæ plus laborarunt Apostolis.*

*Præ amore non senserunt laborem.*

22. Dicere etiam possem, amorem tollere, aut diminuere laborem, ita ut vix sentiatur, juxta illud S. Bernardi: *Labor meus vix est unius horæ, & si plus est, non sentio præ amore.* Quia ergò Evangelium est lex amoris, isti qui se in hoc exercuerunt, meritò dicuntur non sensisse laborem. Dicamus etiam Apostolis consortium Redemptoris tam dulce extitisse, & quotidiè exempla tam efficacia vidisse, ut omnis labor ipsis dulcis videretur. Vel non dixisse Christum, Apostolos non debere laborare, sed frui debere propriis, & alienis laboribus; fortè etiam nomine aliorum seipsum intelligebat. Magis tamen proposito nostro congruere videtur, si cum aliquibus dicamus labores Prophetarū majores fuisse. Sed quid hi fecerunt, scripserunt libros sacros; quid Apostoli? prædicarunt Evangelium & mortem pro eo sustinuerunt, ita ut duo hæc simul comparata, illud vocetur labor, hoc requies, & fructus.

1. Corint. 15. 10.

*Quomodo S. Paulus plus aliis laboraverit?*

23. S. Apostolus Paulus se dicit plus aliis laborasse; *Abundantius omnibus laboravi.* Quomodo in veritate hoc dicere poterat? Si consideremus tempus, ultimò omnium

nium vocatus fuit, & quasi ad vesperam in vineam Domini venit; sic enim de ipso dictum erat: *Mane rapiet prædam, & vesperi dividet escas*: alii autem Apostoli dicere poterant, portavimus pondus diei, & æstus, cùm nullus labor major fuerit labore Christi, cujus ipsi participes fuerunt; teste Domino dicente: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Si respiciamus martyrium ipsius, non fuit ut S. Petrus, S. Andræas, & S. Philippus crucifixus, non ex alto præcipitatus, & conquassatus ut S. Jacobus, non excoriatus ut S. Bartholomæus, sed levissimâ morte interemptus, cum gladio caput ei sit amputatū. Quomodo ergò dicit se plus aliis omnibus laborasse? Varias SS. Patres assignant rationes, ut videri potest in expositione istius loci apud Franciscum de Mendoza in epistolâ ad Lectorem ante tomum secundum; S. etiam Augustinus hanc rationem assignat, quòd plus aliis scripserit; *Alii enim non scripserunt, alii nec tantum, nec tantâ gratiâ scripserunt.* Magnus ergò labor est sacrorum Scriptorum, quandoquidem ratione istius S. Paulus se dicit plus aliis laborasse. Post sanctum Paulum nullus fuit qui magis scripserit quàm S. Lucas, meritò ergo ipsi Bos tribuitur, quia *nascitur ad laborem.*

Gen. 15. 49. 27.

Lucæ 22. 27.

S. August. epist. 130.

*Non videtur modò labor scribere libros.*

24. Posset modò aliquis argumentari, jam non tantum esse debere laborem multa scribere, quandoquidem tot libri edantur; sed ego dicerem, multos imprimi libros, quia pauci expendunt vires & labores operi convenientes, multos quoque non aliud facere, quàm suis libris transferre illa quæ ex aliorum labore hauserunt, cùmq; nulla pœna apposita sit infructuosè imprimentibus nullusq; tā vilis reperitur liber, quin aliquos saltem laudatores habeat, sic multi eduntur. Apud Romanos non tam facilis via erat, nam lex erat, neminem componere, vel imprimere libros debere absque licentiâ, & approbatione ædilium, quam non dabant, nisi benè examinatâ doctrinâ, ingenio & capacitate Scriptorum.

*Boni scriptores multum laborare debent.*

25. Nolo tamen negare hodiè reperiri Scriptores insignes, qui labore & industriâ comparari possint antiquis Scriptoribus. Sed ad hunc gradum pervenire non possunt, absque magno labore, & sudore: cùm ergò S. Lucas tam multa excellenter scripserit, meritò dicere possumus, ipsum plurimùm laborasse.

*S. Lucas non videtur laborasse.*

26. Sed numquid instrumentum fuit Spiritus sancti? Verum quidem est, sed gratia divina non excludit omnem laborem, & diligentiam nostram; ideò S. Jeronymus notat Isaiam Prophetam elegantissimè scripsisse, quia fuit nobilis Jerosolymitanus, licet etiam concedamus S. Lucam in compositione Evangelii nullum adhibuisse laborem, orationi tamen vaca-

vacare debuit. Sanctus Ambrosius inquit; non fuisse ex iis, qui *conati sunt.* Respondeo alios hæc verba applicare, de aliis Evangelistis, quorum exemplo S. Lucas dicit se permotum, ut scriberet; nec expositio S. Ambrosii excludit laborem in præparatione ad influxum sancti Spiritus recipiendum. Dices Jeremiam nullum sensisse laborem dum Prophetiam dictaret. Respondere possem, non omnibus hanc gratiam concedi; Jeremias etiam futura prædicebat, ad quæ cùm humanum ingenium pertingere non posset, totum ipsi à Spiritu sancto subministrabatur. Sed sanctus Lucas præterita, ab aliis intellecta scribebat, unde licet frueretur Spiritus sancti adjutorio, ipsius tamen industria & labor accedere debebant. Verum quidē est eū delectabilia scripsisse, non tamen absque labore, & fatigatione: licet non tantum sentiret laborem præ nimio gustu, cùm labor ille dulcis, & suavis esset. Unde dicere possemus, respectu ipsius hoc dictum verificari; *Computrescet jugum à facie olei*, propter suavitatem olei Christi, de quo dictum est, *Oleum effusum nomen tuum*, & propter gratiam Spiritus sancti, grave jugum scriptionis rerum sacrarū, & admirabilium non tantùm sensisse.

S. Ambros. ubi supra.

*Aliquo modo laboravit.*

Isaiæ 10. 27.

Cant. 1. 2.

27. Si in labore scribendi S. Paulo comparetur, in aliis certè molestiis non absimilis fuit, hoc pulchrè S. Jeronymus in descriptione vitæ ejus testatur, dum ait perpetuum peregrinationis ejus comitem fuisse. Licet solùm illud argumentū haberemus, sufficiens foret probatio ipsius sanctitatis: non enim tanto tempore S. Paulū comitari potuisset, si in virtute inmissis non fuisset. In Deuteronomio Deus præceperat; *Non arabis simul in Bove, & Asino*: hujus rei rationem pulchrè reddit Philo Hebræus, dicens: *Quia non pollent paribus viribus, infirmiori consulitur, ne cum fortiori contendens, succumbat negotio.* Quia non potuisset Asinus æqualiter in labore perseverare.

*S. Paulo in labore comparatus.*

S. Hieron. de scriptor. Eccles. tom. 1.

Deuteron. 22. 10.

Philo lib. de charit.

28. Propter eandem rationem Magistri agriculturæ docent, sub eodem jugo Boves statura & viribus æquales ponendos, Virgilius dicit: *Iunge pares.* Hujus rei rationem reddens Varro dicit: *Ne in opere firmior imbecilliorem conficiat.* Columella idem præcipiens, ait: *Custodiendum est, ne in comparatione, vel staturâ, vel viribus impar, cum valentiore jungatur, nam utraque res inferiori celeriter affert exitium.* Sed, *numquid de Bobus cura est Deo?* Credendum arbitror, Deum hoc non tam præcepisse illis quantum nobis, & voluisse docere, quod in eodem labore non debeamus simul jungere personas viribus inæquales, ut debilior à fortiori non superetur, sicque viribus deficiat, & corpore. Hoc pulchrè nobis exhibuit Sapiens dum dixit: *Pondus super se tollet,*

*Pares in labore jungendos.*

Virg. Georg. 3.

1. Corint. 9. 9.

Eccli 13.2. *tollet, qui honestiori se communicat,& ditiori te, ne socius fueris.* S. Paulus idipsum nobis ostendit dum in Bove prædicatorem figurari dixit. Cùm ergo S. Lucas, S. Paulo concionando & peregrinando individuus comes fuerit; nec sub pondere manserit oppressus, sed in finem usque vitæ alacriter sustinuerit; concludere debemus, paribus viribus cum S. Apostolo Paulo polluisse & ambos ad instar generosarum juvencarũ sub jugo Evangelii in agro dominico pariter terram gentilium arando, maximum fructum retulisse. Si denique S. Paulus donis cælestibus affatim ditatus fuerit; credendum est S. Lucam iisdem non fuisse privatum.

*Probatur S. Lucam S. Paulo in labore æquari.*

*Labori carnis, mortificationem junxit.*

29. Hinc summoperè admirari debemus, sanctitatem hujus gloriosi Evangelistæ, quandoquidem non contentus labore, & fatigatione prædicationis Evangelii, & continuæ peregrinationis; alias etiam mortificationes adjungebat corpori, ut de ipso testatur Ecclesia, *qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit.* Hanc mortificationem non uno die, aut duobus, continuavit, sed ut significat verbum *jugiter,* toto vitæ decursu in ea perseveravit. Nec quavis mortificatione contentus gravissimam crucis assumpsit; sicut enim inter alias mortes quibus homines afficiuntur, mors crucis acerbissima reputatur, sic hæc mortificatio, omnes alias longè superavit.

*Se holocaustum Deo obtulit.*

30. Notandus etiam est finis mortificationis hujus, qui non tam ad carnem propriam coërcendam, aut pœnitentiam pro peccatis agendam adhibitus fuit; quàm ad procurandum honorem divinum, qui omnium est præstantissimus. Sic S. Lucas offerendo seipsum Deo, non ei hostiam pro peccato, nec pacificam; sed holocaustum obtulit, quod totaliter ad honorem Dei comburitur, quod sacrificium Deo acceptius erat, aliis omnibus. S. Lucas etiam Bovi optimè assimulatur, qui non tam lucri causa, quàm gratitudinis, & amoris possessorem suum recognoscit; ut Propheta Isaias dixit: *Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui.* In hoc aliquis pulcherrimam notavit differentiam, inter Bovem, & Asinum, quòd ille cognoscat *possessorem suum*, sed hic non dominum, *sed præsepe Domini sui:* Per hunc optimè figurantur qui propter lucrum solummodo Dominis inserviunt: per illum autem veri amantes, qui non aliud quàm Domini sui amorem attendentes, ex corde sincero ipsi inserviunt. Hanc conditionem credunt aliqui, respexisse Deum dum omnia primogenita sibi offerri mandabat, primogenitum autem Asini admittere nolebat; sed illud ove commutabat. In libro Job similiter Boves repræsentantur laborantes, & Asini pascentes; *Boves arabant*

*Bovi optimè comparatus.*

Isaiæ 1. 3.

*Quomodo Bos & Asinus cognoscant Dominum suum?*

Exodi. 34. 20.

Job. 1. 14. *arabant, & Asinæ pascebantur juxta eos*: quod mysticè figuratur, dum bovi, & eruditi in laboribus fatigantur, indocti, & ignorantes labore eorum dulciter fruuntur. S. ergo Lucas amantissimus laborum, proprio commodo, aut lucro non intendit, sed solùm honorem domini sui Jesu Christi promovere studuit, ideo sub Bovis Hieroglyphico, optimè exprimitur.

*Labor S. Lucæ utilissimus.* 31. Non maximi solùm, & assidui fuerunt S. Lucæ labores; verùm etiam utilissimi, & gratissimi non ei tantùm, sed cæteris omnibus. Labor humanus ordinariè ad victum acquirendum ordinatus est, juxta dictum Sapientis; *omnis labor hominis in ore eius*, vel ut Chaldæus habet textus; *Omnis labor hominis est propter escam oris sui, pro qua ipse laborat*: addit quoque Ecclesiastes; *sed anima eius non implebitur*; semper enim victus homini comparandus, ut se sustinere possit: quô non anima, sed verbo Dei pascitur. Meliorem tamen laborem S. Lucas invenire potuit, qui non solùm corpori, verùm etiam animæ cibum, & potum subministrabat; laborabat enim in prædicatione, & scriptione verbi divini: S. Ieron. scribebat cuidam ut se semper occuparet in aliquo bono; *scribantur*, inquit, *libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur* Non potuit ergo S. Lucas melius occupari quàm scribendo, nec quidquam magis salutare, quàm Evangelium scribere.

Eccles. 6. 7.

*Corpori & animæ cibum procurabat.*

S. Ieron. in epist. ad Rusticum.

32. Alii juxta litteram ex verbis Ecclesiastæ, per animam ventrem, aut famem intelligi volunt, juxta dictum Propheticum: *propterea dilatavit infernus animam suã*, id est ventrem suum, juxta quam expositionem avarus reprehenditur, de quo Sapiens loquebatur, qui tam crudelis, & miser in semetipsum est ut licet continuò laboret, & fruatur mercede operis sui, non tamen audet ventrem implere, sed fame moritur; exemplo Tantali, qui lautæ mensæ assidet famelicus, & in aquis sitibundus manet. Idcirco ab Hebræis legitur: *Omnis labor hominis ad os eius*, vicinus est ori, labia eum tangunt, nullo tamen modo se inde cibare potest. Hæc doctrina optimè applicari potest iis, qui ex aliis libris optima documenta pro aliis colligentes, seipsos inde nutrire nesciunt. Tales concionatores reperiuntur qui optimè auditoribus verba vitæ administrantes ea servare negligunt, suntque ex iis de quibus Christus ait; *dicunt, & non faciunt*, aliis viam cælestem ostendunt, viam infernalem sequentes; aliis lautissimam mensam spiritualis cibi subministrant, & fame pereunt. Inter illos non fuit S. Lucas, qui prius omnia exequebatur, quàm alios docebat, cùm enim manus scribendo fatigaretur, intellectus spirituali cibo reficiebatur.

Isaiæ 5. 14.

*Avarus labore suo non vescitur.*

Mat. 23. 3.

*S. Lucas docebat opere & sermone.*

33. Si

33. Si agricultores seminare simul, & metere possent, quanta esset felicitas; quandoquidem securi de fructibus colligendis nullum timentes periculum nimiæ siccitatis, aut tempestatis, statim illis pacificè fruerentur. Hanc felicitatem S. Lucas conspexit, seminabat, sacrum Evangelium scribens, quia *semen est verbum Dei*; & seminans fructum colligebat, pascens animam suam fructibus quos colligebat: hoc videtur posse colligi ex illo quod Christus Discipulis dixit: *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius qui metit: Ego misi vos metere quod non laborastis, alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.* Quod ut suprà retulimus dixit, quia Prophetæ scribentes prophetiam seminaverant, sed non messuerunt, quia non poterant potiri felicitate quam prædicebant, quâ Apostoli fruebantur.

*Seminabat simul & metebat*

Lucæ 8. 11.

Joan. 4. 37.

34. Notandum est non dixisse absolutè Dominum verum esse proverbium, *alius est qui metit, & alius qui colligit*; sed dixisse, *in hoc verum est*, quasi diceret, non semper est verum hoc proverbium, sed hâc occasione in vobis verificatur: in quo non erit verum? In sanctis Evangelistis, qui ut Prophetæ scripserunt, & seminarũt, & ut Apostoli fruentes præsentibus scriptis, messuerunt, ut inter alios gloriosus Evangelista S. Lucas, diligentissimus seminator, & messor felicissimus effecit. Si juxta sermonẽ infallibilis veritatis sunt beati illi, *Qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; quomodo S. Lucas non erat beatus, qui optimè custodivit verbum Dei quod in perpetuam memoriam cunctis gentibus reservatũ suis scriptis commendavit, ac primò in corde suo indelebiliter impressit?

Vbi suprà.

*Evangelistæ seminarunt simul & messuerunt.*

Lucæ 11. 28.

35. Inter Protonotarios Apostolicos, aliqui sunt participantes qui gaudent honore, & fruuntur negotiis, & lucro proveniente, ex cancellariâ Apostolicâ, aliqui non sunt participantes, & fruuntur solummodò honore, & titulo S. ic inter Scriptores aliqui tantùm scribunt, nec fruuntur suis scriptis aliqui sequuntur doctrinã quam tradunt, & inde maximum hauriunt fructum; inter quos S. Lucas, non solùm titulum, & honorem Scriptoris, sed etiam meritum, & præmium assecutus est; & dignus fuit, qui in hâc vitâ nomen & honorem annunciatoris & prædicatoris æterni verbi gereret, & in futuro sæculo præmium & gloriam tantis meritis condignã adipisceretur. Idem nobis ejus meritis concedat Deus, quod ei summâ suâ bonitate dignatus est elargiri.

*S. Lucas titulum & meritum Scriptoris assecutus.*

# IN FESTO SS. APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDÆ.

## DISCVRSVS VIGESIMVS QVINTVS.

*De rerum mundanarum contemptu, & mutua charitate eorumdem.*

### Cephali pisces qui splendore lucernæ de nocte capiuntur.

*Ad lucem veniunt.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Naturam & proprietates Cephalorum enarrat, 8. primis numeris.*

*Eas SS. Apostolis applicat. num. 9. 10.*

*Quomodo diabolus mundanos decipiat, ideoque delitiæ fugiendæ, ostendit. 11. 12.*

*Cur his nominibus SS. Apostoli insigniti. 13. 14. 15.*

*Dei servitio intendisse, ac mundanas delitias despexisse. à num. 16. usque ad 25. explicat.*

*Mutuam eorum charitatem, à numer. 26. ad finem usque prosequitur.*

*Cephali à capite ita vocati.*

1. 

Isces pro emblemate positi cephali seu capitones nuncupati, eò quòd de eorum capite admirãda referuntur. Aliqui verò tali nomine præditos censent, quia capite occultato, reliquam corporis partem non patere putant; ita Pierius. Aliis inde hæc appellatio orta, videtur, quia eos in magnâ quantitate manducantibus, capitis dolorem generant. Communior tamen opinio est ipsis hoc nomen attribui, quia caput reliquum corpus magnitudine superat. Unde fortè nascitur mirabilis illorum agilitas, qui proprio non contenti alveo, ut reliqui pisces, varia pertranseunt flumina, & contra maris flu-

*Agilitas illorum.*

fluxum, ad multa miliaria natantes, Nilum aliquando intrant, aliis piscibus, Delphino excepto, ob timorem Crocodili, insolitum.

2. In motu adeò sunt veloces, ut sagittam emissam assequi videantur; nec in aquis solùm natitant, verùm etiam foras exiliunt: quod, utrùm ipsis magis prosit, quàm obsit non ausim asserere. Prodest, quia cùm mare retibus completum vident, agilitate virili excitati, extra aquas & rectè prosilientes, effugiunt: si tamen primo insultu non evadant, subsistunt intrepidi, captionem, aut mortem expectantes. Obest hic saltus, quia referente Pierio, in mari Adriatico piscatores naviculis ad prædam nocturno tempore properant, in quarum una lucernam constituentes, reliquisque strepitum excitantes, circa lucem girant, Cephali autem lucem videntes, & evadere sperantes, extra aquas ad lucem prosiliunt, & periculum effugere putantes, capiuntur plurimi se invicem secuti, in naviculam insilientes, ita ut eam ad summum usque compleant.

*Splendore lucernæ capiuntur.*

3. Cautiores tamen sunt ut insidias hamo piscantium possint declinare: videntes enim in aquis escam pendentem, insidias esse suspicantes, caudâ filum hami contingunt, escaque excussâ absque periculo potiuntur: id si efficere nequeant non desperant, sed aliâ utentes astutiâ, ut refert Plutarchus, os aperiunt summisque labris totam escam delibantes, sine nocumento abstrahunt. Hoc cùm in Plutarcho legissem, in mentem mihi venit, multos homines escam illam pretiosissimam, de quâ Psalmista dicebat; *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se*; ore suo percipere, non tamen hamo divini amoris capi: vel quia caudâ despectionis, aut malæ tractationis eam cadere permittunt, ad similitudinem Judæ, de quo Salvator dicebat: *Qui manducat mecum panem, levavit contra me calcaneum suum*, vel quia summis labris solùm ut alios imitentur, absq; fame sacrum hunc cibum attingentes, nõ intelligunt vocem Salvatoris: *Bibite amici, & inebriamini charissimi*; quasi diceret, non tantùm volo ut os scypho apponatis, & vos bibere fingatis, sed abundanter ex potu meo sumere, & spiritualiter vos cupio inebriari.

*Escam ab hamo tollunt.*

Plutarch. libro utra animalia &c.

*Esca divina à multis malè accepta.*

Psal. 110. 4.

Joan. 13. 19.

Cant. 5. 2.

4. Quia carne non vescuntur Cephali, non apponitur esca carnea, sed mica panis, aut quid simile, unde innocentissimi vocantur pisces, cùm nullos pisciculos, ut cæteri manducent. Elianus tamen refert, eos piscibus mortuis cibari, quos priùs caudâ contactos, non vivere reperientes absumunt, aliter derelinquunt. Signa etiam mutuæ amicitiæ sibi invicem exhibent Cephali, quia simul incedentes, se mutuo lambere solent, & amorosè complecti.

*Carne non vescuntur.*



5. Alii

5. Alii maris pisces mansuetudinem illorum attendentes, illos tangere non audent, sed reverentur, teste Jovio. Aristoteles tamen sæpius ab aliis piscibus devorari asserit: sed ova ipsorum hoc gaudere privilegio, quòd à nullo attingantur; unde plurima solent reperiri. Caro ipsorum optima, in pretio est, teste Galeno, maximè eorum qui in alto mari commorantur.

*Ab aliis piscibus non cōeduntur.*

6. Alio etiam modo capiuntur Cephali in magna quãtitate potissimùm primi veris tempore. alligatâ enim ad posteriorem navis partem femellâ ipsorum, subitò plurimi masculi concurrentes ipsam nimio quasi amore attracti complectuntur, & suo modo blandiuntur, reteque intrantes, se captivos ratione ipsius tradere non recusant. Tantò autem magis illam sequuntur, quantò pinguior, & pulchrior fuerit; quorum unus à piscatoribus vulneratus, amatam deserere noluisse fertur, donec vitam simul amitteret. Mirabilius tamen est, non solum Cephalis masculis hoc contingere; verùm etiam femellis, si masculus retrò navim ligatur, cujus amore allectæ plurimæ eum sequuntur, & circumdant.

*Alio modo capiuntur.*

7. Aristoteles tamen refert speciem quandam Cephalorum esse, qui sine conjunctione maris, vel fæminæ sed ex luto, & sordibus procreantur. Fortè ex eorum numero reputantur, qui jejuni vocantur, quia cibum dicuntur non sumere, dum enim capiuntur semper intestina vacua reperiuntur. Hæc opinio non videtur mihi probabilis, cùm nullum animal absq; cibo vivere queat, præsertim cùm movetur, vivit, & accrescit. Aliquorum opinio est, eum intra se retinere humorem pinguem, à quo nutritur. Sed quæro, utrum humor ille in ipso generetur absque materia externa, & quomodo hoc fieri possit? Hanc ergo materiam, dico ipsius cibum esse. Quod autem, dicantur semper vacuo ventre capi, facili digestioni attribuendum est, sæpè etiam alii ventrem cibo repletum habentes capiuntur, nec sufficit dicere ipsos specie differre, eò quòd ventre pleno, aut vacuo capiantur, sed casu accidit. Dicamus etiam fortè inde fieri, quòd aliqui capiantur in cavernis ubi escam colligunt; vel denique quia sordibus pascuntur, quæ pro cibo non reputantur.

*Quidam ex luto generantur.*

*Vtrum sine cibo vivant?*

*Videtur quod non.*

8. M. Varro refert horum piscium suo tempore magnam copiam in lacubus, & vivariis conservatam fuisse; qui etiam facillimè domesticari dicuntur, ita ut cibum ex hominum manibus accipiant. Auditu aliis præcellunt, Sed visu debiliores sunt, hyemali quoque tempore propter continuas pluvias, visu aliquando privantur. Lupus piscis eos persequitur, qui licet eorum caudam comedat, vivere tamen non desinunt:

*Facillimè domesticantur.*

nunt: dum autem ciborum abundantia reperitur, pacificè inter se, & cum aliis degunt. Ab aliis quoque piscibus devorantur, licet nemini noceant, quare ob hanc, & alias causas, dici possint symbolum justorum ab iniquis persecutorum; ac præcipuè Apostolorum Simonis & Judæ.

*Hi Apostoli optimè Cephalis comparantur.*

9. Hi duo Apostoli potissimùm Cephalis comparantur, qui veloces sunt, & agiles, ideò alio nomine *Mugiles* appellantur, quasi multum agiles: quia SS. Simon & Judas velocissimi fuerunt, cùm enim provincia ab ipsis in fide Catholica imbuenda citissimè peragrata esset, ambo simul in Persidem convenientes, martyrio affecti fuerunt. Agiles quoq; fuerunt, ut ex retibus Satanę, & turbido mũdo in navim Salvatoris splẽdore divinitatis allecti transilirent. In Evangelio conversio illorum non refertur, vel quia facilis fuit: vel quia nihil memoriâ dignum in ea contigit. Fortè etiam quia Cephalorum instar lucem divinæ gratiæ attendentes, sine novâ invitatione ad illam subitò accurrerunt, ac unicâ prædicatione Christi auditâ, absque alio exteriore motivo sese ultrò ipsi adjunxerunt: juxta id quod dictum est Nicodemo: *Qui veritatem facit venit ad lucem, ut manifestentur opera eius.* Ex quibus verbis inscriptionem emblematis nostri desumpsimus: *Ad lucem veniunt.*

*Cur in Evangelio eorum conversio non descripta.*

Ioan. 3. 21.

*Cur emblemati hoc dictum attributum?*

10. Quamvis enim absque verâ fide nemo opera perfectè bona efficere possit, ante prædicationem tamen Evangelicam vera fides haberi poterat, qualem habuit S. Joannes Baptista, aliique Patriarchæ, & Prophetæ in lege veteri. Sic etiam dici poterant conformiter fidei operantes, venisse ad lucem, & veritatem amplexi: inter quos esse potuerunt hi duo S. Apostoli, qui rumorem prædicationis attendentes, & admirabilem divini splendoris lucem intuentes; Spiritus sancti fervore intus accensi, ad ipsum venire non dubitaverunt, & retè hujus mundi transilientes, velocissimè in navim Salvatoris (in sanctam videlicet ipsius societatem, & Ecclesiam) ultrò prosilierunt. In hâc similitudine duplex differẽtia captivitatis pulchrè exprimitur, diaboli videlicet, & Christi. Qui à diabolo accipiuntur, permanent veluti pisces in retibus positi, a-quis adhuc circumdati, Dæmon enim permittit eos in hujus mundi fluctibus, & deliciis commorari, dummodo extra ejus retia exilire non præsumant. Salvator autem noster, suos ex mundi pelago subitò in navem Ecclesiæ transfert, & omnes mundi cupiditates, & divitias derelinquere compellit.

*Duplex captivitas Christi & diaboli.*

11. Nec bonis solùm communibus, & voluptatibus mundanis utitur diabolus ut homines decipiat, & in rete suum pertrahat: veùm etiam cibo particulari, & delectabili objecto repręsentato,

*Diabolus omni modo homines tentat.*

occultè

occultè eos attrahere conatur: quod testatur Ecclesiastes, dicens: *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Prudentes tamen, & providi se capi non permittunt, dum enim in turbulento hujus mundi Oceano degentes, escam corporalem accipere coguntur, Cephalos imitantur, & caudâ escam contingunt, ut ex hamo decidat, sicque illam accipiant: finem quippè vitæ considerantes, non superfluo affectu rebus mundanis adhærent, ut animam propriam commaculare possint. Ad hoc videntur allusisse Ægyptii, qui convivantibus inter epulas mortui craneum objiciebant, dicentes: *In hoc intuens epulare*: Sapiēs etiam unumquemque admonet; *Lætare invenis in adolescentiâ tuâ; & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro omnibus his, adducet te Deus in judicium.* Quasi diceret, accipe cibum quem tibi mundus offert, & fruere tempore juventutis tuæ, sed percute filum caudâ tuâ, memoriâ nimirum novissimorum vitam dirige, ne in laqueis peccatorum capiaris.

Eccles. 9. 12.

*Finis vitæ considerandus.*

Eccles. 11. 9.

12. Eo non contenti vitæ perfectionis imitatores, summis labris delitias mundanas degustantes id tantum retinent, quod ad vitæ sustentationem judicant necessarium, dicentes cum Apostolo: *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus.* Quod ægregiè SS. Apostoli Simon, & Thadæus observarunt, dum nullo modo gemmas, & pretiosa munera sibi à Rege Babyloniæ oblata recipere voluerunt, nemo arbitretur eos carnes, aut mundanas delicias appetivisse, cùm cibis vilioribus, & communibus fuerint contenti.

*Apostoli delitias mundanas fugerunt.*

13. Rationi quoque maximè consonum fuit, ut delitiis terrenis non inhiarent, oppositi Simoni, & Judæ ministris diaboli, qui ambo propter avaritiam rerum terrenarum damnati fuerunt, ille quia Spiritum sanctum emere voluerat, cariùs venditurus; hic quia exiguo pretio Verbum incarnatum Judæis tradiderat. Ut igitur hi duo Apostoli similes nomine, factis absimiles crederentur, conveniens fuit, ut gestis aliorum sese omninò opponerent. Sed cur voluit Deus dilectos hos discipulos nomen adeò crudelium inimicorum retinere? Numquid melius mutata fuissent nomina, sicut S. Petro, qui primò Simon vocabatur? In odium Marci Antonii, Senatores Romani, nullum Antonium nomen Marci assumere permiserunt teste Plutarcho. Congruum ergo videbatur, ut in odium Iudæ, & Simonis sceleratorum hominum, Deus non permitteret quemquam è suis fidelibus iisdem nominibus appellari, voluit tamen duos è suis discipulis iis insigniri.

*Oppositi fuerunt Simoni mago & Iudæ traditori.*

*Cur istis nominibus appellati?*

Plutarch. in vita Ciceronis.

14. Fortè ut cognosceremus Deum

*Nomen malum non obest si opera bona sint.*

Deum non tam nomina quàm opera respicere, sicut etiam pudore suffundi non debet, qui Simonis personæ infamis nomen gerit, dummodo opera non imitetur; ita gloriari non debet, qui nomine alicujus sancti nuncupatur, si opera non correspondeant. Non sufficit nomen ut quis sanctus vel iniquus judicetur, multi enim nomen Christi, & Iesu portarunt, qui tamen scelerati fuerunt, ut de Antichristo dicit Origenes. *Considera etiam illud, quod multi venerunt in nullo alio, nisi in nomine meo. solùm enim nomen Christi, Antichristus sumit, nec opera facit, nec verba veritatis docet, nec sapientiam eius ostendet in se.* Meritò etiam reprehenditur Episcopus ille in Euangelio, qui nomen habebat quod viveret, & mortuus erat, quòd de omni Christiano verificari potest qui secundùm legem Dei vivit, ut notat S. Proclus Episcopus: *Omnis Christianus qui non est dives fide, spe, & charitate, id quod dicitur non est.* Noluit fortè Dominus mutari nomen suis discipulis, ut doceremur bona opera non esse relinquenda, cùm ergo nomina ista in se mala non sint, Simon enim significat obedientem, Iudas laudem, & confessionem, non debent ab his Apostolis auferri, quia à malis prophanata videntur.

Origenes homil. 27. in Matth.

*Bonum nomen nil prodest si opera mala sint.*

S. Proclus de recta fide ad fin.

*Loco malorum Deus bonos substituit.*

15. Vel melius dicamus, Deum voluisse Apostolos his nominibus insigniri, quia diabolus Christo duos discipulos ejusdem nominis abstulerat, ut illis opponerentur; nec tantum damni sentiret Ecclesia ex istis, quantum ex his adjutorium; ut etiam non ignoraretur Deo non deesse modos quibus loca malorum, & iniquorum hominum supplere potest; plus enim habuêre hi duo Apostoli virtutis, quàm alii malignitatis. S. Iudas Thadęus in sua Epistola terribilem se contra illos monstravit, dicens: *Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt:* Iudas eadem via quâ Cain perrexit, Cain blandè fratrem invitans ipsum occidit, sic Iudas blandè Christum alloquens, Iudæis tradidit, morte condemnandum: Simon magus Balaam imitatus est, qui prophetiam, quæ donum est Spiritus sancti vendebat; sic Simon emere, & vendere volebat Spiritum sanctum, & ambo sicut Core, qui indignè officium sacerdotale usurpare volebat, perierunt.

S. Iudas in epist. 11.

16. Cùm essent Apostoli innocentissimæ vitæ, nullum malum proximis, licet magnâ castigatione dignis inferre cupiebant. Puerulum recenter ex adulterio natum dicere compulerunt, diaconum quemdam falsò accusatum ejus patrem non esse, auctorem verò adulterii prodere noluerunt. In quo monstrabāt se ex hoc mundo non esse, cùm mundani injurias ferre non possint, sed data opportunitate se vindicare conentur. Hi

*Malum proximis inferre noluerunt.*

sancti Apostoli, plurimum duos illos appetitus irascibilem, & concupiscibilem mortificaverant; hunc quia munera oblata recipere nolebant, illum verò quia mala contra se cõmissa, vindicare nolebant; unde in Evangelio festi ipsorum legitur, *vos de mundo non estis*, quod juxta S. Thomam tribus de causis dicitur; primò, quia mundum & omnia quæ in eo sunt despiciunt: secundò, quia mundus eos persequitur, tertiò, quia secundùm mores mundi non vivunt. Omnia hæc in sanctis his Apostolis verificantur, relinquunt enim omnia ut Christum sequantur, nec umquam ad illa redire cupiunt.

*Appetitus coërcere noverunt.*

Joan. 15. 19.

17. Persarum Regio tantis affluit deliciis, & divitiis; ut qui illam armis devicerant; ab ipsa deliciis superati fuerunt; ut meritò antiquitùs dictum sit, plus nocumenti delicias Persarum Romanis attulisse, quàm arma Romanorum Persis. Ita ut Alexander magnus Rex invictissimus, nec contra Persas invictus fuerit, cùm mores, & vestitum illorum imitatus, convivia, epulas, choreas, ceterasque corporis voluptates more Persarũ suis exhibuerit. Duobus tamen Christi ducibus idem non contigit, qui Persiâ armis spiritualibus subjugatâ, non deliciis, & voluptatibus eorum devicti, non mores imitati fuêre: sed mundi persecutionem usque ad mortem pro Christi nomine fortiter sustinuerunt. Credibile est è Mesopotamia, & Ægypto, quò primò destinati fuerant, recessisse in Persiam, ut præceptum Christi adimplerent: *Cùm persequentur vos in una civitate, fugite in aliam.* Non enim curiositate moti, aut mundi commoditatibus allecti, varias Regiones peragrarunt; cùm solam gloriam Christi, & salutem animarum intenderent.

*Delitiæ Persarum omnes vicerunt.*

*Non tamen Apostolos.*

Mat. 10. 23.

18. Nec denique juxta mundi consuetudinem honorem proprium, aut lucra, sed quæ Dei erant, quærebant. Qui multos habet filios, diversis exercitiis eos applicare solet; alios armis, alios litteris, alios Religioni destinat, juxta uniuscujusque inclinationem. Cùm hi duo Apostoli multos haberent filios, nullos mundo, sed omnes Christo applicare maluerunt. Idcircò de ipsis refert Ecclesia: *Cùm innumerabiles Iesu Christo filios peperissent.* Omnes Christo ut Patri genuerunt, & obtulerunt. Qui insigni doctrinâ præditus, admirabilia operatur, nomen sibi celebre, & famã acquirit. Hi sancti Apostoli, doctrinâ, & miraculis præclari non sibi, sed Christo, celebre nomen acquisierunt. Idcircò de ipsis dicit Ecclesia: *Doctrinâ, miraculis, & martyrio, simul sanctissimum Christi nomen illustrarunt.* Non se ergò fluxu mundanarum deliciarum suaviter duci permiserunt; sed continuò contrarium mundo fluxum tenentes, sese omni diligentiâ, & virtute contra

*Servitio Dei semper intenderunt.*

*Non sibi sed Christo nomen acquisierunt.*

contra illum armarunt; nam si non tantâ diligentiâ sese contra omnes illecebras continuò direxissent, subitò ac manus paululum remisissent, ab hujus sæculi undis transportati fuissent. Quâ similitudine S. Jeronymus contra Pelagium utitur, dicens: *Qui adverso flumine cymbam trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quò non vult ducitur, sic humana conditio.* Non est ergò parum se à mundanarum delitiarum fluctibus, & communi omnium vivendi licentia eripere posse; hæc enim est via ordinaria per quam plurimi ad infernum descendunt.

S. Ieron. lib. 3. contra Pelag.

19. De aliquibus peccatoribus, inquit Psalmista: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* At nimis magno honore illos videtur afficere; ovis siquidem animal innocens, mansuetum, fœcundum, amabile, symbolum est electorum, cùm Christus dixerit, quod in judicio finali: *Statuet oves à dextris, hædos autem à sinistris*: quomodo ergò ovibus assimulantur damnati? Suntne innocentes? Imò gravissimorum criminum rei; suntne in inferno mansueti? Imò ad modum serpentũ sunt veneno mortifero infecti: an operibus bonis fœcundi fuerunt? Imò steriles, & infœcundi: fueruntne amabiles? imò maximo odio digni. Quomodo ergò inquit: *Sicut oves in inferno positi sunt?* Forte David lapsus est linguâ, ut dicere voluit sicut hœdi in inferno positi sunt? Minimè, inquit, erravi, sed optimè dixi, sicut oves, non ratione culpæ, ut aliquibus placet, sed ratione pœnæ; sicut enim oves dum ad macellum trahuntur non resistunt, sic mali qui hîc ut fieri Leones erant, in inferno positi sunt veluti pecora imbecillia, omni fortitudine destituti. Ut oves quæ multæ simul incedunt; ita damnatorum ingens futurus est numerus.

*Cur peccatores ovibus comparati?* Psal. 48. 15. Mat. 25. 33. Vbi suprà.

20. Doctissimus Cajetanus etjam ratione culpæ oves esse dicit. Sicut enim oves se invicem absque judicio sequuntur, absque ullâ cõsideratione viæ utrùm bona sit vel mala, utrùm ad mortem vel ad vitam tendat; sic reprobi ad inferna descendunt, præeuntes consequendò, non considerantes utrùm benè vel malè vivant, utrùm ad mortem æternam aut ad vitam perveniant, sapientiam mundanam tantummodo sequentes; *Quasi ovis* (inquit Cajetanus) *multitudinem ovium sequens, capite positi sunt in foveâ inferni in quam foveam ceciderunt, sequentes sapientes mundi.*

*Oves se mutuò absque judicio sequuntur, sic peccatores.* Cajet. in Psal. 48.

21. Dicamus ergò duos esse modos ad infernum descendendi, unum instar hœdorum, alterum instar ovium; hœdi saltantes nunc huc nunc illuc per montes, & rupes procedunt, sic multi absque ullâ ratione vivendi, proprio seducti cerebro, instar hœdorum, ad infernum descendunt. Sed plures hodiè instar ovium mores & vitam

*Duo sunt modi ad infernum descendendi.*

vitam aliorum sectando, ac communiori viâ absque ullâ consideratione incedentes ad inferos descendunt. Exempla quotidiè sunt obvia; mulier quædam aut juvencula ad nuptias seu aliquod festum vano ornatu, & superfluo cultu decorata procedit; quæ si reprehendatur, respondet, se communem ornandi modum sequi debere, nec posse minùs aliis ornatam apparere, sicut ovis ad infernum descendit. Mercator non potest merces vendere, nisi mille mendacia & perjuria interponat, & si reprehendatur, dicet se aliter merces suas divendere non posse, neminem aliter ei fidem adhibiturum; sicut ovis ad infernum descendit: Vindicativus quispiam & iracundus libenter pacem cum inimicis componeret, sed à mundanis tamquam iners & pusillanimis qui vindictam non audeat sumere, derideri timet: sicut ovis ad inferos pergit. Ovis animal stolidum est absque providentiâ: quæ autem major stultitia quàm mundi insipientiam, & mundana consilia sequi?

*Mala exempla sequentes ut oves ad infernum descendunt.*

22. Si officina quædam omniũ herbarum, medicinarum & pharmacorum genere optimè instructa foret, sed in tantâ abundantiâ tanta quoque esset confusio, ut titulis exterioribus, materiæ contentæ non corresponderent, in titulo v. g. saccari reperiretur absynthium, omnesque tituli essent immutati; numquid stultitia magna foret talem officinam exactissimam reputare, eamque velle aliis præferre? Magna absque dubio, quia loco remedii quandoque venenum porrigeretur. Mundus officina est omnibus rebus abundans, omniaque sunt optima inde sumere scientibus; *Vidit* enim *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Unum tamen in eo malum est, quod tituli sint immutati & nomina, nam virtus vitium vocatur, superbia generositas dicitur; humilitas vilitas dicitur, avaritia titulo prudentiæ tegitur, gula discretio vocatur, ira pallio justititiæ velatur, nomina denique omnium rerum immutata sunt. Mea hæc non est adinventio, sed Prophetæ Isaiæ, qui de hominibus mundanis loquens, ait: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, dulce in amarum, & amarum in dulce.* Numquid ergò mera stultitia est mundanam sequi sapientiam, & ejus consilia appetere?

*Mundus officina abundans, sed tituli sunt immutati.*

Gen. 1. 31.

Isaiæ 5. 20.

23. Numquid etiam magna foret insania propter aliquos auctores sequi opiniones, quas ipsimet condemnavimus, & rejecimus tamquam falsas? Quærere judicem nobis inimicum, quem novimus nostrum interitum certò appetere? Appellare ad tribunal in quo parens noster injustissimè condemnatus est? Omnia hæc de mundo dicere possumus, qui opinionem suam toties retractavit, cujus apertum habemus testimonium

*Aperta stultitia mundanos sequi.*

nium apud Sapientem, qui inducit mundanos de Sanctis, dicentes: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore, ecce quomodo &c. ergo erravimus à via veritatis,* &c. Mundus capitalis noster est inimicus in ipsius tribunali condemnatus injustissimè fuit Pater noster innocentissimus Christus, ab ipso tamquam latro infamis & blasphemator est exceptus, cùm omnium sanctissimus, & justissimus esset, numquid ergò summa erit insania, illius opinionem, & consilium sequi, ipsumque admittere judicem? Numquid hoc est injuriam Salvatori inferre, & subscribere sententiæ contra ipsum injustissimè latæ? Sap. 5. 4.

*Apostoli à mundo persecuti, modò honorantur.*

24. Exemplum hujus rei clarissimum in Sanctis his Apostolis habere possumus, qui durante vitâ immanissimè à mundo excepti fuerunt, cruciati, persecuti, & morte crudelissimâ affecti; modò ab omnibus honorantur, laudantur, & colũtur, sicut maximi sancti totius paradisi; idẽ omnibus persecutiones æquo animo tolerantibus accidit. Qui omnes vitâ & moribus superat, in admiratione est: si vis ut te mundus admiretur, & honoret mundi consilia sperne, ab ejus moribus longè discede, si ita perseveraveris, mundus facillimè devictus cedet, nulla impedimenta objiciet, verùm tibi auxilium feret, factisque tuis applaudet.

25. Cujus rei habemus exemplum in cæco Evangelico, qui dum Christum transeuntem audiret, ejus adjutorium magnâ voce implorare cœpit, sed turba illum impediebat, & increpabat ut taceret, ipse tamen constanter *multò magis clamabat*; unde Christus illum ad se vocari jussit, & tunc omnes ipsum adhortabantur, dicentes: *Animi æquior esto, magister vocat te:* consolabantur eum, & adjuvabant; numquid iidem erant, qui priùs ipsum increpaverant, ut taceret? Quomodo ergò nunc adjuvant? Idem in mundo accidere solet, qui anteà bonum dissuadere volebant, & viam virtutis impedire, si constanter aliquem progredi cernunt, ipsum adhortantur, ut inceptum bonum prosequatur. Lucæ 18. 39.

*Maxima charitate inter se uniti.*

26. Quid de charitate, & benignitate horum Apostolorũ referã? Cùm Christus adhuc in carne mortali degeret discipulos ad prædicandum, binos & binos destinavit, ut ostenderet, inquit S. Gregorius, inter illos charitatem debere vigere, cùm verò post missionem Spiritus sancti, per totum mundum missi sunt, non ampliùs duo simul, sed unusquisq; solus mittitur, ut plura loca implerent, & qui antè ut fratres simul missi erant, modò ut Patres soli destinantur. Licet hi duo Christi Apostoli, pauco tempore soli fuerint, uniti tamen postmodum reperiuntur, ut maximâ charitate

inter se conjuncti mutuo auxilio fruerentur.

*In Persia simul pacificè prædicarunt.*

27. Cùm à Dario Persarum Rege medietas Regni Persarum Alexandro Magno offerretur: Respondit, nec cælum duos soles, nec Regnum Persarum duos Reges capere posse. Hoc hodie impletum est in his Apostolis, qui ut duo soles fuerunt, cùm de illis Christus dixerit: *Vos estis lux mundi*; ambo hodiè cælum intrarunt gloriosi, & in mystico Ecclesiæ cælo, hodiè utriusque festum celebratur: ambo simul spiritualiter in Persia regnarunt, quia æquali auctoritate Apostolica eodem tempore fidem disseminarunt. Inter illos nulla contentio aut discordia umquam fuit, & quamvis forent corporibus disiuncti, animo tamen & corde uniti perstiterunt.

Mat. 5. 14.

*Pari amicitia conjuncti fuerunt.*

28. Inter Myrtum, & Malogranatum referunt naturales tantam esse amicitiam, ut licet in hortis separentur, radices tamen eorum sibi invicem uniuntur. Pari amicitiâ hi S. Apostoli conjuncti fuerunt, licet enim in Ecclesiæ horto separati fuerint, quia unus in Mesopotamia, alter in Ægypto prædicabat; in Persia tamen ambo convenientes, vitam simul finierunt. Non inconcinnè illos Myrto, & Malogranato comparavimus, quæ arbores amorem repræsentant, quia illa semper est viridis, & odorifera, & ab antiquis Veneri dedicata quæ mater est amoris. Hæc verò quia flores, & fructus habet rubicundos, & velut accensos ab igne, cupidini Deo amoris erat consecrata. Hanc S. Simoni tribuere possumus propter ardentem zelum, juxta cognomen ipsius, quia zelotes appellatus fuit: illam verò S. Judæ, qui interpretatur confessio sive laus, ex Myrto, namque victoribus conficiuntur Coronæ triumphales. Quamvis solum sanctitatis argumentum haberemus, mutuam ipsorum in Perside conservatam concordiam sufficere deberet, quia talis unio ab amore divino proveniebat.

*Myrtho & Malogranato comparati.*

*Concordia eorum signum sanctitatis fuit.*

*Fratrum concordia rara.*

29. Nec mihi hîc objiciatur fratres eos fuisse, nam inter eos rarò concordia reperitur, juxta dictum Poëtæ: *Fratrum quoque gratia rara est.* Fratres erant Romulus, & Remus, non tamen in uno imperio convenerunt, cum unus ab altero fuerit trucidatus. In Persia quoque Cambyses regnans fratrem suum Smerdem sustinere non poterat, quare illum interimi curavit. Talibus exemplis sacra scriptura referta est, à mundi creatione; nam Cain fratrem suum Abel occidit, Ismael Isaac persequebatur, Esau Jacob; qui in utero matris se invicem sustinere non poterant, sed manu pedem Esau, tenebat Jacob, quasi impedire volens ne primus exiret, ut primogenita sicut postea fecit præriperet. Nonne legimus quoque fratres Joseph cum illum occidere

*Hoc à principio mundi patet.*

cidere commodè non potuissent, vendidisse Ægyptiis? David licet mitissimus, & humillimus, numquid declinare debuit iram fraternam, & ab illis graviter reprehensus fuit, quòd ad exercitum veniret, relictis ovibus? Hoc timere videbatur Mater filiorum
Mat. 20. 21. Zebedæi, cùm à Christo petebat; *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dextram, & alter ad sinistram in Regno tuo:* non audebat petere ut ambo sederent ab uno latere, cùm metueret, ne inter se discordes forent, sed maluit ut magister illorum Christus medium teneret.

30. Matathias etiam morti proximus, prudentissimè sua disponebat, ne discordia aliqua inter filios oriretur, idcircò varia officia singulis distribuebat, dicens:
1. Macha. 2. 65. *Simon frater vester, scio quod vir consilii est, ipsum audite, & ipse erit vobis Pater; & Iudas Machabæus fortis viribus, à juventute suâ, sit vobis Princeps militiæ.* Hi duo fratres charitate uniti, non inter se officia dimiserunt, sed ambo fuerunt Patres & Principes Imperii, quia de ipsis S. Ecclesia refert, quòd innumerabiles filios Christo pepererint, ambo militiæ Duces, quia dæmonem hostem acerbissimum fugarunt, & victoriam proprio sanguine de ipso reportarunt.

*In multitudine vix unio servari potest.*

31. Crescit insuper admiratio tantæ unionis, ex eo quod diximus, eos innumerabiles filios Christo peperisse, difficile quippè est, in multitudine concordiam & pacem vigere. Abraham & Loth inter se optimè cõveniebant, cùm tamen multitudinem servorum, & pecorum haberent, non erat tanta concordia; unde amicitia inter dominos periclitari videbatur, & eò usque processit, ut ab invicem separari debuerint. In principio nascentis Ecclesiæ legimus quod, *crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos.* Actor. 6. 1. Ante diluvium, quæ causa assignatur tantæ ruinæ? Nónne quia gigantes, & potentes in terrâ persecutionem excitabant? *Cumq; cœpissent homines multiplicari super terram*, inquit sacer textus: Gen. 6. 1. Quid ergò efficiet multitudo innumerabilis? Certè maximum divini amoris indicium èst, quod nulla inter ipsos dissensio fuerit, & quod hi sancti Apostoli tantâ charitate, & unione eos convenire curaverint.

*Vnio hæc divini amoris indicium est.*

32. Major augetur difficultas, quia multi ex regionibus diversis erant oriundi, qui ordinariè propter morum diversitatem (cùm unusquisque patrios mores laudet) convenire non possunt, maximè inter eos qui contentiones inter se mutuò excitant, ut fuerunt olim Romani & Carthaginenses; & verisimile est Ægyptios & Hebræos non benè inter se convenisse, cùm hi ab illis sæpè afflicti fuerint; Erant tamen duorum Apostolorum simul discipuli, cùm enim unus in Ægypto alter in Mesopotamia Evangelium prædicaverit

dicaverit, & posteà simul in Persia convenerint, credibile est illos, aliquos ex suis discipulis secum adduxisse. Sed ne hæc quidem dissensionis sufficiens causa fuit.

33. Inter Corinthios quibus diversi Evangelium prædicaverant, nata erat dissensio, uno dicente: *Ego sum Pauli, ego verò Apollo*, quasi ab illis conversi essent, & regenerati in Christo, nec hoc mirabile fuit, sicut enim impossibile est, aliquem duobus dominis inservire, sic impossibilius, ut habeat duos Patres, unde dicebat Apostolus: *Etsi decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos Patres, nã in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui*: titulus etiam Patris tantum præsefert honorem, ut non videatur alteri communicari posse. Sapienter idcircò Judæorum Rex, vocari se jussit Abimelech, quod interpretatur, *Pater meus Rex*, demonstrando non velle se minùs amari ut Patrem, quàm timeri ut Regem. Quod ergò hi duo sancti Apostoli habentes penè infinitos filios spirituales, inter illos nulla esset dissensio, aut contẽtio; res sanè plurimùm admiranda fuit. Et signum inter illos summam viguisse charitatem, cùm ambo essent Patres, & superiores, & ambo ipsis præcepta darent, de charitate quam Apostolus ait esse *vinculum perfectionis*. Tales fuerunt Jonathas & David, de quibus dicitur: *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.*

1.Cor. 3.4.

*Diversitas magistrorũ dissensionem generat.*

1.Cor. 4. 15.

*Summa charitas inter discipulos eorum.*

Coloss. 3. 14.

1.Reg. 18. 1.

34. Meritò ergò S. Mater Ecclesia in festivitate horum Sanctissimorum Apostolorum hoc Evangelio utitur; *Hæc mando vobis ut diligatis invicem*; advertendum etiam quod de uno solo præcepto loquens dicat in numero plurali: *Hæc mando vobis*, nam videbatur debuisse dicere, hoc mando vobis. Pulcherrimum hîc latet mysterium, nimirum in charitate omnia præcepta contineri, sicuti ex radice arboris omnes rami prodeunt, sic ex solâ charitate adimpletio omnium mandatorum dependet, ita ut si Apostoli hoc solum præceptum observassent, facilè erat reliqua adimplere: Idcircò tanta verborum copia hoc ipsis in ultimâ cœnâ indicatum est.

*Cur Ecclesia hoc Evangelio utatur hac die.*

Joan. 15. 17

*Ex charitate omnia dependent.*

35. Ut bellum benè succedat, tria requirebat quidam expertissimus miles, pecuniam sufficientem, pecuniam abundantem, pecuniam in omnibus; quasi tria requirenda unum & idem sufficere dicebat; ut necessitatem pecuniæ in bello indicaret. Non aliter legifer noster Christus, ajebat: *Hæc mando vobis*, quasi diceret, multa vobis præcipio; primò, ut vos invicem ametis, secundò, ut vos invicem ametis; tertiò, ut vos invicem ametis: quasi in hoc omnia præcepta completa essent. Hoc optimè intellexerunt hi duo Apostoli, propterea ipsis in emblemate Cephalos attribuimus, qui se in-

*Mutuus amor omnia perficit.*

se invicem maximè amant, ut in principio vidimus.

*Ferventissimus zelus horum Apostolorum.*

36. Si multitudinem ovorum pariant Cephali, hi sancti Apostoli multitudinem filiorum Christo genuerunt; si Cephali se carceribus, & retibus includi permittant ut Cephalam unam inde extrahant, hi pro una anima lucranda, alios multos secum trahendo, voluntariè se carceribus & morti tradiderunt. Non sine mysterio ergo Simon Zelotes vocatur, non tam propter patriam, quàm propter ferventissimum zelum quem habebat animarum. Iudas etiam Thadeus, laudans dictus est, quod proprium est amantium; ambo longissimè à terrenis, & caducis rebus animo, & affectu abfuerunt. Ita ut non ex terrenis hominibus, sed ex cælestibus nati viderentur; & alio cibo nutriri possent, quàm eo qui ipsis ab interna devotione subministratus, & amoris divini ferventissimo igne decoctus erat.

# IN FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM.

## DISCURSUS VIGESIMUS SEXTUS.

*De imitatione, & invocatione Sanctorum, & mediis ad illos perveniendi.*

**Aves in aëre volantes, & navis in mari earum directionem sequens.**

*Volantes sequitur.*

SUMMARIUM DISCURSUS.

*De vanis auguriis, & avibus homines dirigentibus disserit, sex primis numeris.*

*Gentiles in terra itinerantibus, fideles verò in mari navigantibus comparat. num.* 7. 8.

*Sanctos imitandos proponit, num.* 10. 11.

*Multas ad cælum esse vias ostendit,* 12. 13. 14.

*Qualiter sancti imitandi & honorandi, num.* 15. 16. 17. 18. 19. 20.

*Tribulationem esse viam ad cælum, num.* 21. *ad finem usque prosequitur.*

Ioseph. lib. 1. contra Appion.

1.
Famosus ille Hebræorum historiographus Iosephus ex dicto Hecatæi, pulcherrimum narrat casum, quo refellit stoliditatem illorum, qui auguria animalium, præsertim volucrum, sequuntur, ex iis prosperitatem, aut infelicitatem itineris sui colligentes. Incedebat, inquit, cum multis aliis Hebręus quidam Mosollamus nomine, illi avem arbori insidentem conspexerunt, ex cujus volatu, quodam vate augurium captante, prosperitatem itineris Hebræi colligere volebant; quæ si anterius avolaret, procederet, si verò post tergum iret, recedere cunctos oportere. Hebręus hoc attendens, arcum tetendit, sagittamque intentis in avem oculis,

*Augurium avium captantes quomodo decepti.*

lis, tam dextrè emisit, ut primâ vice avem percussam interemerit. Indignantibus verò vate, & quibusdam aliis, & maledicentibus ei: ac postulantibus quare auguria itineris, quæ ex volatu istius avis colligere volebant impediret? Sapienter respondit subridens, quomodo potuit hæc avis viam vestram dirigere, quæ mortem suam imminentem prævidere non potuit? Si præscire futura valuisset ad arborem, ubi mortem recepit non advolasset, vel adventum nostrum non expectasset; si non potuit prævidere sibi futura, quare ab ipsa itineris nostri expectamus directionem: stultitia ergo maxima est ducem itineris, irrationale animal si qui. Hoc dilucidè ostendit Sapiens in versu, unde nos emblematis nostri dictum, accepimus: *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes*, juxta cujus opinionem idem est sequi aves volantes, ac pascere ventos, & confidere rebus nullum esse reale habentibus. Insipientes sunt illi navigantes, qui avium volatum in mari attendunt, ut in hoc emblemate repræsentare cupimus.

*Auguriis confidere magna stultitia est.* Proverb. 10. 4.

2. His tamen non obstantibus, sicut dubitare non possumus, quin optimè dixerit Sapiens, stolidos fuisse gentiles augurium ex illa ave capientes quæ mortem propriam prævidere non poterat; sic è contrario prudentissimos illos navigantes arbitror, de quibus in hoc discursu nostro loquimur. Non erit difficile illud probare, cùm hic diversitas casuum, & intentionum reperiatur. Non loquitur Sapiens de iis qui auguria ex volatu avium percipiunt, aut duces itineris assumunt, sed de illis qui eas persequuntur, ac prædari desiderant, quas pedibus assequi non possunt. Hic autem loquimur de iis qui ex avium volatu navem suam dirigunt: ipse in genere de omnibus loquitur, nos autem particulariter de habitatoribus insulæ Taprobanæ, de quibus Solinus, & Plinius loquuntur: qui navigationem suam non ex aspectu stellæ polaris, quæ ipsis abscondita est, dirigunt; sed ex volatu aliquarum avium quas secum deferunt, & ad hoc edocuerunt; quas dum in apertum dimittunt aërem, volantes comitantur, & ad terram quam volatu petunt, navigant; quæ si nimio volatu oculos intuentis effugiant, alias aves in navi secum habentes, pariter dimittunt, quæ cursum eorum dirigunt, donec ad terram desideratam pervenerint. Hoc Plinius his verbis pulchrè describit: *In mari Tapronabæ navibus utriusque prora, syderum in navigando nulla observatio; septentrio non cernitur, sed volucres secum vehunt, emittentes sæpius, meatumque earum terras petentium comitantes. Nobis diligenti notitia principatu Claudii contigit legatis etiam ex insula advectis.* Sicuti enim nobis inservuit acus Neutica, & magnes, quo ad

*Incolæ Taprobanæ insulæ avium volatu navem dirigunt.* Solinus c. 54.

Plinius lib. 6. cap. 56.

septentrionem semper dirigimur, sic illi ab avibus ad terram semper ducebantur.

3. Simile adjutorium ab avibus non tamen domesticis, habuit Alexander Magnus dum ad Jovem Ammonem iter instituerat; illo enim tempore ingens desertum arenâ coopertum transire debuit, quæ à vento sublevata, & agitata, nullum viæ signum reliquerat. Per hanc igitur arenã dum Alexander cum exercitu pergeret, viarumque duces iter amisissent, confusus & quasi deficiens, pro signo certissimo (Plutarcho referente) Corvos ante se volantes, eique iter ostendentes, ac expectantes donec tardiores assequerentur, habuit. Mirabilius est quod refert Calistenes, Corvos de nocte cantu, & clamore suo quosdam congregasse, qui lassitudine, aut incommodis subsistentes defecerant, aut à viâ aberraverant. Hi potuerunt fuisse dæmones, qui ut oraculo illi falso fides adhiberetur, & Alexandrum Jovis esse filium persuaderent, in formâ Corvorum iter ei ostenderunt.

*Corvi Alexandro magno viam monstrarunt.*

Plutar. in Alexand.

4. Quidquid sit, mirum videri non debet, aliquos navigantes aves sequi, omnes enim naves dici possunt, imitatrices avium. Cùm, juxta multos auctores, ad similitudinem avium sint fabricatæ, vela sunt instar alarum, remi ut pedes, gubernaculum ut cauda, prora ut caput, & sæpissimè in similitudinem rostri avis conficiuntur, quales rostratæ dicuntur, eò quòd rostris sint armatæ. Quemdam Africæ populum refert Ludovicus Cadamosto, cum primâ vice naves videret, aves esse magnas elatis alis, credidisse; sub nomine etiam pennarum, & volatus, videtur de illis locutus Propheta David, dum dixit: *Si sumpsero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris*; Poetæ quoque Dædalo alas affinxerunt, quia primus vela invenit, quibus naves in mari procederent, ut multi referunt apud Lelium Giraldum. Volare videntur naves, dum iter mensuratur quod velocissimè conficiunt; sed oppositum aliquando patet sensibus, dum enim ex littore, vel altâ turri naves in altissimo mari conspicimus, licet velocissimè moveantur, firmiter tamen eas consistere putamus; sicuti econtrà qui ex navi terram respicit, licet firma, & immobilis persistat, si tamen oculis credere velit, illam moveri, & se firmum manere conspiciet. Sic res plerumque omnes ex dispositione intuentium, non ex veritate ipsarum judicari solent; sicuti enim bonus omnia in bonam partem interpretatur, licet non semper ita sint; sic malus ad instar navis fluctuantis à propriis passionibus directus, omnia instabilia, & vana indicat, licet optima, & firma sint; propriosque defectus non agnoscens, ex aliorum minimis defectibus, omnia mala, & vana judicat.

*Naves avibus similes.*

Psal. 38. 9.

Giral. lib. de navig. cap. 14.

*Multa ex dispositione intuentis judicantur*

5. Me-

5. Merentur profectò nautæ Tapobranæ non excusari solùm, verùm etiam laudari, quia his utebantur avibus eo tempore, quo alii nautæ cæli serenitatem intueri non poterant, aut admodum cæcorum terram in medio mari quærebant, ignorantes in quo loco consisterent, aut quorsum vela tenderent. Sicuti Æneas cum suis apud Virgilium lamentabatur.

Virgil. lib. 2. Æneid.

*Excutimur cursu, & cæcis erramus in undis,*
*Ipse diem noctémque negat discernere cælo*
*Nec meminisse viæ, mediâ palinurus in undâ.*

Idcircò mirari non debemus, (ut multi asserunt) si antiqui in aperto Oceano, navigationem instituere timebant, ignorantes quomodo deficiente Sole, aut Stellâ polari non apparente, navigationē dirigere debuissent. Ab hoc periculo moderni nautę sunt liberi, eò quòd artem utendi magnete jam invenerint, & noverint Stellam polarem etiam in tenebris, & caligine sequi, quæ ars, juxta opinionem quorumdam, anno 1300. à quodam Flavio del la Costa Amalphitano fuit reperta.

*Vsus magnetis in mari quando inventus.*

6. Quantùm ad casum à Josepho relatum, de Hebræo, nihil facit contra nos, volebant enim Gentiles per aves istas cognoscere futura incerti eventus, à libero hominis arbitrio dependentia, quorum majorem notitiam habere nequeunt, quàm lapides; quare stoliditas magna foret, circa has illarum expectare consilium. Res autem naturales multò meliùs nobis animalia irrationabilia cognoscunt, quæ tempora æstatis & hyemis, pluviasque, & tempestates longè antè præsentiunt, medicinam suam in herbis, aut aliis rebus, optimè norunt, loca commodiora citiùs reperiunt, unde in his illa sequi, & consilium quodammodo sumere, non stoliditas, sed sapientia est. Ab ipsis arboribus præcepit discere Christus, dicens: *Ab arbore autem fici discite parabolam*, & alibi nos invitat, ut consideremus volatilia cæli, & signa temporum. Non igitur inconsideratè agunt populi Taprobanæ Insulæ, avium volatum insequentes, ut ad terram desideratam pertingere possint. Sicut etjam in casu à Josepho narrato, Gentilium stoliditas repræsentatur; ita prudentia S. Ecclesiæ, considerando diversas circumstantias, facillimè adverti poterit.

*Animalia melius naturalia norunt quàm homines.*

*In naturalibus animalia sequi sapientia est.* Matt. 24. 32.

7. Gentiles in terrâ iter faciebant, sed nostri in mari navigant, qui terrestri pergit itinere propriis viribus, facillimè defatigatur, sed qui navigat secundo vento absque aliquo labore progreditur. Gentiles privati gratiâ cælesti, in terrâ propriis viribus laborantes facillimè defatigantur, sed S. Ecclesia vento Spiritus sancti directa numquam deficiet: quia

*Ecclesia aurâ Spiritus sancti dirigitur.*

Psal. 142. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Nō me pedibus, sed aurâ Spiritus sancti ad cęlestem promissionis terram conducet.. Qui terrestri graditur viâ quocumque vult, pervenire potest, sic Gentiles proprio judicio ducebantur; qui mare navigant, nauclerum sequi compelluntur: ita fideles inter se in rebus fidei non discordantes, nauclerum Summum Pontificem, ducem consequuntur, *ut fiat* (sicut Christus inquit) *unum ovile, & unus pastor.* Qui terrâ peregrinantur, à loco naturali non discedunt; ita Gentiles se ad supernaturalia non extollunt, sed in naturalibus immorantur: qui verò mare navigant, elementum aliud supernaturale intrant, aqua enim super terram consistit. Non aliter fideles supernaturalia naturæ vires excedentia, contemplantur, dicente Apostolo: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se.* Qui in terrâ itinerantur, non elevant oculos ut viam invenire possint, sed dimittūt ut videant quæ via communis sit & usitata, sic Gentiles quæ in cælis aut supra illos sunt, non curantes totaliter terrenis rebus inhiabant. Unde dicebat Socrates: *Quæ suprà nos sunt, nihil ad nos.* Qui verò mare navigant, non mare, sed cælum intuentur ut viam suam dirigant: in mari enim quod planum est, videre non possunt utrùm accedant, aut recedant, sed cælum hoc ipsis indicare debet. Ita fideles terrena non considerant; sed cælum continuò aspicientes, ad portum æternæ salutis tendunt; unde dicebat Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos:* nónne meliùs, ô David, ipsemet vidisses ubi pedes ponebas? Minimè, inquit, in hoc enim itinere cælum non terram conspicere debemus. Qui in terrâ peregrinantur, terminum habent viæ æqualem, ut ad locum aliquem aut civitatem perveniant; sic Gentiles terminos actionum suarum habebant terrenos, & media non discrepabant à fine actionum: ut dicebat aulicus apud S. Augustinum, *per quot pericula ad majus periculum devenitur!* Qui autem mare navigant licet instabiles sulcent undas, terminus tamen illorum multum ab eis differt, quia ad portum securum, terram firmam, & mansionem quietam tendunt. S. Ecclesia licet in peregrinatione hujus vitæ, transeat per multa pericula, & tribulationes; terminus tamen ad quem aspirat, longè diversus est, qui est cælestis Ierusalem, libera ab omni malo, & omnibus bonis repleta, de qua sanctus Paulus dicebat: *Civitatē habemus æternam, non manufactam in cælis.*

*Gentiles terra peregrinantur.*

Ioan. 10. 16.

*Fideles in mari navigant.*

1. Corint. 2. 9.

*Ideo illi terrena intuentur, hi cælestia*

Psal. 24. 15.

2. Cor. 5. 1.

8. Sicut itinerantes de quibus agit Iosephus, avem arbori insidentem, ducem, itineris habere cupiebant; sic gentiles magistros philosophos accipiebant, qui pennis

*Gentiles avi arbori insidenti similes.*

nis ingenii sui in altum elevati, arbores rerum naturalium non transcendebāt, sed beatitudinem, ac quietem in hac vita quærebant, nec illâ frui poterant, quam aliis promittebant. Sancta verò Ecclesia per duces avium volantium, qui sunt sancti & Angeli paradisi, ad patriam pervenit: idcircò in Canticis Sponsus inquit; *æquitatui meo in curribus Pharaonis assimulavi te amica mea*; te similem reddidi æquitatui meo, qui dejecit omnes currus Pharaonis. Qualis fuit iste equitatus? Nullum in populo Israël æquitatum currus Pharaonis oppugnantem reperio. Non alius ergo poterat hic equitatus esse quàm Angeli sancti, qui ut milites Dei, pugnarunt pro dilecto populo contra persecutores eius. Sic S. Gregorius Nyssenus, aliique Patres hunc locum explicant; quod Angelis sanctis dixerit Deus se assimulasse animam dilectam. Hi sunt sancti illi quos Ecclesia hodiè proponit imitandos, ipsaque est navis quæ in medio maris fluctuat, & ad similitudinem populi Taprobanæ insulæ stellam polarem non videt, ad quam tamen omni conatu pervenire desiderat: ad æternam videlicet beatitudinem, quæ est stella illa polaris fixa, & stabilis, nulli mutationi subjecta, unde dicebat S. Paulus: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

Cant. 1. 8.

Nyss. hom. 3.

*Aves volantes sunt omnes sancti.*

2. Cor. 4. 18.

9. Si illa non videmus, quomodo contemplatione assequi possumus, illa non oculis corporeis, sed mētis intuemur; utq; alacriter properemus, S. Ecclesia nobis hodiè vitam, & exempla omnium Sanctorum ad cælestem patriam instar avium volantium proponit. Nunc pauperes spiritu exhibens, qui rebus terrenis spoliati subitò ad terminum præfixum, perveniunt, de quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est Regnum cælorum*; non dicit pervenient, sed quod jam pervenerint. Sanctus Bernardus hoc ægregiè explicat, dicens: *Magna quædam penna est paupertas, quâ tam citò volatur in Regnum cælorum: nam in aliis virtutibus, promißio tempore futuro indicatur, paupertati non tā promittitur quàm datur.* Ne tamen hos assequi desperemus, alias addit aves, non adeò veloces, de quibus dicitur: *Beati mites quoniam ipsi poßidebunt terram.* Si non sufficiat illas imitari, adjungit alias, dicens: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

*Ecclesia sanctos imitandos proponit.*

Mat. 5. 3.

S. Bernard. serm. de adventu

Matt. 5. 4.

10. Dicet fortè quispiam, hanc doctrinam doctrinæ Apostolicæ difformem videri, cùm Apostolus in cælum ascendere cupientes assimulet illis, qui in stadio currunt, dicitque unum solum alios præcellentem, accipere posse bravium: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, sic currite ut comprehendatis.* Ut ergò cæleste bravium comprehendamus, non sufficit currere, sed oportet ita currere, ut omnes alios ante-

*Quomodo Apostolus cælum bravio comparat?*

1. Corint. 9. 24.

antecedat. Quod si verum est, quis nostrûm non desperabit, se assequi posse victoriam? & se in vanum currere? Præsumere alios superare cursu, effectus magnæ ignorantiæ est aut extremę superbię superare omnes effectivè, quorum multi velocitate, & agilitate plurimum excedunt, impossibile magis quàm difficile videtur. *Non unus sed plures accipiunt bravium.* Quis ergò non desperabit se posse pertingere ad præmium cælestis gloriæ? Concludere enim deberemus, illum solum qui omnes virtutibus excedit ad æternam gloriam pertingere posse; sed non hæc est mens Apostoli, qui in numero plurali dicebat: (Vbi suprà.) *Sic currite ut comprehendatis*, non ut unus comprehendat; quia ut S. Jerohymus inquit: (S. Hieron. epist. 27. ad Lucinium.) *Non est invidus Agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam, omnes Athletas suos desiderat coronare.*

11. Volebat ergò dicere Apostolus, quòd sicut in stadio non sufficit currere, sed opus est primùm ad terminum destinatum pervenire, ad præmium reportandum; sic in via cælesti non sufficit currere, sed currendum est velociter, & perseveranter, ut coronam accipere mereamur, quàm licet multi consequi possint, nullus tamen debet esse negligens, sed tam velociter currendum est, ut si ab uno solo posset comprehendi; sic enim ipsemet dicit: (1. Cor. 9. *In via Domini velociter currendū.*) *Ego autem sic curro, non quasi in incertum*, quod juxta S. Anselmum exponitur; ego non curro dubius de præmio, sicut qui in stadio currunt, qui licet omnem diligentiam adhibeant, multumque in currendo laborent, nihilominus absque suo defectu, quia aliquis velocior est, præmio debito privatur: sed in hoc cursu omnes præmium accipere possunt, nec quisquam absque proprio defectu privatur: *Non curro quasi in incertum* (inquit S. Anselmus) (S. Anselm. sup. hunc locum. *Nullus privatur præmio.*) *sicut illi qui currunt ad sæculare bravium, nec si poterunt accipere sunt certi*; in alio tamen cursu non solùm sunt variæ coronæ, sed etiam diversæ viæ per quas unusquisque secundum vires suas currendo, præmium accipere potest.

12. Quando filii Israël mare rubrum transibant (ut aliqui cum S. Epiphanio asserunt; (S. Epiphan. hæres. 64.) non unam ipsis viam sed plurimas Deus aperuit. Id videtur annuere David, dicens: (Psal. 135. 13.) *Qui divisit mare rubrum in divisiones*, si enim unica fuisset via, dicere debuisset, *in divisionem*. Quare ita factum est? Numquid omnes largâ viâ incedere poterant? Imò, sed figura fuit itineris (*Multæ viæ ad cælum.*) quo ad cęlestem patriam pervenire possumus, quod non unum solummodo sed multiplex est, ut qui uno itinere incedere non possit, per aliud vadat, cùm æque facile ad illam perveniet. Qui pauper esse non potest, sit eleemosynarius: qui martyrio coronari nequit, sit patiens; qui virgo permanere non posset, sit mansuetus, qui magna perpetrare non valet, sit

sit bonę voluntatis. Sancti nos hac viâ præcesserunt, & iter suum bene compleverunt, idcirco meritò à nobis sunt honorandi: sicut Aminadab primus mare rubrum ingressus præcellentiam tribus Iudæ ac primatum in ea obtinuit.

*Quanti æstimandi qui alios in bono præcedunt?*

13. Clariùs adhuc ostendit Deus, quàm magni fieri debeant, qui bono exemplo alios præcesserunt in itinere Jordanis. Cùm enim omnis Israël transisset, præcepit Deus Josue; ut duodecim lapides, quos sacerdotes pedibus conculcaverant, acciperet, eosque in ulteriori ripâ Iordanis poneret, in signum transitus populi Israëlitici. Cur præcisè hi lapides accepti sunt? Quid referebat, si lapides qui in honorem Dei poni debebant, sacerdotum pedibus primò conculcati fuissent? Numquid præstitisset lapides à nemine contactos assumere? Hanc ego rationem esse puto, quia sacerdotes primi Jordanem intrabant, nec ab inimicis persecuti fuerunt, ut in mari rubro accidit, nec ipsis via patebat, aquis nondum divisis, quæ ad solum Dei verbum, quod Iosue illis dicebat, dividebantur. Voluit ergo docere Deus, pedes qui viam virtutis aliis patefaciunt, tantum mereri honorem, ut vestigia illorum venerari debeamus; imò terra & lapides quos tetigerunt, in memoriam istius, debent perpetuò conservari; non miremur ergo si Ecclesia hodiè tam celebre festum ubique colat.

*Quibus modis in cælum ascenditur?*

14. Verum quidem est, quòd licet, ut diximus, sint multæ viæ quibus in cælum tendere possumus, sancti tamen omnes vocantur meritò aves volantes, ut intelligamus, duas conditiones esse necessarias ut cælum conscendere possimus. Prima, ut nos à rebus terrenis sublevemus, nec actionum nostrarum terminum hîc in terra constituamus, ut natura avium docet, quæ semper in altum volatu tendunt. Secunda est, ut crucem amplectamur, avem quippe volantem: necesse est alas extendere, & quasi crucem formare. Aves illæ in duobus Seraphinis juxta thronum Dei stantibus, ac Isaiæ Prophetæ ostensis præfiguratæ videntur. Erant hi alis pleni & à terra multum elevati, quia supra thronum Dei excelsum, & elevatum stabant, alasque extensas habebant in modum crucis, alas quippe quas in medio habebant, solummodo ad volandum extendebant, alias verò plicatas tenebant. Propheta autem Isaias exemplo illorum commotus etiam ipse fieri avis cupiebat, dicens: *Ecce ego mitto me*, & cum musicam illorum audisset, displicuit illi quod tacuisset, & dixit: *Væ mihi quia tacui*; multum defui officio meo; cùm enim unus Seraphim *sanctus* dixerat, & alter replicasset *sanctus*, debebam adjungere tertium *sanctus*, quem tamen errorem non cognovit nisi postquam alter Seraphim subdiderat tertio *sanctus*: sola

*Isaiæ 6. 1.*

*Exemplis sanctorum cognoscimus errores.*

*Ibidem 8.*

sola enim exempla sanctorum errores nostros cognoscere faciunt.

15. Sponsæ locum scire cupienti ubi sponsus eius dilectus quiescebat, respõsum fuit; *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum*: quibus verbis licet multi SS. Patres existiment, contineri pœnas, & minas animæ infligendas, quæ se tenebris ignorantiæ sui ipsius aut Dei sui involvi permittat: conformius tamen textui Hebręo ut notat P. Ghislerius, ibi docetur modus reperiendi sponsum; & sequi vestigia gregum ovium Dei, est imitari exempla servorum ejus; non dicit *intuere*, sed *abi*, non enim sufficit respicere exempla sanctorum, sed oportet illa sequi, & imitari. Nec vacat mysterio; dicere *post vestigia gregum*, & non *post greges*, quia aliquem sequi prępsupponit unum præcedere quem videmus, sed sequi vestigia, est alios tam longè nos præcessisse ut non amplius illos videamus, sed vestigia pedum investigare debemus; in quo duo præcipuè nobis consideranda sunt, & imitanda.

Cant. 1. 7.

Ghislerius in illud Canticor.

*Sanctos imitari debemus,*

Cant. 1. 7.

16. Primùm, quàm longè absumus à virtutibus sanctorum, à quibus tantum distamus, ut ampliùs illos videre non possimus. Secundum, nos non solùm sanctos modò vivẽtes, verùm etiam mortuos imitari debere, licet enim illos nõ videamus, illorum tamen vestigia nobis cognita sunt; quia actiones, & facta illorum vel hominum memoriâ retinentur, vel in libris referuntur. Vt sponsa divina non se excusaret quod nullam haberet fortitudinem sequendi, adjungit Sponsus; *Et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum*: quasi diceret: noli dubitare quòd præ fame, aut debilitate in hoc itinere deficies, quia hœdi tui, affectus videlicet, qui per modum caprarum exiliunt in montibus æternis, cibum suum reperient juxta tabernacula pastorum, in Religione videlicet, aut recto vivendi modo, quem sancti instituerunt. Distinguendo fortè etiam greges, & pastores; in istis exemplum bonorum subditorum, in his verò doctrinam, bonasque admonitiones superiorum exhibuit, illasque dicit à nobis sequendas, & ab his nos cibum recipere debere: in his quippe non tam oportet attendere quid faciunt, quàm quod nobis dicunt, nec præsumendum illos in honore, & dignitate imitari, sed præcepta, & monita illorum reverenter suscipere, & quantum nobis permittitur exequi.

*Licet illos non videamus,*

Cant. 1. 7.

*Affectus nostri juxta doctrinam sanctorum dirigendi.*

17. Nec optare debemus Sanctis in miraculis, prodigiosisque operibus adæquari, quia ut magistri vitæ spiritualis docent, in ipsis aliqua sunt admiranda, alia imitanda; miracula sunt admiranda, virtutes imitandæ, admirari oportet superabundantem divinæ gratiæ influxum, imitari opera humana.

*Virtutes eorum non miracula imitanda.*

mana. Quando amicus in vase argenteo pretiosos offert fructus, parum honestè ageremus, si aut omnes rejiceremus, aut omnes retineremus, pejus autem si vas argenteum cum fructibus simul retinere vellemus, cùm illud tantùm ornamenti gratia nobis præsentet, ut oculos nostros parum oblectet, non ut arcam impleat. Virtutes, & exempla Sanctorum, sunt veluti pretiosi fructus, quos Deus nobis repræsentat, ut illis vescamur, & comedendo per imitationem, in substantiam nostram vertamus: remittere hos omnes non gustatos, signum foret maximæ ingratitudinis, præcipuè cùm nobis à tam bono magistro, & superiore tribuantur. Fructus hi in vasis argenteis admirandæ pulchritudinis positi, sunt miracula, & prodigiosa opera Sanctorum, virtute divinâ patrata; quæ à nobis non sunt imitanda, sed cum gaudio contemplanda, divinæ majestati gratias agendo, quòd in illis nos honorare, ac pretium virtutum in tam pretioso vase missarũ, cognoscere voluerit, eas pro nobis recipiendo, similesq; Salvatori remittẽdo, honorãdo ipsũ quod nos dignatus sit tali modo reficere. Hæc pulcherrimè explicat mellifluus Doctor S. Bernardus, dicens: *Ad mensam divitis sedens hodiè, diligenter considera, quæ tibi apponuntur, discerne inter cibos, & vasa ciborum*, & paulò post cùm aliqua miracula S. Martini retulisset, subjungit: *Verùm hæc quidem, cæteraq; hujusmodi altissima quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vasa dixerim divitis hujus, auro gravia, gemmis micantia, paritérque materiâ, & operâ pretiosa, noli in his saporem quærere, sed mirare splendorem.*

*Hoc similitudine probatur.*

*Honoranda sanctorum opera sed non imitanda.*

S. Bernard. serm S. Martini.

18. Symbolum horum vasorũ, de quibus loquimur, antiquitùs Arca Testamenti fuit; non aurea solùm quia auro cooperta, resplenduit, verùm etiam, quia Deus per eam multa mirabilia, & prodigia operabatur. Quid in hâc Arcâ cõtinebatur? Nil aliud quàm lex divina, ut probat Ribera, quæ verus est cibus animarum nostrarum; volebatque Deus ut arca illa summè honoraretur, & admiraretur, sed ut lex totaliter observaretur. Hæc ab Hebræis, executioni mandaretur, illa ne quidem contingeretur, sed adoraretur. Hebræi autem contrarium tenentes, legem divinam nullo modo observabant, & arcam sibi retinere volebant, miraculis ejusdem, & protectione frui cupiebant, & legem divinam in ea contentam, exequi renuebant: sicque transgressores divinæ legis effecti, Arcam ad bellum auxilium recepturi secum tulerunt. Sed contrarium illis accidit, nam exercitu eorum destructo, Arca in captivitatem ducta fuit. Id accidisse refert Theodoretus, quia divinæ legis in Arca conservatæ transgressores erant: *Cur enim legem transgredientes,*

Ribera lib. 2. de templo, cap. 2.

*Hebræi arcam perdiderunt, quia legem in eo sitam non adimplebant.*

Theod. serm. 10. de providentia.

*tes, arcam in auxilium traherent, quæ legem intus habebat sitam?* Eodem modo illis accidit, qui auxilia Sanctorum implorantes, non observant ea, quæ opere, & verbis docuerunt; quod S. Leo Papa egregiè docet: *Has divitias concupiscite, & per bonam æmulationem, ipsorum ambite suffragia; cum quibus enim vobis fuerit consortium devotionis, erit & communio dignitatis.* Sicut ergò Dedalus Icarum docuit, volando mediam tenere viam, ita præsumere non debemus patrare miracula, aut revelationes habere, hoc enim esset se nimiũ extollere; nec desperare, si Sanctos imitari nõ possimus, hoc enim esset, se nõ velle à terrâ attollere, cujus hodiè nullum esse periculum arbitror, sumus enim tot culpis aggravati, & pennis meritorum spoliati, ut sublimia mysteria volatu attingere nequeamus: media ergò tenenda via est, ut discamus à rebus terrenis nos parũ abducere, qui enim in terrâ semper hærere voluerit, cælum suis meritis aperire non poterit.

S. Leo serm. 5. in in Epiphania.

*Frustra sanctos invocamus, si virtutes non sequamur.*

19 Patriarcha Jacob celebrem visionem ab omnibus divulgatam habuit, quâ scalam cælum, terramq; conjungentem, ac Deum summitati ejus innitentem, Angelosque per eam ascendentes, & descendentes vidit. Quid de hâc visione experrectus retulit? *Quàm terribilis est locus iste?* Totus perterritus exclamare cœpit terribilem se visionem vidisse: unde hic timor ortum habuit? Vidit cælum apertum, Angelos euntes, Deum intuentem, & nimio timore correptus exclamavit? Nónne potiùs consolari debuit? Hic timor ni fallor ex loco in quo erat originem sumpsit. In terra nuda jacebat, videbaturque illâ visione de cælo corripi, quasi diceret Deus, Angeli non quiescunt, & Deus continuò actiones illorum intuetur, & tu quiescis? Si cupis Angelorum consortio perfrui, & Dei præsentiâ gaudere, oportet te à terrâ sublevare, non supinum jacere; sicut in lecto quiescentem, ita quippè inquit S. Ambrosius: *Non potest meritum Regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem.* Si ergò reprehenditur Jacob qui in terrâ decumbebat, & timet cælum apertum videns; quid fiet in mollibus lectis tantâ commoditate, & ornatu dulciter quiescentibus? Illis profectò cælum non aperitur, scalæ non apponuntur, ut ascendere possint; quinimò ipsis intelligere datur, quod introire non poterunt, quia, *facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in Regnum cælorum*: quod non solùm de actualiter divitias possidentibus, verùm etiam de iis, qui licet divitiis non fruantur, continuo tamen affectu eas appetunt, intelligitur.

*Iacob per visionem correptus fuit.*

Gen. 28. 17.

*Cum sanctis laborandum.*

S. Ambros. lib. 5. in Lucam.

Mat. 19. 24.

20. Rigidè illos corripit sanctus Judas Thadæus, dicens; *Væ illis quia in viâ Cain abierunt*; quæ fuit

Epist. Iudæ 11.

*A terrenis longè discedendum.*

fuit via Cain ? Commentatores in Genesim explicant, Cain totaliter rebus terrenis inhiantem, nihil curasse, nisi ut divitias cumularet, adeò quippè terrenarum divitiarum cupidus erat, ut instar puerorum ageret, à quibus si fructus auferantur ne noceant, etiam panem projiciunt ne comedant. Ita Cain fecit, Deus ipsi dixerat : *Eris vagus, & profugus in terrâ*; adjunxit ipse : *Eccè ejicis me hodiè à facie terræ, & à facie tuâ abscondar.* Ubi notandum, quòd dicat se à terrâ ejectum, & à facie Dei dicit se absconsurum, quasi diceret, quandoquidem mihi terram interdicis, ego me cælo tuo privare volo; & cùm mundo me frui, non permittas ; ego quoque vultu tuo gaudere nolo. O stultitia maxima, non vides tibi terram auferri, ut possis errorem tuum corrigere, & posteà cælum acquirere ? Non vides magnum tibi fieri beneficium, si à terrâ abstraharis ? Licet offenderis Deum, dum tibi parum abstulit, vis totum tibi subtrahere ? Quia privatus es luto, vis te privare auro ? Quia minimâ lætitiâ privatus es, vis te privare æterno & jucundissimo gaudio ? Magna profectò stultitia, quàm multi imitantur, qui propter minimam tribulationem desperantes spiritualia relinquunt exercitia, & à Deo recedunt, idcircò; *Væ illis, quia in viam Cain abierunt.*

Gen. 4. 14.

*Peccatores se æterno gaudio privant.*

Epist. Iudæ 11.

*Sancti pro terrenis æterna appetebant.*

21. Non sic fecêre Sancti, qui parvi res terrenas ducebant, & propriam despiciebant vitam, ut cælo fruerentur, quinimò se cruci submittebant, scientes hominem nasci ad laborem sicut avem ad volatum : propterea si cælum, ut avis volatu petere desideras, oportet te per viam tribulationis, & patientiæ incedere. Sancto Joanni Evangelistæ maxima beatorum multitudo, ex omnibus gentibus, & populis simul collecta ostensa fuit; *Vidi* (inquit) *turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, populis, & linguis stantes ante thronum*; cùm cuperet nosse quales isti essent; nec interrogare auderet, dixit unus de senioribus ipsi; *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Licet ergò maxima sit similitudo electorum, & diversitas statuum, omnes tamen in eo conveniunt, quòd fuerint in maximâ tribulatione. Dum consideraret quinam isti omnes essent, quos videbat, unus de senioribus videns ipsum sciendi cupidum ab ipso petit; *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde venerunt* ? Ad primum nullum datur responsum, sed ad secundum dicitur quòd venerint ex magnâ tribulatione ; cur ad secundum potiùs respondetur quàm ad primum, numquid duæ sunt interrogationes, *Qui sunt, & unde venerunt* ? Si primum dicere noluit, cur secundum exposuit ? Quid opus erat dubium proponere sine solutione?

Apocal. 7. 9.

*Per tribulationem in cælum ascenditur.*

Ibid. 14.

Ibidem.

*Cur binæ interrogationi una responsio.*

23. Respondeo meritò duas, proposuisse interrogationes, quia ad has ordinariè curiositas nostra extenditur; dum personam excellentem videmus, numquam anteà cognitam; si unâ responsione explicare possumus unde veniat; & quis sit, non opus est replicare. Ita hîc dicere eos venisse ex magnâ tribulatione, idem erat ac si dicerentur ex hoc mundo exivisse, juxta expositionē Hugonis Cardinalis; vel esse beatos juxta S. Ambrosii mentem. Cælū non intuetur nobilitatē, divitias, aut aliquid simile, quod mundus magni facit. Sed magnas calamitates patienter toleratas. Eques crucem in pectore portans, absque alio indicio se nobilem demonstrat, qui vulnera in bello accepta gerit, se militem esse indicat; sic qui tribulationibus attritus crucem patienter gerit in pectore, se militem Christi ostentat; qui si interrogetur quisnam sit, utrum habeat salvum conductum; sufficienter respondet monstrando crucem, quâ se nobilem, & à principe privilegiatum ostēdit. Sic S. Joannes volens scire quinam isti essent, & unde venirent, responsum accepit, tribulationē fuisse perpessos, quod ipsi erat sufficiens. Quomodo Angelus nō distinxit, alios martyres, alios Confessores, alios Doctores, alios Virgines fuisse? omnésne erant martyres? Expositores dicunt non fuisse, quia non dicitur, *laverunt stolas suas in sanguine proprio,* sed *in sanguine Agni.* Omnibus ergo electis, (licet martyres non sint) datur palma, in signum victoriæ adeptæ contra mundum, quia omnes socii sunt martyrum, cùm nemo à tribulatione exemptus fuerit, unde Ecclesia catalogum omnium sanctorum totius anni, martyrologium appellat.

*Cælum non divitias aut honores sed calamitates æstimat.*

Vbi suprà.

*Omnes sancti digni sunt gloriâ martyrum.*

24. Quòd omnes Sancti digni sint participare nomen & gloriam martyrum, qui morte violentâ vitam non finierunt, plurimi Sancti Patres affirmant cum Rabano: *Per vitæ meritum Deo digni martyrio non privantur, quia martyrium non solâ sanguinis effusione, sed abstinentiâ peccatorum, & exercitatione præceptorum Dei perficitur.* Sanctus Gregorius magnus etiam inquit: *Esse Martyres possumus, etiamsi nullo ferro, percutientium trucidemur; mori quippè à persequente, martyrium in aperto opere est, ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium est in occultâ cogitatione.* Sanctus quoque Eusebius de S. Jeronymo scribens ad Damasum, inquit: *Duplex est martyrium, unum succumbere gladiis impiorum; alterum in infirmitatibus, & adversitatibus, in animo patientiam custodire.* S. Chrysostomus aureo suo loquendi modo, in tantum Confessores extollit, ut etjam martyribus illos præponere videatur, inter alia sic inquit: *Non est nunc martyrii tempus, certaminum tamen tempus est; Ait enim volentes piè vivere in Christo, persecutionem patientur, etsi non ab hominibus, tamen à da-*

Raban. serm. de omnibus sanctis.

S. Gregor. homil. in Lucam 21.

S. Eusebius epist. ad Damasum

Chrysost. homil. 40.

*Confessores occulti martyres.*

*à dæmonibus, quæ quidem gravior est persecutio.* Rationem statim adjungit cur hæc persecutio pejor sit: *Nam & hoc* (inquit) *malum habet, quod cum sit bellũ esse pax existimatur, ut nec adversus eã armemus, & insurgamus.* Eventus probat mulò meliores esse Christianos tempore persecutionis, quàm tempore pacis: *Gentiles* (inquit) *interrogate persecutores, quando Christianorum mores integriores, quando cuncti probabiliores.*

Chrysost. ubi suprà.

*Cur Ioannes nescivit quæ esset multitudo.*

25. Aliud dubium S. Joannes proposuit; quia illa multitudo quam vidit, collecta erat ex omnibus gentibus populis,& linguis; sciebat ergò quinam essent, vel unde venirent: ex omnibus nimirum mundi partibus; quomodo ergò respondere non potuit interroganti, sed ab aliis edoceri expectavit? An ex multitudine nimia, ipsos ex variis mundi partibus esse colligebat? vel audiverat ipsos loquentes variis linguis? Vel hoc dixit cùm ab Angelo audivit responsum? Aut quod magis mihi placet, à spiritu prophetico edoctus hoc scire poterat? Sed quare ab eodem illi non revelabatur, eos per tribulationem ad talem gradum pervenisse? Sciebat ergo eos ex variis mundi partibus convenisse, cognoscebatque in cælo, patriæ rationem non inquiri, ideo dum ab ipso petitum fuit, unde venerant, respondit se nescire, eo nimirum modo, quo in cælo respondetur; per responsum autem quod ipsi datum fuit, clarè intellexit per tribulationem ad portum æternæ salutis esse perveniendum.

*Cur tribus Dan non numeretur à S. Ioanne inter alias tribus.*

26. Hinc ad aliud dubium facillimè respondetur, cur in tribubus designatis tribus Dan non numeretur? Communis responsio est; quia ex illa tribu orietur Antichristus, ex qua etiam Jeroboam ortum habuit. Sed non minus scelerati fuerunt quàm Jeroboam, Annas, Caiphas, & Iudas, quorum tribus propterea non excluduntur in designato numero. Tribum Ephraim dicere possumus, comprehendi in tribu Ioseph, qui fuit pater Ephraim. Sed de tribu Dan (si verum est, ut aliqui asserunt, ex ea nasciturum Antichristum, & quòd signatis tribubus particulariter denotantur, qui in fine mundi ad Christum convertentur) non malè respondere possumus, de ista tribu nullam mentionem fieri, quia ipsi ex cognatione Antichristi in dignitate, & honore constituentur, sicque à via cælestis paradisi aberrare facillimè poterunt. Idcircò fortè nominata nõ fuit tribus Ephraim, quod nomen significat abundantiam, & prosperitatem, quia natus fuit Ephraim dum pater ipsius in prosperitate esset, idcirco in nativitate ejus dixit; *Crescere me fecit Dominus.* Qui autem felicitate, & prosperitate divitiarum fruuntur; parum apti sunt Regno cælorum. Idcirco S. Gregorius Papa inquit;

*Quia ex ea nasciturus Antichristus*

*Cur tribus Ephraim omissa?*

Gen. 41. 52.

S. Greg. lib. 9. moral. cap. 33.

quit; *Si exceptus es à flagellorum passione, non eris hæres Regni cælorum.* Nec mihi quis objiciat, etiam Ioseph significare incrementum; licet enim verum sit, magna tamen est differentia, nomen enim Josephi positum fuit pro incremento futuro, de ipso enim mater dixit: quando hoc nomen imposuit; *addat mihi Dominus filium alterum;* sed Ephraim significat incrementum præsens, quia pater ejus dixit: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ:* ideo quoque Ephraim figura est eorum qui jam magni effecti, & divitiis locupletati sunt, quod non est signum prædestinationis. Joseph autem signum est eorum qui in futura vita crescere volunt, ideo figura est prædestinationis.

Gen. 30. 24.

*Differentia inter nomen Ioseph & Ephraim.*

27. Adjungamus insuper Joseph post multos labores crevisse, sed Ephraim sine proprio labore, inter delicias, & divitias paternas natum: unde sicut venenum quod cum antidoto præparatum accipitur, nullum damnum, aut nocumentum adfert, sed absque aliquo temperamento acceptum nocet, & sæpè mortem generat; sic mundi venena, honores, dignitates, & divitiæ, si cum antidoto laborum, tolerantiæ, & calamitatum recipiantur, nil mirum, si nullum damnum saluti animæ adferant; sed si absque iis nudæ sumantur, periculis plenæ sunt. Hujus rei pulcherrimum habemus exemplum in duobus primis Regibus Israël, Saule, & Davide; Saul ad Regnum electus est absque ullo labore, bello, tribulatione, aut persecutione, quia à Deo electus, & sine ullâ contradictione à populo acceptus. Quomodo se gessit in Regno? Quos effectus monstravit tantæ dignitatis quam tam facilè adeptus erat? Omnia pessimè ei successerunt, nam inobediens Deo, sceleratus, improbus, & superbus fuit. David è contra per multas tribulationes, persecutiones, vitæ pericula, labores, & ærumnas consecutus est Regnum; quomodo ipsi successit? Felicissimè, nam sanctissimus fuit, & vir secundùm cor Dei, & Regnum optimè gubernavit.

*Honores & divitiæ sine tribulatione multum nocent.*

*Exemplum in Saule & Davide.*

28. Ad hoc propositum magis confirmandū, omittere non possum pulcherrimam admonitionem S. Ambrosii: Adam, & serpens condemnati fuerunt, ut ex terrâ comederent, & viverent; serpenti dixit Deus; *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ;* Adamo autem: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex eâ, cunctis diebus vitæ tuæ;* Maxima tamen inter hos fuit differentia, Serpenti enim dixit Deus, quòd ex terrâ comederet, absque labore; sed Adamo dixit, comedes terram in laboribus, & tribulatione; majus ergò privilegium Deus dedit serpenti, quàm homini? Major inflicta est pœna huic, quàm illi? Nullo modo, quinimò mitiùs à Deo cum homine actum est, dando enim ipsi

*Serpenti & Adamo maledictio terræ diversimodè data.*

Gen. 3. 14.

*Tribulatio & labor cuncta dulciora reddunt.*

ipsi cibum insipidum, eum condire voluit saccaro laboris, & antidoto tribulationis, infirmus quippè solummodo erat, non autem desperatus; Dæmoni autem desperato, terra datur pura absque ullo præservativo, aut antidoto. Hoc, meo judicio, pulchrè explicuit S. Ambrosius, dicens: *Adjectio ista* (videlicet *in laboribus*, vel ut ipse legit, *in tristitia*) *discretionem facit, quia ponit differentiam inter hominis castigationem, & serpentis; Discretio quam vim habet considera*; hic jam ponit differentiam; *Bonum est mihi in tristitiâ magis terram manducare, quàm in delectatione; nam tristitia secundùm Deum salutem operatur*. Hæc nempè particula adjuncta non fuit ad castigationem, sed ad majorem consolationem, ut condimentum aliquod, & præservativum haberet contra venenum bonorũ temporalium, quòd salutem causaret, nec æternam damnationem pareret. Qui ergò hujus mundi illecebris, & divitiis inquinari non vult, eas cum labore, & tristitiâ sumat, qui propriam salutem diligit, qui paradisi januas ingredi desiderat, amplectatur laborẽ, tribulationẽ patienter sustineat, sese in omnibus afflictionibus exerceat, & viam rectam quam omnes sancti tenuerunt, inveniet.

S. Ambros. lib. de paradiso c. 2.

*Tribulatio antidotum contra venena divitiarum.*

29. Non contradicimus nobis, qui alibi diximus, per diversas vias & itinera in paradisũ introire nos posse, quia diversi sunt modi patiendi, & tribulationes sustinendi. Diversis itineribus filii Israël ad terram promissionis pervenerunt, omnia tamen eos duxerunt per aquas amaras, & deserta Arabiæ. Sic diversæ sunt virtutes, quibus beatitudo promittitur, sed omnes continent tribulationem persecutionis, sitis, aut famis, paupertatis, aut mortificationis. Verum quidem est, quod licet variæ fuerunt viæ in mari rubro, cum tamen ad Jordanem ultimum terræ promissionis terminum venissent, una sola via in medio Jordanis aperta fuit, per quam omnes transiverunt. Quod credo, non sine mysterio actum fuisse, quia cùm in Jordane sint aquæ dulces, quæ amorem divinum significant; qui totus est dulcedo, & ultimus terminus conjunctionis cum Deo, una tantum est via. Sed in mari rubro quod tribulationem significat propter aquas salsas, & amaras, variæ sunt viæ, quia multæ tribulationes justorum. Diversæ sunt virtutes morales, quibus ab Ægypto, & tribulationibus hujus mundi liberari possumus, sed una tantum est via quę nos Deo perfectè unit; charitas videlicet, de qua S. Paulus Apostolus loquebatur dicens: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, divisiones gratiarum sunt, divisiones ministrationum, divisiones operationum*; quæ postquam fusè explicuerat, subjungit; *Excellentiorem viam vobis demonstro*, statimque charitatis encomia describere aggreditur. Sicut

In festo S. Martini.

*Diversæ sunt tribulationes*

*Sed una via ad beatitudinem æternam*

1. Corinth. 12, 31.

Ibid, 4.

Ubi suprà.

*Sine charitate cæteræ nihil prosunt*

ut etiam nihil profuisset populo Hebræo transire mare rubrum, nisi etiam postea Jordanem transivisset, & in terram promissionis devenisset; sic S. Paulus affirmat, cæteras virtutes, & tribulationes absque charitate nihil prodesse; hoc amplissimè probat capite 13. Epistolæ primæ ad Corinthios, ubi inter cætera inquit: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quod rectè Christus in hoc Evangelio testatur dicens, non omnes pauperes forè beatos, sed pauperes spiritu, hoc est qui voluntariè paupertatem amplectuntur, non omnes qui esuriunt, aut sitiunt, sed qui sitiunt justitiam; non omnes qui persecutiones, & tribulationes patiuntur, sed qui propter amorem, & honorem Dei eas sustinent.

1. Corint. 13. 3.

*Paupertas & beatitudo videntur opponi.*

30. In his beatitudinibus dignum consideratione est, quòd simul unitæ sint res contrariæ, intellectui humano multum repugnantes. Quid enim magis opponi videtur beatitudini, quàm paupertas? Quid paupertati magis contrarium, quàm esse hæredem integri Regni, & quidem Regni cælorum? Christus tamen inquit; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum?* Pinxit quispiam beatitudinem, cum caduceo, & cornucopia, columnę innixam; meritò quidem, quia in caduceo qui est baculus Mercurii, pax repræsentatur, & dominiũ, in cornucopia quæ abundantia omnium bonorum, in columna firmitas, & stabilitas; quæ conditiones omnes necessariæ sunt æternæ beatitudini, à Boetio definitæ; *Status omnium bonorum aggregatione perfectus. Status* eccè columna, *omnium bonorum*, eccè cornucopia, *perfectus* ecce caduceus qui sapientiæ, & pacis summam perfectionem denotat. Sed paupertatis conditiones habet omnino his contrarias, quia loco caducei, & dominii, ab omnibus despicitur, & vilipenditur; loco cornucopiæ, & abundantiæ, penuriam omnium rerum habet; loco sustentationis, & firmitatis, infirma est & omni auxilio destituta. Quomodo ergo simul stare poterunt, beatitudo, & paupertas? Dicemúsne paupertatem esse præsentem, & beatitudinem futuram? S. Augustinus ait non esse re, sed spe beatos. Sed Christus inquit in præsenti esse beatos, cujus rationem reddit; *Quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Aliæ quoque beatitudines aliquam oppositionem continent, licet non omnes æqualiter, quandoquidem esse mansuetum, & amabilem, non solent esse bonæ conditiones, ut quis terram possideat, sed magis ut perdat: fletus, fames, & sitis, naturaliter opponuntur consolationi, & saturitati; nec videntur posse tribui beatitudinibus, quarum titulo fruuntur.

Mat. 5. 3.

*Conditiones habent planè contrarias.*

Mat. 5. 3. *Aliæ beatitudines oppositionem continent.*

*Christus contraria unire potest.*

31. In hoc profectò apparuit Christum esse magistrũ, & Deum, cui

cui proprium est, extrema copulare: cujus immensæ potentiæ reservatur, contrariis causis extraordinarios producere effectus: cujus summæ sapientiæ facile est, per media inepta & improportionata, ad destinatos fines licet altissimos pervenire: cujus infinitæ bonitati, & amori delectabilis est operatio, simul unire, & amoroso vinculo connectere ferocissimos hostes, & infestissimos inimicos. Sic in principio mundi creavit, & indissolubili vinculo conjunxit cælum & terram: *In principio creavit Deus cælum, & terram*, quæ sunt duo extrema remotissima, illud altitudine, hæc verò profunditate; illud nobilitate, & pulchritudine, hæc ignobilitate, & deformitate; illud amplitudine, & motu, hæc verò exiguitate & quiete. Res quoque summè contrarias simul junxit sextus dies formando, & creando hominem, qui compositus est ex partibus inter se contrariis, quæ sunt anima & corpus, spiritus, & caro; ille Angelorum frater, hæc animalium soror; ille immaterialis, & immortalis, hæc materialis, & corruptibilis; ille ad cælestia aspirat, hæc terrenis inhiat, unde impossibile fuit hæc duo simul copulare; quia, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Dicere omitto hominem ex contrariis elementis, & qualitatibus compositum, diversos habere motus, animales, & spirituales, aliaque innumera quæ quotidiè in nobis experimur. In mysterio etiam Incarnationis, & Redemptionis mirabilia, & insolita considerari possunt; sed quia hæc alibi descripsimus, hic omittimus. Dum ergo in doctissimo sermone Christi quem in monte habuit, res tam contrarias simul videmus unitas, qualis est, paupertas, & beatitudo, aliaque enarrata; concludere possumus, hujus doctrinæ sublimis, nullum alium posse auctorem assignari, quàm Christum: hanc ergo firmiter credendo, & opere exercendo, Dei promissa assequi poterimus, & cum sanctis æterna beatitudine feliciter perfrui.

*Cælum & terram simul junxit.* Genes. 1.

*Homo ex partibus contrariis compositus.*

Ad Gal. 5. 17.

*Christi doctrina nos beatos reddet.*

# IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

## DISCVRSVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

### *De admirandis virtutibus, & modo vivendi ejusdem, in tribus statibus vitæ.*

### Lilium in viridi campo.

#### *Quid in viridi.*

SVMMARIVM DISCVRSVS.

*Proprietates Lilii refert 9. primis numeris.*

*Sanctum Martinum verè fuisse lilium ostendit num. 10. 11. 12.*

*Statum secularem, Religiosum, & Episcopalem, eorumq; obligationem describit à num. 13. usque ad 29.*

*Sanctum Martinum in his statibus verè fuisse Lilium, probat num. 30. 31. 32. 33. 34.*

*Gloriam ejus in cælis refert numeris 35. 36.*

*Christus ad considerationem Lilii nos invitat.*

1. Emmem arbitror mihi indignari posse, aut me vanitatis arguere, si in consideratione Lilii aliquantulum commoratus fuero: nam firmissimo scuto auctoritatis, & præcepti Christi munitus, hoc attentare aggredior, qui dixit: *Considerate lilia agri.* Nullibi umquam legimus eum nos adhortatum fuisse ad considerationem cælorum, aut superborum hujus mundi ædificiorum. Quinimò à discipulis invitatus, ut admirandam, & pulcherrimam templi Salomonis fabricam conspiceret, parvipendens, præteriit & dixit: *Non relinquetur hic lapis super lapidem.* Eos quoque, qui curiosè cælum intuebantur reprehendit, dicens: *Hypocritæ faciem cæli, & terræ nostis probare;* lilium autem à nobis considerari vult, *Considerate lilia agri.* Duo in lilio Christus consideranda proponit: Primò pulchritudinem, quia *nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus fuit sicut unum ex istis:* Secundò divinam providentiam, quia *non laborant, neque nent,* & tamen Deus sic vestit illa, ut

Matt.6.28. Matt.24.2. Lucæ 12. 56.

*In lilio pulchritudo & divina providentia.* Matt.6.29.

nec Salomon in omni gloriâ coopertus fuerit sicut unum ex istis.

2. Quis non admirabitur Lilium, cujus pulchritudo tanta est, & candor adeò excellens, ut etiam alabastrum, & ebur superans nivi quoque candorem invideat? Cujus figura adeò inter flores eminet ut architecti inde formā sumpserint meliori modo, Corinthio vocato, columnas ornandi? Nec Salomon ipse licet sapientissimus meliorem modū columnas ornandi reperire potuit, quàm liliis, cùm enim duas illas columnas celeberrimas in porticu templi statuisset: *Super ipsas opus in modum lilii posuit.* Altitudo quoq; Lilii tāta est, ut inter flores gigas, & Princeps inter subditos appareat; auctoritatem quoque suam erecto collo tenet, & mansuetudinem, versus eos caput parum inclinando demonstrat: *Nec ullis florum* (inquit Plinius) *proceritas maior, interdum cubitorum trium, languido semper collo.* Sicut etiam Princeps dispositus esse debet, ut beneficia è cælo recipiat, non ut sibi avarè retineat, sed ut aliis liberaliter cōmunicet, juxta dictum Psalmistæ: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiā.*

3. Reg. 7. 22.

Plin. lib. 21. cap. 5.

Psal. 71. 3.

*Rorem cælestem recipit & aliis communicat.*

3. Eccò lilium nostrum, nobile, argenteum, & capax vas cælo repræsentans, famelico quasi ore cælestes favores expectat; vel instar marinæ conchæ vacuum se demonstrat, ut rore matutino, & margaritifero primùm impleatur: Quem ubi receperit, non se restringit, & pretiosum abscondit donum, sed ut anteà apertum manet, & quasi scypho argenteo cuilibet participandas offert divitias. Ut etiam se promptissimum in largiendo demonstret, non labra versus se revolvit, quasi retinendi cupidum, sed exteriùs folia explicans, veluti largâ manu omnibus offert. Unumquodque folium, linguæ formam gerit, quâ dicere videtur, cur non fruimini meis divitiis, quas solùm à cælo recipio, ut vobis communicem? Nec hoc contentum, omnes simul frondes in modū campanæ componit, in qua non unus, sed multi reperiuntur mallei, qui sæpiùs aureo capite argenteum tangentes circulum, fragranti odore astantes allicientes, ad pulchritudinem suam considerandam invitant. Si Rex Assuerus in signum clementiæ, & liberalitatis suæ aureum sceptrum extendere solebat; eccè lilium non unum solùm, sed tria aut sex aurata sceptra versus unumquemque extendens, se liberalissimè offert.

*Foliis apertis ut tot linguis omnes invitat.*

4. *Considerate* ergò *lilia agri*, non minùs pulchritudinem, quàm divinam providentiam, quia *non laborant neque nent*, auro tamen & argento pulcherrimè ornata; vestem habent, quæ circumdat, sed non aggravat; ab injuriis defendit, sed pulchritudinem non abscondit: quæ cum crescente accrescit; licet eam semper gerat, numquam lacera, aut trita apparet:

Mat. 6. 28.

*Pulcherrimâ veste circumdatum.*

socia est nativitatis, & nova semper apparet; omni horâ eadem est, colore tamen sæpè mutatur, quia juxta Domini sui statum se accommodat; læta est & viridis in juventute, in flore ætatis candore nitet, in adversitate pallida, in morte ad sepulturam comitatur obscura. Ut cognoscas hæc omnia divinæ providentiæ esse miracula, *considerate lilia agri*; non dicit lilia hortorum, aut quæ in vasis asservantur, & adjutorium ab humana industria habere possunt; sed lilia agri, quæ aperto cælo omnibus temporum injuriis sunt exposita, ubi nemo est qui radicem adaquet, aut terram adjacentem effodiat, nec qui sepem circumdet. Verumtamen *considerate quomodo crescunt*, quomodo, non solummodo conserventur, sed etiam fideliter crescant, non magnitudine solùm, sed & pulchritudine omni die se mirè promoventes.

*Lilia agri non hortorum consideranda.*

5. Gentiles antiqui hunc florem Regium nominabant, dicebantque natum ex guttis lacteis ab uberibus Junonis profluentibus, cùm furtivè odiato Herculi lac præberet, putantes illũ aliquid cæleste continere, eumq; inter flores excellere sicut Hercules inter homines; vel per lac Junonis rorem cælestem intelligebant, quo lilium viride nutritur; vel quia symbolum puritatis, & candoris animi denotabat, unde credebant aliunde, quàm à cælo talem ornatum, & virtutem habere non posse. Nec malè, ut mihi videtur, fabulati sunt qui arbitrati sunt ex eodem lacte Junonis viam lacteã in cælo, & candorem lilii originem sumpsisse, veluti si fratres forent candor lilii in terrâ, & candor astrorum in cælo; virgines etjam hic in terris, & Angeli in cælo fratres appellari possunt, cùm Salvator noster dixerit de virginibus: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Quod autem à rore cælesti lilium virginitatis candorem desumat, testificatur Osee Propheta: *Ero quasi ros, Israël, germinabit quasi lilium*; ero videlicet Israëli ut ros, quo imbutus, lilium candoris, & puritatis virginalis germinabit.

*Gentiles ex lacte Iunonis natum finxerunt.*

Mat. 22. 30.

Oseæ 14. 6.

6. Sed notatu dignum est, quod licet lilium sit communissimum symbolum virginitatis, fœcundissimum tamen est, ita ut de illo Ruellius, & Plinius referant: *Albo lilio nihil est fœcundiùs, unâ radice, quinquagenos sæpè nutriente bulbos.* Quomodo ergò symbolum virginitatis erit, si ita sit fœcundum? Respondeo illud producere alia lilia sine artificio humano, & sine aliquo semine, conservans semper pulchritudinem suam, ubi ex aliis floribus jam decidentibus, & exsiccatis semen accipitur; idem de virginibus affirmare possumus, quę non planè steriles sunt ut mundus indicat, qui apparentiam solam externam intuetur; sed operibus bonis fœcundissimæ, filios spirituales sibi similes procreantes, ideò

*Lilium fœcundissimum cur virginitatis symbolum?*

Ruellius lib. 3. de stirpium nat. c. 57. Plin. lib. 21. cap. 5.

ideò videmus tantam Religionum multitudinem, in quibus virginitas floret.

*Lilia Ægyptiorum cibū prabent.* Herod. lib. 2. cap. 6.

7. Lilia quædam reperiuntur in Ægypto, quæ copiosum nutrimentum hominibus suppeditant; de quibus sic Herodotus loquitur: Quando Nilus excrevit; nascitur in illis aquis magna liliorum quantitas, quæ ab Ægyptiis *Lotos* nominantur: Quæ ipsi colligentes, & in Sole exsiccantes, semen è medio tollunt, papaveris simile, ex quo panem conficiunt. Radices quoq; illorū igne assant, similes magnitudine, & rotunditate pomis nostris, sapore dulces. Ad hæc fortè respexit Homerus, dum dixit Oratores Trojanorum lilia comedisse; quod Cælius Augustus explicans, putavit Poëtam dicere voluisse illos eloquentissimos fuisse, ac locutum de liliis ceruleis, quæ irides alio nomine nuncupantur, quas symbolum eloquentiæ esse dicit; primò, quia varietate colorum ornata sunt; secundò, quia cum cælesti iride similitudinem habent, quæ Dea eloquentiæ putabatur: tandem quia hoc flore fœtidus odor mali halitus corrigitur, gratusque redditur, & quia venena depellit. Non aliter oratio ornata instar flatus suavis gratiā hominū conciliat, discordias, & turbationes, ut venena mortifera tollit; quis negabit Homerum in sacris Canticis legisse, liliis assimulata esse labra Sponsi: *Labia ejus lilia*, ut hinc argumentaretur symbolum eloquentiæ esse debere?

Cæl. Aug. lib. 2. Hieroglyph.

*Lilium eloquentia symbolum.*

Cant. 5. 13.

*Quomodò rubra fiant lilia?*

8. Refert insuper Herodotus in paludibus Ægypti nasci lilia rubri coloris, qui talis effici posset, radicem liliorum, antequam terræ mandentur, imponendo fæcibus vini rubri, aut plantata irrigando iisdem vini fœcibus, quòd ab aliis diversimodè efficitur. Possunt etiam toto anno florida conservari, & diversis temporibus produci, si radix profundiùs terræ imponatur, quò enim profundior fuerit, eò seriùs florem producet. Plurimis rebus radices eorum & folia, & aqua ex ipsis confecta utilia sunt, ut videre licet apud Dioscoridem, Ruellium, & alios.

Carol. Stephan. lib. 5. cap. 88.

*Plurimis rebus utile.*

Dioscor. l. 3. cap. 110.

*Symbolum spei.*

9. Lilium etiam communiter fuit symbolum spei; cujus ratio esse potest, non tantùm quia floribus spes tribuitur, eò quòd fructus sint signa, verùm etiam quia lilium à radice præcisum, diutiùs, quàm alii flores potest conservari, & in aquis positum, nondum totaliter apertum, paulatim folia extendit. In quo personam invictam repræsentat, quæ in adversis animo non cadit, sed continuò sperando perseverat, & confidenter cor suum dilatando ad futura bona disponit, dicendo cum S. Propheta Job: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, & cum fideli Patriarcha Abrahamo, qui *contra spem in spem credidit*.

Job. 13. 15.

Rom. 4. 18

10. Si ergò lilium quod in terra in-

*Quàm pulchrum sit lilium hortorum?*

ra inculta nascitur, pulchrum sit, odoriferum, & excellens etiam à radice præcisum & contra naturam in aquis positum? Quale erit quod in hortis benè excultis, omni industriâ fuit enutritũ? Quàm purius argento, vivacius auro, stipite rectius, viridi colore reliquis pulchrius? Illud est, quòd in emblemate hoc dicto exprimitur, *Quid in viridi?* Ad imitationem Christi, qui ad montem Calvariæ pergens cum cruce ajebat: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vel aliis multis modis explicari potest; depingendo lilium inter spinas cum hoc dicto, *Nec suffocatur, nec offuscatur,* alludendo ad illum locum Cantici: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quomodocumque dicatur, videtur S. Martino congruere, qui nondum per Baptisma in horto Ecclesiæ constitutus, nec doctrinâ spirituali excultus, sed inter milites quasi inter tot spinas pungentes semper alienis rebus inhærentes, fuit animo tam candido, puro, & liberali, ut propter amorem Domini nostri Jesu Christi mediam chlamydem pauperi distribuerit. Quid igitur fecisset, baptizatus, Monachus, aut Prælatus effectus? Si tales fuerint juventutis flores, quales erunt fructus ætatis virilis? Licet etiam videretur mediâ ex parte nudus remanere; potest tamen dici adeò pretiosis vestibus fuisse indutus, ut nec Salomon in omni gloriâ

Lucæ 23. 31.

Cant. 2. 2.

*Optimè S. Martino convenit.*

*Deus vestem S. Martini induit.*

suâ coopertus fuerit sicut ille: habuit quippè vestem auream quæ operit multitudinem peccatorum. Deus numquam dignatus est, se vestibus Salomonis operiri, sed B. Martini veste tegi voluit, & quasi gloriando, illamque Angelis monstrando dicebat: *Martinus adhuc catechumenus hâc me veste contexit.*

11. Quomodo dicitur hâc veste? Non lego S. Martinum integram vestem pauperi dedisse, sed partem vestis superioris; videbatur ergò potiùs dicendum, hâc vestis parte me cooperuit. Sed benignitas, & amor Iesu Christi tantus est erga nos, ut etiam minima ipsi exhibita extollat, & magna reputet. Cùm Christus in domo Marthæ & Mariæ Magdalenæ hospitio susceptus esset, laborabat multum Martha, ut Christo prandium præpararet; & Dominus ipsi dixit: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*; Qualia erant hæc multa? Non alia quàm quæ mensæ Domini apponere cogitabat; credibiléne est, Martham ex improviso venienti Christo in cibis parcissimo, voluisse mensam cibis refertam præparare? Credo equidem parvo numero fuisse fercula apposita, sed Christi Domini benignitati, & amori multa videri poterant.

*Parva Christo exhibita magni existimat.*

Lucæ 10. 41.

12. Quomodo etiam Christus vestem militis gestare non est dedignatus? Cùm indueretur David parvulus vestibus Saulis Regis, eas gestare noluit, dicens se talibus

*Non recusavit vestem S. Martini quia persona amata erat.*

talibus non esse assuetum: sed datas sibi vestes Jonathæ militis libenter accepit; quare has accipiens se non excusavit? Quia vestes erant personæ amatæ, amor autem omnia suffert. Non aliter Christus induere non recusavit vestem Martini militis, quæ multum diversa erat ab ea quam in vita mortali gestaverat, quia erat vestis personæ amatæ. In passione sua simili veste contectus fuit, quãdo *chlamydem coccineam circumdederunt ei*: Quomodo ergo nunc se simili veste contectum monstrat, quæ ipsi memoriam injuriarum præteritarum refricare potest? Quinimo propter hoc credo fuisse chariorem, sicut gratissima ipsi sunt instrumenta passionis, voluntariè toleratæ: vel ignominia quam à veste militari recipiebat, compensabatur honore quem Martinus pro nomine ejus partem chlamydis pauperi dando, ipsi exhibebat, ideoque voluntariè illam gestabat.

Mat. 27. 28.

*Et passionis chlamydem repræsentabat.*

13. Fuit ergo ut pulcherrimum Lilium S. Martinus, de quo omnis generis hominibus dicere possumus, *Considerate Lilia agri*; in ipso enim omnium virtutum admiranda exempla relucent. In ipso sæculares reperient, quomodo vitam disponere poterunt; fuit enim in eo statu humilis, & misericors, licet milites reliquos homines vitiis soleant superare. Ipsum Religiosi contemplari poterunt, quia fuit Monachus mortificatione, obedientiâ, & omni virtute ornatus. Ipsum Episcopi & Prælati imitari poterunt, qui se ab hac dignitate toto affectu & mente longissimè abesse monstravit, & quasi vi compulsus dignissimus apparuit, quia sancto zelo & charitate plenus extitit. Unde Angelicus Doctor acutè ipsi applicat dictum illud Esdræ; *Scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mærens. Scidi pallium*, eccè Martinus sæcularis dividens pallium suum pauperi: *Evelli capillos*, ecce Martinus factus Monachus cui abrasi sunt capilli, omnesque cogitationes terrenæ: *sedi merens*, ecce in throno Episcopali positus *mærens*, quia illibenter promovebatur, & quia ut Angelicus Doctor inquit, proprium prælatorum est plangere culpas populi.

*In S. Martino omnes virtutes relucent.*

*In tribus statibus perfectissimus.*

S. Thom. in concio S. Martini.

1. Esdræ 9. 3.

14. Optime hi tres status, & obligatio illorum, in suprà citatis verbis exprimuntur. Status sæcularium in Esdra vestito tunicâ, & pallio exprimitur, quibus quãvis liceat bonis temporalibus abundare, & frui commoditatibus, ac divitiis; non tamen sibi omnia attribuere, sed pauperum recordari debent; & cum iis hæreditatem dividere, juxtà dictum Isaiæ Prophetæ; *frange esurienti panem tuum*. Non dicit da pauperibus panem tuum, sed rumpe, & da illis partem bonorum tuorum, esto liberalis non solùm cibando, verùm etiam in omni alia occasio-

*Tres status in verbis Esdra expressi.*

*Status sæcularis.*

Isaiæ 58. 7.

ne adjuva egentes.

Gen.15.10. 15. In Genesi refertur Patriarcham Abraham solemne sacrificium obtulisse Deo de animalibus terrestribus, & volatilibus cæli, ita tamen ut animalia quadrupedia divideret per medium & altrinsecus poneret: sed aves non divisit, quod credendum est non fecisse absque mysterio. S. Ambrosius, Rupertus Abbas, & Hugo Cardinalis dicunt in quadrupedibus significari malos, qui intra se mutuò, & in seipsis divisi sunt, quia, *sunt de Regno diaboli, qui in seipso divisus est*; in avibus autem significari bonos de quibus S. Ambros. dicit: *Non sunt enim divisi justi, quibus dicitur, ut sint simplices sicut columbæ.* Sed quandoquidem non aves solùm, sed quadrupedia in sacrificio Deo oblata sint, meritò cum Lirano dicere possem in omnibus repræsentari homines justos secundùm diversum modum illorum vivendi: in quadrupedibus, vitæ activæ deditos. In avibus contemplativos. Nos autem dicemus in quadrupedibus quæ toto corpore, & quatuor pedibus terræ affixa sunt, intelligi sæculares qui negotiis terrenis, & mundanis inhærent. In avibus autem quæ in altum volant, Religiosos, & vitæ spiritualis imitatores. Prima animalia dividuntur, quia sæculares, cogitationes suas partim Deo, partim mundo dividunt; volatilia autem non dividuntur, quia Religiosi se totos, & cogitationes suas Deo offerunt, quod pulchrè Apostolus explicat dicens: *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ domini sunt, quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, & divisa est.*

*Quid repræsentatum in sacrificio Abrahæ.*

Lucæ 11. 81.

S. Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 8.

*Sæculares & Religiosi repræsentati.*

1. Corint 7. 34.

16. Dices fortasse Deum præcepisse ut illi totum cor nostrum offeramus? Numquid per Isaiam dicit: *Pallium breve utrumque cooperire, non potest*? Numquid ipsemet dixit: *Nemo potest duobus Dominis servire, non potestis Deo servire, & mammonæ*? Respondeo, sæculares non debere dividere cor, sed vestimenta; non affectum internum, qui debet totaliter tendere in Deum ut ultimum finem, & unicum bonum, sed externas facultates. Hoc meo judicio bene exprimitur in Levitico, ubi præcepit Deus dum aliquis ad sacrificandum oblationem deferret; portaret simul farinam, oleumque desuper infunderet & incensum, & Sacerdos parum olei, ac farinæ acciperet, sed totum Thus Deo offerret. Farinam ergo & oleum dividere possumus, & partem nobis retinere, ac partem Deo offerre; sed incensum integrum est offerendum: Deus ex parte nostris divitiis contentus est, quæ per farinam significantur, dummodo ipsi oleo lætitiæ offeramus; *Hilarem enim datorem diligit Deus*; sed affectum (in thure repræsentatum) totaliter habere desiderat. Sic S. Martinus, adhuc sæcularis divisit pallium suum pauperi, sed totum affe-

*Sæculares non cor, sed vestes dividere debent.*

Lucæ 16. 13.

Levitic. 2. 1.

2. Corint. 9. 7.

affectum Deo obtulit.

*Status Religiosus affectum mundanum abdicare debet.*

17. Rectè adjungitur quod Esdras abscidit, & evulsit capillos capitis sui, & pilos barbæ, ut ostendatur Religiosos professionem paupertatis emittentes, à se etiam affectus omnes rerum mundanarum abdicare debere; idcirco S. Ecclesia, capillos abscindit iis qui ad habitum clericalem admittuntur. Capillos radere signum est servitutis, qui enim triremibus adjudicantur, raduntur. Micheas Propheta hoc significare videtur dum dicit: *Decalvare, & tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum sicut Aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te*; idem Moyses respicere videbatur dicens: *De cruore occisorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis*. Sic Religiosi dum se voto obedientiæ astringunt, libertatem abdicant & pro amore Dei se servos perpetuò constituunt. Si votum paupertatis includere velimus, dicere poterimus illud significari per evulsionem capillorum ex barba, qui sunt signum virilitatis, quibus Eunuchi sunt privati; Religiosi autem sunt spirituales Eunuchi, juxta dictum Evangelii: *Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter Regnum cælorum*. Hæc tria vota perfectè observabat S. Martinus Religiosus; & de ipso dici potest *sedit mærens*, quia Episcopus erat.

Micheæ 1. cap. 16.

Deuter. 32. 42.

*Religiosi per vota libertati renuntiant.*

Mat. 19. 12.

*Status Episcopalis est docere.*

18. Sedere signum est auctoritatis, & magisterii, in quo optimè exprimitur officium Episcopale, cujus munus est tota vita docere, non minùs opere, quàm verbo, ideò anni gubernationis ejus, explicantur verbo *sedere*, quia tantùm est dicere *sedit annos quinque*, quàm vixit in Episcopatu annis quinque: si enim aliquo tempore non docet, non meretur nomen Episcopi, idem enim significant, Episcopus & Pastor nomen autem Pastoris non meretur, qui gregem non pascit. Insigne Episcopatus est Pastorale, quasi diceretur: *Pastor ale*, Pastor pasce.

*David cur semper baculum manu tenebat?*

19. David adhuc juvenis cùm gregem pasceret numquam sine baculo pastorali aut perâ incedebat; & dum ad Regem Saulem venit ad pugnandum contra Goliath, baculum manu tenebat, & arma Regia respuens solo baculo pastorali armatus, ipsi obviâ processit, ut inquit Scriptura: *Tulit baculũ suum quem semper habebat in manibus*. Quare gestabat manu baculum, ut se sustentaret? Non, quia robustus, & juvenis erat. Contra gigantem quoque ferro contectum, quid prodesse poterat baculus? Noluit tamen David relinquere baculum quod erat signum pastoratus, in omni actione noluit officii, & pecorum oblivisci, quod multò magis animarum Pastoribus est faciendum.

1. Reg. 17. 40.

*Pastor officii memor esse debet.*

20. Indigni sunt nomine Episcoporum, qui aulas Principum potiùs quàm Ecclesiam suam frequentant. Duos præclaros titulos

 Christus

Christus Episcopis tribuit: *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ*: Lux sunt, quia doctrinâ cunctis prælucere debent; sal, quia à corruptione peccatorum subditos suos conservare, & palato divino gratos exhibere debent. Ut lux residere docendo, ut sal sedere debent assistendo. Si inter Solem & terram aliquid interponatur, Sol eam non illuminat; sic Prælatus si continuò Ecclesiæ suæ non adsit, sed per alium gubernare velit, non potest illam lumine providentiæ suæ illustrare. Dici hîc posset, Solem etiamsi non illuminet, influentias suas terræ communicare posse, sic Prælatus, licet non semper sit præsens Ecclesiam regere potest. Sed Christus aliud remedium apposuit, nimirum quòd sit sal, quod cibos condire non potest, nisi adsit, & opus est ut omnia membra penetret; ut cognoscat Episcopus non sibi sufficere ut in palatio suo resideat, verùm etiam necessariam esse diligentiam in visitandis omnibus Diœcesis suæ locis.

*Mat. 5. 13.*

*Episcopus docere, & prælucere debet.*

*Sicut sal omnia penetrat, sic pastor omnia perlustrare debet.*

21. Magna est differentia inter causam efficientem, & formalē. illa enim effectū suum producit, licet non per se, sed per instrumentum tangat: sic videmus sagittarium emissâ sagittâ absentem lædere: sed causa formalis debet esse præsens, & per se effectum producere, non per instrumentum. Prælatus in Ecclesiâ suâ est causa formalis, non efficiens, quod pulcherrimè Prælatorum Princeps S. Petrus demonstrat, dicens: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, &c. *forma facti gregis ex animo*, pascite, inquit, nutrite, & vivificate, Quomodo? sicut causa efficiens? Non, sed sicut causa formalis; *Forma facti gregis ex animo*, non negligenter, sed ex animo, ex toto corde, diligenter, & voluntariè, quia ex formis aliquæ violenter manent in subjecto, ut calor in aquâ; aliæ propriâ naturâ, & inclinatione, ut frigus; inter hos autem modos informandi subjectum, duæ sunt pulcherrimæ differentiæ.

*1. Petr. 5. 3.*

*Formæ aliæ violenta, aliæ naturales.*

22. Prima est, quòd quæ violenter manent, parum in subjecto perdurent, sic videmus calorem parvo tempore in aquis permanere, quia ab igne amotæ, naturale frigus resumunt: naturalis autem forma si vi non expellatur semper remanet. Secunda differentia est, quod forma violenta in subjecto introducta, illud destruat; dum enim aqua igni apponitur, paulatim deficit, per vapores exhalans; sed naturalis, subjectum conservat, & perficit, ac semper in eo moratur ut in frigiditate aquæ conspicimus. Pariter ex Prælatis aliqui sunt, ut formæ violenter introductæ (ut calor in aquâ) & videntur catenis in suâ residentiâ violenter detineri, minimâ enim habitâ exeundi occasione vagantur; & quod pejus est, dum quiescunt, solam quærunt gregis destructionem, sanguinem subdi-

*Aliqui Prælati ut formæ violenta.*

subditorum exugunt ut parentes ditent. Hoc deplorabat Deus per Ezechielem Prophetam, dicens: *Væ Pastoribus qui pascebant semetipsos, &c.*

Ezech. 34. 2.

23. Hugo Cardinalis aliter explicat: *Notandum* (inquit) *quod dicat forma, non utique substantialis, sed accidentalis, & talis separata à subjecto nihil est; sic ergò Prælatus separatus à grege suo nihil est.* His etiam Pastoribus alia Scripturæ loca meritò tribuere possumus, ut est ille Job: *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est*; & Zachariæ: *O Pastor, & idolum derelinquens gregem*: non solùm quia idolum recipit munera, & honores sine aliquo adjutorio, sed quia est quasi non sit. Eodem modo, tales Prælati ditescere cupiunt bonis Ecclesiæ, honorari volunt, nec ullum commodum Ecclesiæ afferunt; sunt quasi nihil, quia vix ullam utilitatem subditis, aut Ecclesiæ præbent. Hinc Deus per Ezechielem Prophetam lamentatur, dicens: *Facti sunt greges mei in rapinam, &c. eò quòd non esset Pastor*; quantum ad curam videlicet, & gubernationem, non quantum ad officium.

Hugo Card. in epist. S. Petri.

Job 18. 15.

Zachar. 11. 17.

*Prælati non honorem sed animas subditorum curare debent.*

Ezechiel. 34. 8.

24. Non confidat ergò Prælatus, gregi suo abesse, eò quòd bono custodi eum commiserit; Quis enim vicarius melior esse poterat Moysis, quàm Aaron frater ejus? quæ fuit urgentior absentiæ causa, quàm legis Dei receptio? In occasione tamen simili, populus maximum peccatum adorationis vituli commisit; eò quòd Aaron qui attendere gubernationi populi debebat, solicitus erat ut inaures à populo acciperet. Sic accidit, dum Episcopo absente Vicarius præest, qui solùm quærit aurum populi, de salute animarum nihil curans: sic Hugo Cardinalis hunc locum Exodi explicat, dicens: *Sic Vicarius pecuniam extorquet à populo sibi commisso, de salute animarum parum curans.*

*Prælatus vicario confidere non debet.*

Hugo Card. in hunc locum.

25. Hoc multò magis timendum si extraneus est, quia minùs subditos diliget, ut magis lucro intendat; & fortè illâ unicâ occasione, patriam deseret. De similibus optimè expressit celeberrimus ille Poëtarum Joannes Baptista Mantuanus Carmelita:

*Prælati absentia damnosa subditis.*

*Hic alienus oves custos bis mulget in horâ;*
*Et succus pecori, & lac subducitur agnis.*

Mantuan. Eclog. 3.

Hunc locum explicans Ludovicus de la Cerda inquit: *Vitium hoc custodum ad omnes proverbialiter transferas, qui male tractant rem sibi commissam, quia non sua.* Majus ergò malum gregi optare non possumus, quàm absentiam Pastoris; hinc Michæas Propheta ut miserrimum statum populi Israëlitici describeret, dixit: *Vidi Israël cunctum dispersum in montibus, quasi oves non habentes Pastorem.* Hoc quoque benè ponderat Mendoza in libros Regum, qui alias multas rationes

Ludovic. de la Cerda in hunc locum

3. Reg. 22. 17.

Mendoza in 1. Reg. cap. 7. annotat. 29.

tiones assignat. Benè ergò de sancto Martino Episcopo dicitur, *sedit*, cui rectè adjungitur, *Mærens.*

*Episcopus pro dignitate contristari deberet.*

26. Dignitates, & honores illibenter recipere debemus, maximè si grave pondus secum adferant, ut dignitas Episcopalis, quæ onus continet Angelicis humeris formidandum. Omitto rationem quam Episcopus reddere debet, pericula quibus se subjicit, ne incuriâ, aut negligentiâ ejus animæ subditorum ad infernum potiùs descendant, quàm ad cælũ ascendant: commiserationem quam pauperibus, & afflictis consolationem, ac seipsum irreprehensibilem omnibus exhibere debet; aliaque multa, propter quæ meritò contristari deberet. Dicamus ergo de S. Martino quod *sederit mærens*, quia continuò Ecclesiæ suæ adfuit, & profuit tam verbo, quàm exemplo; mœrens etiam fuit, quia non gaudebat de honoribus acceptis, sed amarè peccata sua, & populi deflebat.

*S. August. tom. 4. lib. 2. quæst. Evang. cap 44. & in Psal. 154. Ezechiel. 14. 20.*

*In tribus viris tres status designati.*

27. Hi tres status sæcularis, Religiosus, & Episcopalis juxta sententiam S. Augustini demonstrati fuerunt in tribus hominibus Ezechieli Prophetæ significatis his verbis: *Si fuerint tres isti viri in medio eius, Noë, Daniel, & Iob, vivo ego dicit Dominus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi iustitiâ suâ liberabunt animas suas.* Miranda res esse videtur, quòd horum trium potiùs mentionem faciat, quàm Abraham, Isaac, & Jacob Patriarcharum hujus populi; aut Moysis, Samuelis, & Davidis, aut aliorum justorum, cujus rei variæ assignantur causæ à SS. Patribus; sed S. Augustinus dicit in his tribus personis repræsentari tres supradictos status. In Noë qui in medio tempestatum diluvii arcam regebat, Prælati Ecclesiæ designantur, cujus arca figura erat; in patiente Job qui filios, & divitias habuit, seculares familiam & bona temporalia administrantes. In Daniele qui se incontaminatum, & virginem conservabat, Sacerdotes Religiosi; quasi Deus dicere vellet, quòd quivis perfectissimus in omni statu, in hac tribulatione auxiliari non potuisset.

*In Noë Episcopalis.*

*In Iob secularis.*

*In Daniele Religiosus.*

28. Huic expositioni favet ordo quo istæ tres personæ ponuntur: quia non secundùm tempus quo vixerunt sunt positæ, cùm Propheta Job longè ante Danielem vixerit: sed hoc ordine eas recensere voluit, ut status perfectionis indicaretur: Primus enim status perfectionis est Episcoporum, secundus Religiosorum, tertius sæcularium, & quia hæ tres personæ illos status repræsentabant, tali ordine ponuntur. In tribus his statibus perfectissimus fuit sanctus Martinus, quia ut S. Job fuit liberalis, & patiens; ut Daniel contemplativus, & continens; ut Noë providus & diligẽs, qui sicut hic in arca homines salvabat, ita ipse in civitate sua omnes salvare cupiebat, unde in se omnes perfectiones

*S. Martinus virtutes horum trium adeptus.*

ctiones istorum trium continuit; quare de ipso dicere possumus, quod S. Basilius de S. Gregorio Nazianzeno: *Noë Arcã fidei suæ commissam accepit, & servandi mundi semina parvo ligno credita, atque adversus aquarum vim conservata: Hic autem impietatis diluvium effugit, suámque civitatem Arcam salutis effecit in hæreticorum undis facilè, & leviter supernatantem.*

29. Hanc statuum diversitatem, ulteriùs S. Augustinus considerat, quem in eodem proposito sequitur Hugo Cardinalis, qui his statibus applicat illud Evangelistæ Lucæ, ubi Christus dicit: *Erunt duo in lecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur, duæ erunt molentes in unum, una assumetur, & altera relinquetur, duo erunt in agro, unus assumetur, & alter relinquetur.* Per primos in lecto quiescentes Religiosi contemplativi figurantur: per secundas laborantes in mola vertenda sæculares, qui in negotiis mundanis assiduè laborant; de quibus refert S. August. quòd significentur nomine mulierum, quæ debent per alios gubernari; Per tertios, Prælati intelliguntur, qui laborant in agro Dominico; & quia de omnibus Ecclesiæ statibus erunt aliqui electi ad æternam gloriam, & aliqui derelicti in inferno, idcircò, dicitur quod *unus assumetur, & alter relinquetur*; ita ut nullus propter vilitatem, aut professionis humilitatem arbitrari debeat, se totaliter derelictum, singuli enim cum timore, & diligentiâ salutem operantes salvari poterunt.

Hugo Card. in Evang. Lucæ cap. 17.

Lucæ 17. 34.

*Aliter tres status exprimuntur.*

Ubi suprà.

30. Quantumcumque diversi fuerint hi status, in omnibus tamen S. Martinum ut lilium accipere possumus, nec hortorum, sed camporum: non solùm quia S. Martinus non attendit delitiis mundanis, verùm etiam propter impedimenta quæ habuit benefaciendi. Dum sæcularis esset, filius fuit cujusdam Gentilis, & sub Gentili, & Apostatâ Imperatore militavit: Monachus ab Hæreticis persecutus, sæpiùs patriam derelinquere debuit: Episcopus cum Idololatris contendit; semper tamen ut lilium se gessit, nec pulchritudinem umquam, aut odorem virtutis perdidit, candor enim puritatis talis fuit, ut omnes alii virtutum splendores in comparatione istius nulli essent. Sulpitius Severus narrat Monachum quemdam deceptum à diabolo, qui se transformaverat in Angelum lucis, pro signo sanctitatis simulatæ recepisse candidissimam vestem, de quâ gloriabatur inter alios fratres; quam dum S. Martino monstrare fratres vellent, dixit infelix Monachus, sibi esse prohibitũ, vi tamen acceptâ cum Sancto ostenderetur, quæ aliis candidissima apparuerat: ad præsentiam istius albicantis lilii, in nigrum fumum conversa evanuit.

*S. Martinus in tribus statibus ut Lilium fuit.*

Sever. Sulpit. in vita S. Martini.

31. Modus ejus vivendi talis tantusque fuit, ut inde regulam & exem-

*In modo vivendi ut Lilium emicuit.*

exemplar altissimas Ecclesiæ columnas ornandi (Prælatos videlicet & Episcopos) sumere possimus: unde refert Sulpitius Severus, quod civitates felices se reputabant, quæ Episcopum ex schola sancti Martini habere poterant. Ut lilium semper apparuit inter alios flores fidelium, magnitudine excedens; optimè gravitatem sui status cum benignitate animi conjungens. Nec rosæ imperialis purpuræ cedebat, quæ versus illum se inclinabat; illi Imperator primum locum in mensa tribuebat, & Imperatrix ut ancilla ei inservire gaudebat. Nec propterea S. Martinus intumescebat, sed erga pauperes & afflictos tantò magis viscera pietatis exhibebat Episcopatus sui reditus, pauperibus largâ manu distribuebat, & cælestes gratias, quibus abundè ditatus erat, æqualiter omnibus elargiri studebat. Actiones ejus & opera quasi linguæ veritatem prædicabant, vita ejus animata campana erat, quæ omnes ad cælum invitabat, manus aureæ videbantur propter miraculorum gratiam, quam semper omnibus exhibere paratus erat, ita ut ipsi convenire posset, quod de Sponso suo Sponsa in Canticis prædicabat: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hiacynthis*. Hoc ornamentum particulariter semel patuit, dum vestem cuidam pauperi est elargitus, vestemque vilem, nec sibi accommodatam subitò induit, quæ vix

*Ejus humilitas & liberalitas.*

Cant 5, 14.
*Vestis eius miraculosè auro pertexta.*

mediam operiebat tibiam; unde reliqua pars brevior, tota auro, gemmisque cooperta apparuit. Tunc dici poterat, lilium de cælo vestitū gloriosius quàm Salomon umquam in maximâ suâ gloriâ fuit.

Apocal. 3. 18.
*Quomodo hæc scriptura intelligitur?*

32. Quid de virtutibus, quæ animam ipsius ornabant, referam? De quibus in Apocalypsi dicitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimētis albis induaris.* Vbi significari videtur pauperi, ut aurum emat, & dives factus, vestibus albis gratis induatur. Quod contrariè accidere videmus, mendicus enim qui nihil habet, quomodo aurum rem tam pretiosam emere potest? Et qui dives est, quomodo vestes quibus indui oportet emere non debebit? Fortè voluit docere Spiritus sanctus, pro donis cælestibus accipiendis, nullum esse adeò pauperem qui non possit laborare, ut illa obtineat; è contrà nullum esse adeò divitem, qui non debeat recognoscere donum à Deo sibi datum? vel aurum ignitum, charitas esse potest, quæ dicitur emi, quia promereri non potest, cùm nullum habeat pretium æquivalens, sed gratiâ cælesti adjuti laborare possumus, ut illam acquiramus. Vestes etiam albæ sunt virtutes, quę simul cum charitate infunduntur sine aliâ præparatione, quibus S. Martinus optimè instructus fuit, quę singulis annis cum ipso crescentes, fuerunt ipsi in prospe-

prosperitate ornamentum, in adversitate subsidium, in solitudine consortium, in angustiis solatium.

33. Si Lilium fabulentur Poëtæ non cognoscere parentem terrenum, sed ex lacte Iunonis Reginę cæli natum esse: multò melius de S. Martino affirmare possumus; quod cùm parentes habuerit gentiles, ab eis candorem Lilii non sumpserit, sed à S. Matre Ecclesia sponsa Christi, ad cujus ubera accurrit cum septem esset annorum, & per intercessionem Reginæ cæli, cujus semper fuit devotus Cliens, & imitator, candidum evasit Lilium. Nunquam amisit virgineum candorem, nec idcirco perdidit fœcunditatem, sed instar Lilii multiplicavit semen suum, & pater multorum filiorum spiritualium, & Monachorum exstitit. Sicut etiam Ægyptiaca Lilia cibum administrant corporeum, sic ipse prædicatione sua, bonisque exemplis, cibum vitæ æternæ omnibus administravit. Nec color ruber, aut croceus ipsi defuit, quia plurimas persecutiones amore Christi superavit; nam Auxentius Arianorum Episcopus post multas & graves inflictas injurias, eum Mediolano expulit: alibi publicè flagellatus fuit, ac sæpius martyrium ante oculos conspexit, paratus illud voluntariè recipere. Vnde S. Bernardus, concludit, quod sæpius voluntate, & affectu martyr exstitit; *Pro quibus omnibus* (inquit ipse) *dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectum consummatæ passionis, sed toties fuit Martyr affectu devotissimæ voluntatis.* Fuit quippe divini amoris vino perfusus; eoque continuò radicem cordis irrigabat.

*S. Martinus puritatem Lilii ab Ecclesia sumpsit.*

*Voluntate martyr fuit.*

S.Bernard. serm. de S.Martino.

34. Si denique Lilium licet à radice succidatur, diu floridum conservari potest; ita S. Martinus præscindi à radice, & mori non timebat; sciebat enim se diu conservari posse in altera vita; idcirco de ipso dicit Ecclesia: *O beatum virum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.* Ex his duobus quid maximè admirari poterimus, vel quòd mortem non pertimescat; vel labores, & ærumnas hujus vitæ non recuset? Quòd appetat divisionem animæ, & corporis, aut quòd in hac vita mortali pondus sustinere laborum nō recuset? Nobis qui animo & affectu mundo adhæremus, primum pro certo mirum videbitur, sed S. Bernardo qui in sanctitate æquari poterat S. Martino, multò magis admirandū videtur secundum, qui dicit hoc multò plus esse, quàm omnia reliquisse, quod exēplo S. Petri probat, qui voluntariè, & hilariter omnia reliquit, sed in transfiguratione Christi dixit: *Bonum est nos hic esse,* nolens tantum perdere bonum; ubi S. Martinus sciens se ad æternam beatitudinem subitò perveniendū, nihilominus desiderabat multo tempore illa privari, ut proximis à se in labore prodesset.

*Perfecta voluntatis resignatio.*

Mat. 17. 4.

Obedientiæ etiam Angelicæ hoc opus adſcripſit S. Bernardus dicens: *Magna quidem obedientia veſtra eſt Angeli ſancti, ſed quod dicere audeam pace veſtrâ, neſcio an inveniatur in vobis, quiſquam paratus in tale aliquando miniſterium mitti, in quo neceſſe habeat, non videre faciem patris.* Magna denique fuit perfectio S. Martini, non timere mortem, & avidiſſimè deſiderare viſionem Chriſti; ſed multò major fuit non recuſare vitam pro amore ejus: *Magna quidem*, inquit, *in horrenda morte ſecuritas, magna in viſione Chriſti deſideranda, & tam ferventer, & ſingulariter deſideranda perfectio reperitur, ſed id quidem longè amplius per omnem modum, quod qui mori non metuit, imò qui tanto deſiderio præſentiam Domini concupiſcis, vivere quoque non renuis.*

S.Bernard. ſerm. de S. Martino.

*Promptiſſima obedientia.*

Ibidem.

35. Quid de gloria ejus quâ in cælo perfruitur dicam? Non permittit ſe Deus beneficiis vinci: cùm ergo S. Martinus Chriſto dederit medietatem veſtis, non eſt dubitandum, quin optimam partem veſtis glorioſæ illi Chriſtus reſtituerit; veſtis illius de qua Regius Propheta inquit; *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Maximâ ergò gloriâ S. Martinus in cælo fulgebit, veſtitus eadem veſte quâ Chriſtus; vel dicamus, Chriſtum S. Martini veſte decorandum, ſolent quippe Principes veſtes ſuas antiquas quandoque ſervis erogare, numquam autem videmus eos veſtibus famulorum uti. Chriſtus tamen S. Martini veſte contectus eſt. Apoſtolis maximus favor exhibitus, dum veſtes illorum ab aſino cui Chriſtus inſidebat conculcarentur; quanta ergo erit gloria S. Martino, Chriſtum veſtibus eius operiri? Verum quidem eſt in paſſione eum veſtibus aliorum indutum fuiſſe, ſed in opprobrium, ut derideretur, quaſi Rex eſſet. Propterea S. Martinus ut hanc injuriam vindicaret, veſte ſuâ illum contexit, quas adeò libenter ſuſcepit, ut veluti triumphans, illâ uteretur, diceretque Angelis adſtantibus in laudem S. Martini ſe ab eo illâ veſte fuiſſe contectum.

*Maxima gloria S. Martini.*

Pſal. 103. 2.

*Veſte Chriſti induetur, & Chriſtus ejus veſte.*

36. Idcirco S. Eccleſia hanc actionem maximè admirata, licet majora miracula ediderit mortuos ſuſcitando, & dæmones effugando, eum tamen hac figurâ non exprimit, ſed veſtem ſuam cum Chriſto in ſpecie pauperis apparente dividens? Quod meritò facit Eccleſia, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, quia tam liberali affectu eleemoſynam largiri, majus eſt, quàm quodvis miraculum patrare. *Hæc major eſt gratia, quàm mortuos ſuſcitare, eſurientem paſcere Chriſtum, hic enim ipſe Deo debes, eleemoſynâ verò Deum habes debitorem.* Si ergo tanta fuit hæc actio S. Martini adhuc Cathecumeni, & militis? Quales erunt non ſolùm baptizati, ſed etiam Monachi, & Epiſcopi? Quia tunc non mediam ſolùm, ſed integram veſtem pauperibus dedit.

*S. Martinus in equo veſtem dividens cur depingatur?*

Chryſoſt. ſerm. 36. ad popul.

*Epiſcopus integram veſtem pauperi dedit.*

peribus distribuit. Quinimo, non vestem solùm, & bona temporalia; sed seipsum totaliter in pauperum favorem, & Dei obsequiũ præbuit. Si nos post tot annos in fide Catholica peractos, tyrocinium S. Martini imitaremur, quanta bona sperare possemus? *Illud nobis imitandum.* Hoc egit prudentissimè domina quædam, à qua cùm pauper indusium postulasset, famulæ præcepit ut unum porrigeret, cui lacerum afferenti indignans imperavit melius assumere, dicens, magnam fore sibi verecundiam in conspectu Angelorum, si illud Christus ostenderet, diceretque ecce indusium mihi à tali domina datum. Qualis erit verecundia nostra, si Christus de nobis lamentetur, quòd non solùm, non dederimus ei vestes bonas, sed ne quidem laceras, & potiùs illum (ut ita dicam) mori permisimus nuditate, & frigore? Procuremus ergo imitando S. Martinum ita servire Christo, & subvenire pauperibus, *Ne confundamur in die judicii.* ut audire non debeamus confusi in tremendo illo judicio, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, esurivi enim, & non dedisti mihi manducare &c.* Mat. 25. 41. Sed cum gaudio audire possimus: *Venite benedicti Patris mei esurivi enim, & dedistis mihi manducare, nudus eram, & cooperuistis me &c.* Quod Deus meritis Sancti Martini nobis hodie largiri dignetur. Amen.

IN FESTO

# S. CATHARINÆ VIRGINIS,

ET

# MARTYRIS.

## DISCVRSVS VIGESIMVS OCTAVVS.

*De admiranda virginitate, & doctrinâ ejusdem.*

Carduelis quæ industriâ aucupis capitur.

*Scientiam habet vocis.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*Carduelem, ejúsque proprietates refert sex primis numeris.*

*Hoc emblema & dictum Sancta Catharina convenire ostendit, num.* 7. 8. 9. 10. 11. 12.

*Ipsam Sancto Paulo comparat à num.* 13. *usque ad* 29.

*Moysi in morte similem ostendit. num.* 30. 31. 32.

*Proprietates Carduelis ei applicat.* 33. 34.

*Divinam ejus sapientiam exhibet.* 35. 36. 37.

*Avicula suavi cantu Deum laudant & homines excitant.*

1. DIvina providentia solitâ benignitate pulcherrimâ dotem avibus superioris aëris incolis tradidit; suavem nimirum vocem, dulcem harmoniam, facilem, volubilemque linguam, fauces organizatas, vivax pectus, ac promptitudinem mirabilem, ut suavem, & sonorum concentum auribus præbere queant. Quæ amplam aëris scenam ingredientes, auroram noviter surgentem salutant; ac motu suo iteratoque circumvolatu, lætitiam innocentis pectusculi manifestantes, honestos dilectarum suarum amores solicitant. Gratioso deinde modulamine simul contendentes, ad laudem factoris sui se mutuò invitant: somnolentos mortales ad vigilantem ope-

operationem, gratitudinemque versus communem bonorum largitorem demonstrandam, modulatis vocibus, & exemplo alliciunt. Verum quidem est animalia terrestria voce privata non esse; sed aut terribilem, aut ingratam habent, vel auribus parum vel nullo modo sonoram; nec illâ umquam, nisi ad internos animi affectus, iram aut vindictam indicandam uti solent. Vox verò volatilium pennatorum, non solùm delicata est, amabilis, suavis, & grata; verùm etiam solatio, & animi dulci levamini tam sui ipsius, quàm audientium inservire solet: nec tam affectuum cordis, aut passionum internarū, quàm gaudii, & lætitiæ est annunciatrix.

*Animalia terrestria non cantant.*

*Aves majores suavi voce carent.*

2. Dignum tamen animadversione censeo, aves corpore magno aut fortitudine valetiores, modulaminis hujus dotibus insignitas minimè esse. Non Aquilæ altivolæ, non pavones depictis superbæ coloribus, non falcones rapaces, non corvi voraces, nō Anates strepitantes, nec juxta communem modernorum opinionem albicantes cygni. Sed parvæ, ingeniosæq; aviculæ, ut alauda, fringilla, philomela, passeres solitarii, aliæque similes corporibus minores, in quibus non aliud quàm spiritus & vox commorari videtur. Inter hos omnes principem ferè locum Carduelis obtinet, non solùm quia vocis suavitate, verùm etiam animi nobilitate, cordis generositate, industriâ, & docilitate spiritus, ac morum affabilitate omnibus antecellit.

*Carduelis inter aviculas excellit.*

3. Animum generosum ostendit, dum vermiculos, similiaque animalcula quæ aliis sui similibus pro cibo inserviunt, accipere dedignatur, herbis, aut seminibus contenta. Inter alia carduis maximè afficitur (juxta opinionem aliquorū) sed alii probabiliùs putant, seminibus eorum solummodò vesci, prout aliis seminibus ingeniosè uti novit; auferendo corticem superiorem, ut puram, & delicatam medullam suaviùs sumat. Natura quoque illam plumis, & pennis versicoloribus pulcherrimè exornavit, ac caput vermiculante coronâ cinxit.

4. Generosam quoque, & amabilem se demonstrat, dum facillimè sicuratur, & ita docilis est, ut brevi tempore pedibus, & rostro efficere possit, quod nobis manibus est agendum. In aviario quippè collocata, & ad dextram vasculum semine, & cibo plenum, ad sinistrā autem vas aquâ refertum habens, tam dextrè utrumque attollere novit, ut necessitati corporeæ facillimè cum delectatione inserviat; campanulas movens, musicam suaviter sonantem, quasi in organo, volatu suo efficere ingeniosè novit; rotas vertere, personas fictitias movere, aliasque similes actiones non minùs industriè quàm delectabiliter operatur. Eò quod voluntariè & libenter

*Plurimum docilis est.*


ter

Diuvivit. ter in aviariis commoratur, argumentari possumus, eam longâ uti vitâ, nam ubi aliæ aves domūculis inclusæ tabescunt, & præ tristitia sępè moriuntur, Carduelis multis annis in ea se alacrem conservat, ita ut aliquæ ad nonum annum perdurent, & præ nimia senectute vitam finiant. Nec opus est eam semper in aviario continere, nam in domo heri sui assueta, mensis insilire solet, & cibum ex manu domini percipere. Inter se volitantes, invicem ita diligunt, ut si una capiatur, aliæ in adjutorium advolent, & potiùs captæ remaneant, quàm sociam derelinquant.

*Mutuus illarum amor.* 5. Idcircò ingeniosi aucupes, ut multas capere possint, unam tenuissimo alligantes filo, cantu suo alias invitando in rete secum trahere nititur. Solent aucupes mirabili modo has edocere aviculas, ut musicam suaviter cantent; nam in obscuro loco recludentes, aut oculos velantes ne aliis se occupent rebus, cantum edocent; *Facilè docentur canere.* edoctas verò in lucem & apertum aërem producunt, ut varietate illâ recreentur. Hoc aucupium descripsisse videtur Propheta David, dicens: *Eduxit me* (Deus videlicet) *de lacu miseria, & de luto facis.* Pſ. 39.2. Eccè quomodo primò sit reclusus, posteà eductus & sequitur: *Statuit supra petram pedes meos*; quare ô David? ut suaviùs cantem: *Immisit in os meum canticum novum*, quid sequitur? optima au- Ibid. cupatio: *Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino*; quomodo sperabunt, & timebunt? Ibid. 4. Numquid hi effectus sunt contrarii, & se mutuò pellunt ex eodem subjecto?

6. Dicere possem, hîc accipi timorem pro admiratione, ut in S. Luca legitur: *Accepit omnes timor*; id est summoperè admirabantur. *Quomodo Deum possumus timere, & in eo sperare.* Spes etiam, quia de re incerta est semper habet timorem adjunctum, vel *timebunt* accipi potest, Lucæ 7.16. pro *colent*, sicuti accipitur in Deuteronomio: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*: quem locum citans Christus inquit: *Dominum Deum tuum adorabis*, ita ut Deuteron. 6. 13. Matt. 4.10. adorare, & timere idem sint. Sed meliùs meo judicio, hæc duo successivè sumuntur; Primò timebunt, posteà, ut aves ad avem cantantem accedere non audentes, cùm accedunt, captivæ remanent, & tunc sperabunt.

7. De hâc aviculâ ergò in aviario cantante, aliasque seducente dicere possumus, *Scientiam habet vocis*, aut si hoc dicto non Sap. 1.7. sufficienter explicata videatur figura emblematis, adjungi potest, aliud; *capta, captat*, cùm videlicet illa primò capta secum alias in captivitatem pertrahit. Genere fœminino utor, quia fœminæ aptiores sunt ut capiant: vel quia sapiens de muliere vana refert, quod multos secum quasi in rete pertrahat: *Irretivit eum multis sermonibus.* Prov. 7.21. Optima venatrix, ut alias decipiat,

*Carduelis S. Catharinæ optimè tributa.*

piat, est Carduelis, & tantò melius, quò suaviùs cantu suo allicit, quia inter omnes aves, cantu excellit. Cùm ergò sanctissima Virgo Catharina eloquentissima, suavi modulamine vocis & doctrinæ, plurimas animas Deo lucrata sit, variasque insuper habeat proprietates Carduelí optimè convenientes, ei hanc aviculam dedicare, & pro emblemate offerre poterimus.

*Angeli aves cælestes.*

8. Avicula vocari potest propter virginitatem, & scientiam: per quas Angelis similis fuit, qui cum alis in modum avium depinguntur, propter velocitatem & habitationem cælestem; virginitas quoque homines Angelis similes efficit, ita enim inquit Petrus Chrysologus: *Virginitas hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex naturâ; soror Angelorum, victoria libidinum,* inquit Cyprianus: de eâdem sanctus Augustinus *Angelica portio*; S. Bernardus, *de homine Angelum facit,* & virgini cuidam scribens; postquam mentionem fecerat virtutis quâ virgo dotata esse debet, subjungit: *Istiusmodi circumdatâ varietate virginitas, cui gloria meritò non præfertur, Angelica? Angelus habet virginitatem, sed non carnem; sanè felicior quàm fortior in hâc parte, optimus, & optabilis valdè ornatus iste, qui & Angelis possit esse invidiosus.* Hinc B. Petrus Damianus notat, in Apocalypsi noluisse Angelum permittere ut Joannes illum adoraret, dicens: *Conservus tuus sum* propter excellentiam virginitatis, quæ in ipso relucebat. Clarè denique Salvator noster hoc expressit, quòd post resurrectionem universalem: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicuti Angeli Dei:* non obscurè demonstrans, Angelis similes esse personas quæ virginitatem perpetuam conservant.

S. Petrus Chrysol. serm. 3. ann. Cyprian. de virg. S. August. lib. 3. de virg. S. Bernard. epist. 22. & 113.

*Virgines Angelis similes.*

B. Petrus Dam. serm. 1. de sancto Joanne.

Apocalyp. 19.10.

Marci 12. 25.

*Angeli aves liberæ, virgines aves reclusæ.*

9. Inter illos tamen hæc est differentia, quòd Angeli sint aves liberæ, nullū habentes impedimentum carnis, sed virgines dici possunt in hâc vitâ, aves ligatæ, aut reclusæ, quia in carcere corporeæ molis reclusæ destinentur. De hoc sic loquebatur Regius ille Propheta David: *Educ de custodiâ animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Virgines etiam strictè teneri solent, ne illis pretiosum donum virginitatis auferatur. In libro Regum figuram huic rei accommodam reperimus, ubi dicitur, Regem Salomonem duas columnas erexisse, super quas capita in modum lilii fabricata posuit, ac reticulis circumdedit: *Capitella autem* (dicit sacer textus) *quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant,* & de retibus sic ait: *Perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella:* Quasi docere vellet, ut costodiamus lilium virginitatis, non sufficere virgines longè à conversatione hominum, separatas custodire: verùm etiam retibus circumligare, oportere: sic ait S. Ambrosius virginem alloquens: Clau-

Psalm. 141.8.

3. Reg. 7. 19.

*Virginitas maximè conservanda.*

S.Cyprian. lib. de virginitate.

*Claude vas tuum ne unguentum effluat, claude virginitatem verecundiâ loquendi, & abstinentiâ gloriandi*: & Sanctus Cyprianus: *Nunc nobis* inquit, *ad virgines sermo est, quarum quò sublimior est gloria, major est cura, flos enim est ille Ecclesiastici germinis decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis.*

S. Catharina avis reclusa

10. Propter hanc rationem gloriosa Virgo Catharina multo tempore seclusa mansit, & abscondita; sed dum Deus per ipsam nobilem ven[illegible]tionem, exercere vellet, illum in campum apertum jussit prosilire, ut suavi eloquentissimæ vocis modulamine, omnes in admirationem sui pertraheret; quia non solùm propter virginitatem, verùm etiam propter sapientiam, & contemplationem avis erat; cõtemplativi quippe repræsentantur in avibus quas Patriarcha Abraham integras Deo obtulit: quia se totos Deo offerunt, cogitatione, & affectu. S. Catharina avis reclusa fuit, quia volatum speculationis suæ intra cancellos fidei reclusum tenuit; observans præceptum Apostolicum; *In captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*: Sciebat enim per hos cancellos sponsum se videri permittere, juxtà illud Canticorum; *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.*

2.Corint 10. 5.

Cant. 2. 9.

Philosophi à S. Catharinâ devicti.

11. Aves extra hos cancellos volantes Philosophi erant, qui cum S. Catharina disputaturi veniebant; sed adeò admirabilis fuit S. Catharinæ cantus, tam potens eloquentia, tam efficaces ejus rationes, tam ardens animarum zelus, ut penè attonitos cælestis auceps in rete gratiæ efficacis attrahens, omnes feliciter ceperit; cum qua captivantes intellectum in obsequium fidei, perpetuò conservati fuerunt. Optimè ergo S. Catharinæ convenire potest, *scientiam habet vocis*, desumptum ex Sapiente; *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Sciebat enim S. Catharina ita vocem suam dirigere, ut per eam tot animas sit lucrata. Scio locum hunc scripturæ quantum ad litteram aliquos interpretari in alio sensu & passivè sumere, quòd spiritus divinus, de quo loquitur, possit omnes linguas intelligere, sublimes, infimas, doctas & indoctas; nec hoc de S. Catharina negare possumus, quæ omnibus magnatibus, & principibus respondere noverat, sapientibus, simplicibus, minis, & promissis. Sed melius dicemus activè sumi, quia optimè voce suâ utebatur.

*Optimè S. Catharinæ hoc dictum attributum.* Sap. 1. 7.

12. Notandum quoque est, non dici *artem habere vocis*, *sed scientiam habet vocis*, quia cantus ad artem pertinet, prout usus modulatæ vocis; sic Musica, Grammatica, Rhetorica inter artes liberales non inter scientias numerantur. Meritò etiam dicit scientiam, & non artem, duo enim possunt considerari in voce, materiale, quod est sonus

*In voce considerandum materiale & formale.*

sonus vocis, si altus, si velox, si tardus, si regulatus &c. & formale, quod est significatum vocis, videlicet, si acutè dictum, si sapienter, si in tempore, si stolidè, importunè, vel inconsideratè; aptè ergo disponere materiale vocis, sine dubio ad artem pertinet, particulariter in musica, vel Rhetorica, sed disponere formale, ad sapientiam, & scientiam pertinet. S. Hieronymus exponendo locum illum Evangelii: *Ecce ego mitto ad vos sapientes, & Prophetas,* dicit illos *esse sapientes, qui noverint quando debeant proferre sermonem.* Sapiens quoque ait; *os justi parturiet sapientiam*, quia sunt filiæ sapientiæ, verba ipsius sapientiâ plena. In S. Catharina non laudatur materiale vocis, quam scivit moderari; sed formale, quia sapienter, & providè, sua proferre noverat, & verba ipsius divinâ sapientiâ plena erant, & voce aptè uti ut Deo animas lucrari posset; idcirco dicitur habere *scientiam vocis*, non artem.

Mat. 23. 34. S. Hieron. lib. 4. comment in c. 23. Matt. Proverb. 10. 31.

*S. Catharina sapienter voce sua uti noverat.*

13. Quantum in hoc S. Catharina excelluerit, experientia ostendit, quia ab ipsa multi Philosophi, aliique ex populo ut Porphyrius belli Dux, & ipsamet imperatrix ad fidem Christi sunt conversi. Hoc insuper voluit Deus insigni confirmare miraculo; nam ex venis dissecti capitis, non sanguis ut assolet, sed candidum lac defluxit, quod de nullo alio legisse me recordor, quàm de S. Paulo, cui S. Augustinus hoc contigisse refert, quia doctrinâ suâ quasi nutrix primitivæ Ecclesiæ fuit. Propter eandem ergo rationem lac loco sanguinis Catharina emisit, quia doctrinâ suâ quasi nutrix fuit, & magistra totius Ecclesiæ, cùm multos filios Christo pepererit. Ad hoc benè percipiendum, annotanda est mirabilis naturæ providentia, quæ lac solis tribuit mulieribus quæ jam parturierunt, ut enutrire possint prolem jam generatam; cùm ergo lac scaturiat ex corpore Sanctæ Catharinæ; argumentari possumus infallibiliter, ipsam multorum filiorum esse matrem, cùm gratia in suis operibus, non minùs provida sit, quàm natura.

S. August. serm. 22. de sanctis.

*Cur lac loco sanguinis effluxit.*

14. Fuerunt ergo S. Paulus, & S. Catharina, ut duæ nutrices Ecclesiæ, vel sicut duo ubera de quibus dictum est; *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis;* meliora vino erant, quia doctrina illorum nullum habebat fumum, aut spiritus turbantes intellectum, ut vinum in homine causare solet; sed confortabat, & ad modum lactis, quod non solùm pro potu inserviebat, sed etiam pro cibo, cùm non intellectui tantùm prodesset, verùm etiam voluntatis perficiebat mores, & sanctorum virtutum odoribus ubique redolebat. Perscrutemur tamen veritatem rei, & videamus quod quantumcunque S. Paulus, & S. Catharina similes fuerint in multis virtutibus, mirabilior tamen

*S. Paulus & S. Catharina duæ nutrices Ecclesiæ.* Cant. 1. 1.

*S. Catharina S. Paulo similis.*

 men

men mihi videtur S. Catharina. Primò quia S. Paulus in prædicatione sua multos habuit adjutores, nunc S. Barnabam, nunc S. Lucam nunc alios, imò etiam mulieres ut S. Theclam, & alias de quibus scribit; *Rogo & te germane compar adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* At S. Catharina neminem habuit adjutorem, sed sola Imperatorem, omnesque sapientes aggressa, sola argumenta illorum doctissima solvit, sola eloquentiam subvertit, sola illos multosque alios ab errore convertit.

Ad Philip. 4. 3.

*Cur philosophi conversi fidem non prædicarint.*

15. Advertendum quoque est, illos 50. Philosophos quos ad Christianam fidem cōvertit, subitò jussu Tyranni in ardentem rogum conjectos fuisse; mirabile videri potest, cur Deus hoc permiserit, quandoquidem si supervixissent, potuissent sua auctoritate, & sapientiâ plurimos ad veram fidem reducere. Quare ergo Deus in tantum salutis nostræ avidus illos non conservavit? Hoc illum fecisse credo, ut mirabilior S. Catharinæ fervor, & doctrina appareret, quæ cùm sola locum certaminis intraverit, sola pariter de inimicis suis triumpharet; nec ullus superesset gloriæ ejus particeps. Ita ut Imperatricem, & Porphyrium belli Ducem, conversos permiserit Deus subitò affici martyrio; illorum operâ uti nolens, ut conversio gentium, non authoritati principum, aut sapientiæ philosophorum adscribi posset, sed soli Deo, & invictæ famulæ ejus Catharinæ. Sicut in bello dum fortis miles inimicum aggreditur, capitaneus ejus fortitudinem cognoscens, non vult ab alio adjuvari; non quia victoriam non desiderat, sed ut vires militis magis appareant: sic S. Catharina cùm Imperatorem Maximinum ad pugnam provocasset, noluit Deus permittere ut quisquam ei suppetias ferret, cognoscens quàm acriter pro nominis sui gloriâ decertare posset; cui idcirco victoriæ palmam non aliis voluit reservare.

*Ne conversio gentium sapientiæ eorum tribueretur.*

*S. Paulus sibi æquales habuit, S. Catharina non.*

16. Adjungamus S. Paulum invenisse personas sibi æquales in fervore, & spiritu doctrinæ, ideo illos in prædicatione sua socios habuisse. Sed S. Catharina ut phænix unica suo tempore, in sapientia, doctrina, zelo, & sanctitate, neminem admittere voluit socium; fuit in Ecclesia ut instrumentum aliquod excellens, quod à perito lusore solùm exercetur, ut melius unusquisque dulci harmoniâ frui posset. Si insuper comparemus disputationem S. Pauli, & S. Catharinæ cum Philosophis, hanc illam præcellere reperiemus. In Actibus Apostolorum legimus S. Paulum ingrediendo civitatem Atheniensem ubi erat universitas philosophorum, disputasse cum multis: *Quidam autem Epicurei, & Stoici philosophici disserebant cum eo:* notat S. Lucas has duas sectas ut extremas omnium, quia Epicurei

Act. 17. 18.

erant

*S. Catharinæ cum philosophis disputatio felicior S. Pauli.* erant delicatiores in doctrina, Stoici autem severiores. Illi magis quàm alii deliciis, & corporis voluptatibus dediti, hi autem disciplinæ severioris & virtutis amãtes; isti immortalitatem animæ, & providentiam divinam negantes, hi immortalitatẽ animæ credentes, omnia fato fieri existimabant. Videbatur ergo doctrina Apostoli, uni ex his duabus sectis, adeò inter se contrariis, placere debere, nam quod una respuebat, alia amplecti debebat, his tamen non obstantibus, non legimus quemquam ab eo ad fidem perductum fuisse, nisi in fine unum ex judicibus Areopagi Dionysium.

*Omnes ab ea devicti.* 17. Cum S. Catharina non solùm disputabant Philosophi unius civitatis, verùm totius Provinciæ, qui eo tempore aliquo nomine florebant; & quod summoperè mirandum est, in primo disputationis congressu, ab eâ ita superati fuerunt, ut omnes relictâ Philosophiâ, & vanâ doctrinâ, se totos Jesu Christo, & fidei ejus voluntariè submiserint. Nec certò scire possum utrum mihi magis sit admirandum, vel quòd sancta Catharina ita intellectum illorum convincere potuerit, vel quòd voluntatem inflexerit ad Christi fidem tam citò amplectendam, de quâ anteà nihil audierant; primùm certè maximè mirandum, *Admirandum à juvencula fuisse devictos.* quòd Philosophi in libris, & studiis inveterati, opinionis suæ tenacissimi, rationibus puellæ respondere nescierint. Sed secundum non minùs admiratione dignum est, etenim cùm nulla sit res, de quâ magis homines gloriantur, maximè docti, quàm ingenium, & scientia, videntes se à juvenculâ coram Imperatore, omnique populo publicè confundi, & tamquam ignorantes superari; sibi summum dedecus, & injuriam à S. Catharinâ fieri, reputare debuissent, eamque maximo odio persequi. Sed contrà accidit, eam enim omni reverentiâ, & honore prævenerunt; nec solùm intellectum, verùm etiam voluntatem doctrinæ, & consilio ejus subjecerunt, & quam primò acriter oppugnare decreverant, postmodum ferventissimo amore sunt prosecuti.

18. Adjungamus, Philosophis cum S. Paulo disputantibus nullum fuisse propositum præmium, nec secuturam verecundiam si eum non superassent; his verò amplissimi honores, & maxima præmia proposita erant, si illam vincerent, & gravissimæ comminatæ pœnæ si devicti fuissent: quibus Imperator ait, ut cogitarent si vincerent, se Platonem superasse, si verò è contrà, se à muliere fuisse devictos. Hæc tamẽ omnia, & honoris stimuli, & pœnarum metus, ut sese à muliere devictos confiteri possent, non sufficiebant: sed potiùs quàm ejus discipuli esse recusarent, voluntariè mortem oppetiere.

 19. Æta-

*S. Paulus ætate maturus S. Catharina juvenis.*

19. Ætate jam maturus erat Apostolus, quando cum Philosophis disputabat, & Gétibus prædicabat; sed sanctissima virgo tenerrimæ adhuc ætatis, vix decimum octavum annum excedens, eruditissimum quemque superabat. Quis summoperè non admirabitur, eam tam exiguo tempore tantam sibi doctrinam acquisivisse? Quid ad hæc respondisset Aristoteles, qui asserebat juvenes non esse Philosophiæ idoneos, si vidisset adolescentulam, non in Philosophiâ solùm, verùm etiam in aliis omnibus scientiis ita excellentem? Nec sine mysterio anno decimo octavo se manifestavit tantâ scientiâ præditam, quia hic numerus in Græcâ linguâ componitur ex duobus primis litteris nominis Jesu; siquidem *jota* quæ prima est, significat octo, secunda *yta*, decem, quasi nihil aliud in studiis attendisset, quàm Jesum, & gloriam nominis ejus. Quantumvis etiam magnâ scientiâ esset prædita, non tamen ad perfectam cognitionem Jesu, sed tantùm ad priorem syllabam pervenisse dici potest; ut ubi studia finiret, ibi cognitionem Jesu inciperet; ac ubi humana sapientia desineret, ibi sapientiam divinam inciperet, ut totam suæ cognitionis perfectionem à gratia Jesu se recepisse profiteretur.

*Non sine mysterio 18. anno docta fuit.*

*S. Paulus stimulo indiguit ne superbiret, S. Catharina non.*

20. Prosequendo comparationem nostram cum S. Paulo, reperio in ipsius Epistolis, propter excellentiam doctrinæ, ut non superbiret, opus ei fuisse aliquo stimulo, ita enim dicit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet.* Sed S. Catharina licet fortè majorem occasionem superbiendi haberet, quàm Apostolus, nihilominus tam profundâ humilitate prædita fuit, ut nullo stimulo indiguerit quo à superbiâ coerceretur. Sanctam Catharinam quoque majorem occasionem insuperbiendi habuisse, cognoscere poterimus, si consideremus rationes ob quas homines ordinariè superbire solent. Prima est nobilitas, quæ inter homines magni fieri solet, propter quam Hebræi superbiebant, dum dicebant: *Patrem habemus Abrahā.* Catharina autē ex nobilissimâ prosapiâ, regia videlicet & Imperatoriâ erat oriunda, id S. Ecclesiâ in lectionibus ejus officii confirmat, dans ei titulū nobilitatis; sed S. Paulus ex ultimâ tribu Benjamin fuit; qui licet in Gente suâ nobilis haberetur, Judæi tamē ab omnibus contemnebantur.

*2. Corinth. 12. 7.*

*Prima ratio superbiendi in S. Catharina est nobilitas.*

*S. Paulus non adeò nobilis.*

21. Altera occasio insuperbiendi multò major est, videlicet corporis pulchritudo, & decor, proptereà dixit Ezechiel: *Elevatum est cor tuum in decore tuo*, quod magis convenit mulieribus quæ pulchritudinem suam agnoscentes, arbitrantur se esse Deas; unde benè dixit Poëta quidam:

*2. Corporis pulchritudo.*

*Ezech. 28. 17.*

*Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam.*

Ovidius 1. Fast.

Hac

*S. Paulus non formosus corpore.*

Hâc occasione non credò S. Paulum multum superbivisse quia de se ipso in Epistolis suis scribebat, quòd minueret auctoritatem præsentia; sed maximam gloriandi occasionem habuit S. Catharina, quia juvencula erat, formâ corporis adeò decora, ut omnes intuentes in sui admirationem raperet; quinimò ipsemet Imperator licet ab illâ graviter reprehensus, illam admirabatur, & maximos promittebat honores, si contemptâ Christianâ Religione, ejus voluntati obedire vellet.

*3. Scientia.*

22. Tertia & non exigua superbiæ causa esse solet scientia, ut Apostolus testatur, *Scientia inflat*;

*1. Cor. 8. 1.*

sicut enim superat homo reliqua animalia propter ingenium, discursum, ac rationem: sic qui alios ingenio, & scientiâ superat, videtur plus esse quàm homo. Quis ignorat quâ scientiâ fuerit dotata S. Catharina? Experientia id patuit, quinquaginta enim Philosophos superavit illius temporis doctissimos; de ipsa etiam dicitur, quòd eruditissimum quemque superabat; & eò magis admiranda ejus sapientia, quia sexui fœmineo conjuncta.

*Doctior S. Paulo.*

Dices fortasse, S. Paulum Apostolum ultra humanam sapientiam quam habuit, raptum fuisse in tertium cælum, quòd de S. Catharina numquam legitur? Respondeo, majus aliquid habuisse, quia paradisum in terram ad se traxit, cùm sæpiùs ab Angelis fuerit visitata.

*4. Divitiæ.*

23. Divitiæ quoque maximè superbiæ sunt causa, idcircò S. Paulus discipulum suum Timotheum monebat, ut divitibus præciperet, ne superbirent: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere*,

*1. Ad Tim. 6. 17.*

sciebat enim isti vitio divites deditos esse; nec hæ sufficiebant, ut tentationem superbiæ S. Catharinæ ingererent, licet abundantissimè ipsi de omnibus provisum esset. Sanctum Paulum è contrà scimus labore manuum victum sibi quæsivisse, ipso dicente: *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*;

*Actor. 20. 34.*

*S. Paulus pauper fuit.*

licet enim credamus hanc paupertatem ei fuisse voluntariam, ante tamen conversionem non audivimus ipsum multas divitias possedisse.

*5. Innocentia vitæ.*

24. Magna denique occasio insuperbiendi est innocentia vitæ, unde S. Augustinus ait, Deum sæpè hominem in aliquod peccatum cadere permittere, ut se humiliet, & uno veneno aliud expellat. Hanc occasionem etiam S. Catharina habuit, quia virgo fuit, sanctissimæ vitæ, nec opus fuit ut Deus illam in aliquod peccatum cadere permitteret, ut se humiliaret.

*S. Paulus persecutor Christi.*

Quâ virtute S. Paulus privatus fuit, dum aliquo tempore persecutus est Ecclesiam Dei, unde se maximum confitetur peccatorem. Quis igitur inter tot insuperbiendi occasiones, ne vel in minimo se extulisse S. Catharinam non admirabitur? Una ex

relatis sufficiebat, ut aliquis se supra omnes extolleret; & S. Catharina nullâ se humiliandi occasione habitâ, sicut Apostolus Paulus se continuit humiliter, & tantis superbiæ, & vanæ gloriæ ventis agitata, immobilis semper, & inconcussa perstitit; ut hoc maximum divinæ gratiæ miraculum dicere possimus.

*Olympus altitudine excedit ventos.*

25. Inter miracula naturæ refertur, S. Augustino teste, in altissimo Olympi monte cineres immobiles conservari, in quibus si litteræ aliquæ exarentur, post totum anni curriculum indeletæ reperiuntur: quas credibile est ita conservari, eò quòd cacumen montis nubes excedit, nullisque exponitur ventis: sed quòd Catharina in altissimo meritorum monte collocata, & undique procellosis hujus mundi flatibus agitata, in minimo non moveretur, & in corde suo divinæ legis scripturam integram, conservaret, maximè admirandum fuit. Propterea forte sancti Angeli, meritò sacras reliquias purissimi ejus corporis in altissimum Sinai montem intulerunt, quantumlibet enim ibi furiosi spirent venti, corpus tamen etiam in cineres redactum, nullam commotionem sentire poterit, quia fortiter maximis Austri & Aquilonis flatibus resistere solitum.

*S. Catharina omnes superbiæ flatus supera'.*

26. Dicet fortè quispiam, mirabiliorem fuisse conversionem S. Pauli Apostoli, cùm primò fuerit strenuus adversæ partis bellator, sicque Deus gloriosiùs in ipso triumphavit, quia acceptis ab hostibus armis, eos aggressus est. Nec in hoc quidem illi cedit sancta Catharina, licet enim nunquam Christo contraria fuerit, nec satanæ adhæserit; à natura tamen ita formata erat, ut nullum commodius aut perfectius instrumentum, ad hominum ruinam excogitari potuisse videretur. Fuit enim adolescentula pulcherrima, quis autem ignorat decoras mulieres absque culpa sua quandoque esse arma quibus Dæmon alios oppugnat? Nullam umquam Dæmon majorem obtinuit victoriam, quàm per mulierum pulchritudinem; hac debellavit Samsonem, Davidem Regem devicit, insanire fecit sapientissimum Salomonem, & totum mundum diluvio submersit. Quid autem si pulchritudini visus, gratia linguæ, sapientia verborum, eloquens locutio adjungatur? Cleopatram Alexandrinam refert Plutarchus, maximam habuisse gratiam rapiendi corda, non tam propter pulchritudinem exquisitissimam, quàm per mellifluum, & suavem loquendi modum.

*Decoræ mulieres pulchritudine alios alliciunt.*

*Dæmonis instrumenta sunt.*

27. Angelicus Doctor, inquirens cur S. Paulus prohibuerit, ne mulieres in Ecclesia loquerentur, hanc assignat rationem, quia *habent verba inflammantia*, & maximum foret periculum, ne auscultantes in amorem earum potiùs raperen-

*Dulci loquela corda rapiunt.*

raperentur, quàm verbis fidem adhiberent. Sapiens quoque describens mulierem allicientem corda adolescentum; dat ipsi titulum; *Clamosæ, & plenæ illecebris,* quia non minùs suavi voce, quàm amabilibus oculis corda rapit. Talis erat Catharina, pulcherrima, eloquentissima, & ditissima, libertate fruēs, nullumque habens qui illam cohiberet, aut in aliquo retineret, cum parentibus jam orbata esset, unde videbatur aptissimum instrumentum, ut homines amore ipsius in laqueum diaboli, inciderent. Credo insuper sathanam sibi eam destinasse, sed Deus illum prævenit, & quam diabolus instrumentum victoriæ suæ præordinaverat; Deus sibi assumere, & instrumentum perditionis diabolicæ, & liberationis multarum animarum efficere voluit. Omni ergò modo mirabilis, & gloriosa fuit victoria S. Catharinæ, & ut mihi videtur, voluit illam Deus tantis efferre honoribus, ut paulatim ad dignitatem matris suæ posset accedere.

Prov. 9. 13.

*Mirabilis victoria S. Catharinæ.*

28. Fuit sanctissima Mater Christi tribus singularibus prærogativis ditata, quia virgo intacta, fœcunda, & parturiens. Quale sanctæ Catharinæ privilegium Deus contulit? Matrem non effecit, quia hoc soli ejus Beatissimæ Matri competebat, sed lac dedit maternum; quasi diceret, quandoquidem huic meæ sponsæ non conferam privilegium concessum Matri, ut parturiat virgo manens; volo ad minus ipsi concedere lac, argumentum maternitatis, & partus, capite enim ejus amputato, loco sanguinis lac effluxit: Lac ergò Catharina habuit virgo manens, in quo solam habuit comitem Dei Matrem, quæ pariter virgo manens, ubera plena lacte habuit, de ipsa enim canit Ecclesia: *Sola virgo lactabat, ubere de cælo pleno.* Sicut Catharina in hoc beatissimæ Virgini similis fuit, sic aliquo loquendi modo dignitatem Matris Dei participare potuit; juxta doctrinam S. Gregorii Papæ, qui exponendo locum Evangelii: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est;* dicit aliquem Christi Matrem effici prædicando divinam ejus legem, & generādo spiritualiter filios, quod fecit S. Catharina. Nec sine mysterio hoc ei post mortem contigit, voluit quippè Deus significare eam etiam post mortem non perdidisse officium magistræ; nam talia reliquit virtutum & doctrinæ exempla, ut qui usque modò illa consideraverit, & secutus fuerit, securus ad paradisi gloriam poterit pervenire.

*S. Catharina privilegia matris habuit.*

*Cur post mortem lac emisit.*

Mat. 12. 50.

29. Junonem cælestis Regis sponsam fuisse fabulantur Poetæ, ex cujus lacte ab uberibus profluēte (quod dare Herculi negabat) factam esse viam lacteam dicunt, per quam animæ ad cælū ascendere possint. Liceat nobis potius dicere

dicere veram illam cælestis monarchæ sponsam, omnibus lac suum velle distribuere, vidensque multos propter cœcitatem mentis non se disponere, ad illud recipiendum voluit moriens totum distribuere, ut omnibus viam sterneret, puritatis, patientiæ, & amoris divini, per quam incedentes, securè tandem ad paradisum possent pervenire. Voluit fortè ut Deus sacratissimū ejus corpus ab Angelis portaretur, & sepeliretur in monte Sinai, ubi ante legem dederat, ut doceret, non solùm illam perfectissimè legem observasse; verùm etiam mortuam, vivam esse, & animatam legem, quandoquidem ex virtutibus, & modo ejus vivendi addiscere possumus, perfectam legis observantiam. Si Moyses divinus legis lator, Angelicâ manu sepultus fuerit, ut refert S. Thadæus in sua Epistola: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur, de Moysi corpore:* sancta Catharina ab Angelis pariter honorem sepulturæ habuit & digniùs Moyse quia huic præcipit Deus ut moribundus in montem ascenderet, propriis pedibus, & ibi moreretur; sed S. Catharina ab Angelis ipsis in illum altissimum Sinai montem fuit delata.

*Via lactea per ipsam ad cælum facta.*

*Cur in Sinai monte sepulta?*

Iudæ 19.

30. Voluerunt Angeli, ut mihi videtur S. Catharinæ more humano honorem exhibere, personæ enim æqualis dignitatis, consodalis corpus in exequiis sepeliendum portāt; sic clerici clericis, sacerdotes sacerdotibus, monachi monachis charitatis officium exhibent. Cùm ergo S. Catharina mereretur, nomen Angeli, ut antea vidimus, vitam Angelicam in terris ducens, non dedignati sunt Angeli officium charitatis exhibere, & corpus ejus sepeliendum deferre. Supra montem illud collocarunt, non in valle, ut simul cælum & terram concordarent; cælum quippe prætendebat ut corpus transferretur ad cælestia claustra, quia vitam magis Angelicam quàm terrestrem vixerat; terra se opponebat, Catharinam suam filiam esse contestans, quia corpus ejus ex terra erat compositum: desiderabat cælum hoc corpus, ut illo sedes suas, tamquam lucidissimis gemmis, exornaret; repugnabat terra, volens illam tenere pro trophæo victoriæ, & certa norma vivendi; unde Angeli, ut litem illam deciderent, in sublimi monte collocarunt quasi inter cælum, & terram, ut cælum commodè illud posset vicinum sibi intueri, & terra commodè venerari.

*Angelorum socia ab Angelis sepulta fuit.*

*In monte sepulta quia contentio inter cælum & terram.*

31. Si Moyses scaturire fecit oleum & mel de petra, juxta illud: *Eduxit mel de petra, oleumque de saxo durissimo,* Catharina ex seipsa emisit non solùm mel & oleum, verùm etiam lac, ut se demonstraret non inferiorem terrâ promissionis: Mel de labiis ejus egrediebatur, dum loqueretur, quia verba ejus

Deuter. 32. 13.

*Ex S. Catharina mel oleum & lac dimanavit.*

ejus dulciora super mel, & favum, oleum autem orationis, & fervoris, quod ipsam & omnes suos contra dæmonum insultus & mortem ipsam fortes reddebat. Lac protulit, dum ictum carnificis in collo receperat. Hi tres liquores tribus correspondent coronis, quibus in cælo Virgines, Martyres, & Doctores coronantur: candidum lac virginibus, oleum quo se luctatores liniebant, fortitudini martyrum, mel suavissimum divini verbi prædicatoribus convenit: cum verba divina, dulcissima sint, ut Psalmista inquit; *Quàm dulcia faucibus meis eloquia Domini super mel ori meo.*

Psal. 118. 103.

*Virgo, Martyr, & Doctrix fuit.*

32. Unde ipsi optimè conveniunt, quæ de muliere forti dixit Sapiens: *Accinxit fortitudine lumbos suos*, propter castitatem; *roborauit brachium suum*, propter constantiam, & fortitudinem martyrii; *gustavit, & vidit quoniam bona est negotiatio ejus*, propter lucrum animarum quod domino suâ prædicatione, & sapientiâ reddidit. Cinxit fortitudine lumbos, quia ingenti fortitudine opus fuit, ut se conservaret virginem intactam in tantis periculis, & occasionibus, quibus exposita fuit; virgo erat pulcherrima & ditissima, inter gentes non timentes Deum, cum hominibus necessariò agebat, quia doctrinæ intendebat. Brachium fortissimum habuit, quàndoquidem non expectavit ut inimici illam quærerent, sed ultrò se eis objecit, liberè Imperatorem impietatis arguit, furorem, & minas ejus non formidans; nec, sicut Ester, in præsentia ejus, quasi exanimis cecidit, sed intrepidè pro salute populi sui perorabat. Gustavit fructum negotiationis suæ, quia de conversione animarum maximè gavisa fuit.

Proverb. 31. 18.

*Carduelis in colore similis*

33. In quo rectè dici potest officium gessisse tenerrimæ illius avis Carduelis, cui simillima fuit; si enim hæc colore variegato & purpurato ornata cernitur Catharina tali colore decorata fuit, quia (ut quidam volunt) Costæ Regis Cypri erat filia; proprio insuper sanguine tincta, nam gloriosè martyrium subiit, multisque tormentorum exquisitissimis generis ornata exstitit. Aureo insuper colore fulsit, quia non uno solùm instrumento mortis vitam finivit sicut multi martyres, sed multis; unde sicuti S. Stephanus cum lapidibus, S. Laurentius cum craticula, S. Andreas cum cruce, S. Paulus cum gladio depingitur; S. Catharina cum duplici martyrii instrumento depicta reperitur, gladio videlicet & rota. Cùm ergò tam gloriosè triumphaverit, tyrannus illi quatuor rotas velut in curru triumphali præparavit, sed Deus illam hîc in mundo non ita triumphare permisit, sed in cælum invehi curru triumphali concessit, dum enim corpus ab Angelis portatum fuit, credendum est animam majori solemni-

tate, & pompâ cælum perpetuò triumphaturam intrasse.

*Carnis voluptates in vita & morte abhorruit.*

34. Si Carduelis carduis spinosis cibari delectatur, nec umquam carne vescatur: Catharina asperitates, & carnis mortificationes libenter amplectebatur, sine quibus numquam puritatem intactam conservare potuisset, & carnis voluptates adeò abhorruit, ut etiam post mortem carnem suam à nemine attrectari cupierit, ideo Christum rogans ut eam conservare dignaretur, exaudita fuit, & corpus ab Angelis in Sinai montem Arabiæ est delatum. Si Carduelis industriosè victum ad se attrahat, S. Catharina potum & cibum sibi providere novit: quis fuit iste cibus? Sapientia, & cognitio rerum naturalium; quia sicut cibus dentibus masticatur, ut nutrimentum aptum reddatur; sic sapientia rerum naturalium discursu, & labore intellectus acquiritur. Sicut potus absque ullo labore bibitur; sic supernaturalia sine labore aut fatigatione nobis inspirantur; nec illa examinare debemus, aut curiosè investigare, sed tantum firmiter credere. Utrâque sapientiâ, S. Catharina dotata fuit; illam studio acquisivit, hanc verò oratione, in utraque optimè versata.

*Cardueli in comestione similis.*

*S. Catharina sapientissima fuit.*

35. S. Thomas Aquinas S. Catharinæ meritò hanc sententiam tribuit, *Sapiens mulier ædificavit domum suam*, quia sapiens fuit in doctrina morali, naturali, & rationali, disputando quippe cum philosophis illos confudit; miseriam vitæ præsentis agnovit; & optimè mores suos ac totam vitam prudenter ordinavit. In morali similis fuit Abigail; in naturali mulieri Thecuitæ, in rationali Deboræ. Domum Ecclesiæ tribus modis ædificavit, primò adjungendo lapides, secundò illam fortificando, tertiò resistendo illam destruere conantibus. Lapides adjunxit convertendo Philosophos, Imperatricem, & Porphyrium belli ducem; fortificavit fideles sapientiâ illos gubernando, bonisque exemplis confirmando, & Maximino Imperatori fidem destruere conanti fortiter restitit.

*S. Thom. prob. 14. 1.*

36. In hac quoque sanctiss. Virgine maximopere mirandum, sapientiam humanam & divinam sibi invicem adeò oppositam, ut una alteram destruat, & expellat; hìc mirabiliter fuisse conjunctam. Miraculum profectò dextræ excelsi, ideo Christus in Evangelio dicebat: *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Nec sibi ipsi solùm hanc admirabilem sapientiam reservavit, verùm etiam quinquaginta Philosophis eandem divinitus impetravit. Quod sanè divinam ordinationem excedere videtur, Deus enim sapientiam cælestem hujus mundi sapientibus concedere non solet: hìc tamen secreta cælestia mundanis abscondita,

*Sapientia divina & humana mirabiliter conjuncta.*

Mat. 11. 25.

*Aliis eandem impetravit.*

dita, ita cordibus Philosophorum infudit, ut fidem Catholicam amplecti, & mortem pro Christo subire non dubitaverint.

*Amore divino inflammavit.* 37. Notandum insuper aliud admirandum doctrinæ S. Catharinæ exemplum, illam non solùm captivasse intellectum, sed inflammasse affectum. Idcirco de Philosophis qui cum illa disputabant inquit Ecclesia, quod *vi ac subtilitate ejus disputationis tanto Iesu Christi amore succensi sunt, ut pro illo mori non dubitaverint.* Disputationes inter nos sunt causæ rixarum; inde enim teste Apostolo: *Oriuntur invidiæ, contentiones &c.* Videbantur maximè indignari debere Philosophi, videntes se à virgine publicè confusos; sed virtus S. Catharinæ in tantum prævaluit, ut semina rixarum, & discordiarum in manibus ejus semina mansuetudinis, & amoris divini fuerint. *1. Ad Timot. 6.4.* Gloriosissima virgo quæ hodiè in cælis triumphas, & tantis resplendes victoriis, ut meritò in perpetuum lauderis, non à mortalibus solùm, verùm etiam cælestibus, & immortalibus spiritibus: noli indignari si tam pio affectu non te veneremur ut par est; sed impetra à Domino & sponso tuo, ut qui tuas admirandas virtutes intuemur; eas saltem à longè sequamur, & tandem tuâ intercessione, societate & consortio cælestium dulciter perfrui, & majestati divinæ in cælis per te repræsentari mereamur. *Deprecatio ad S. Catharinam.*

# IN FESTO
# S. ANDREÆ APOSTOLI.
## DISCVRSVS VIGESIMVS NONVS.

*De ferventi amore quô Crucem amplectebatur.*

## Crux Stellarum circà polum antarcticum quæ nautas dirigit.

*A longè prospiciens, & salutans.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*PRimam oceani navigationem & Crucis constellationem refert primis* 10. *numeris.*

*Sanctum Andream hilariter crucem suscepisse, ac relictis retibus perfectè Christo adhæsisse ostendit à num.* 11. *usque ad* 25.

*Cur Christus in principio Passionis timuerit, Andreas verò alacriter ad mortem properaverit inquirit, à num.* 26. *ad finem vsque.*

1\. *Laus Christophori Columbi.* NUlla umquam sufficiens poterit excogitari gloria, nullum tam excellens laudis præconium, nulla denique Oratorum reperietur eloquentia, quæ non dico adæquare, verùm ne enarrare quidem possit generosum illum animum, mentemque sublimem fortissimi illius Herois, qui angustis mediterranei maris spretis limitibus, Herculis despiciens columnas, ingenti ausu ferocissimi ingrediens Oceani vada, novâ incognitâque viâ, in tantum prospera extendit vela; ut novas stellas, novos polos, novum mundum, novosque in eo habitantes homines veteribus incognitos, huic antiquo aperiret mundo. Mundum tantis tamque superbis repletum divitiis, ut argentea flumina, aurei montes, margaritarum fontes, gemmarum gurgites, corallii sylvæ, omnis denique deliciarum copia illic reperiri videatur. Fuit hic magnanimus Heros Genuensis natione, *Mundus novus omnibus divitiis abundans.*

natione, cui non immeritò Christophori Columbi nomen inditum, quasi Christum ferens per incognitas terras; perque furentes Oceani undas, instar Columbæ pacem his qui longè annuntians. Verùm quidem est, magnam sibi laudis adsciscere partem, nobilissimam Hispaniæ Reginam Isabellam nomine; cùm enim tantâ premeretur paupertate Columbus, quantâ pollebat industriâ & audaciâ; non sine magni alicujus adjutorio Principis hoc exequi poterat. Cumque plurimos sæpè tentasset Reges & Principes, septemque annis aulam frustrà adiisset Hispanicam, omnibus illud quasi figmentum æstimantibus, una tandem postulationi ejus generosa consensit fœmina: sicque tribus præparatis navibus, immania superans Oceani Maria, ad novum investigandum mundum feliciter processit, victoriamque obtinuit.

*Regina Hispaniæ illum eò direxit.*

2. Sicut tamen ante operis executionem, omnes illud deridebant, & impossibile judicabant; sic victoriâ adeptâ non defuêre invidi qui primam illi gloriam præripere cuperent, nec permittere ut Occidentalium Indiarum primus inventor esset. Dicebant enim navem aliquam ex Anglia in Hispaniam venientem victualibus onustam, ventorum agitatam procellis, in unam Indiarum insulam dejectam fuisse: quæ in Europam rediens, omnibus ferè mortuis nautis, solus nauclerus cũ tribus aut quatuor sociis in Lusitaniam appulit, & à Christophoro Columbo hospitio excepti, ipsum navigationis seriem plenè instruxerunt, paucisque post diebus vitam finierunt. Quis non videat quàm frivola hæc appareat enarratio? Quomodo istius navis non fuisset divulgata fama? Si enim antè Christophori discessũ nõ fuerit detecta, quomodo posteà fuit inventa? Si alii Columbo excepto hoc scire poterant, cur numquam præcognitum? Si ipse solus hoc scire potuit, cur ante dum ipsi prodesse poterat non aperuit, aut posteà dum gloriam suam minueret, edocuit? Hanc ergò fabellam potiùs quàm narrationem veridicam impugnare non aggrediar, sed eam cum ficta illa Amadis de Gaula, & chimericis suis equitibus enarratione relinquam; quod enim fuerit naucleri nomen, quod tempus adventus, quæ forma navigii, numquàm audire potuimus.

*Quidam illi victoriam præripere cupiunt.*

*Sed plurimum falluntur.*

3. Doctior, ac ingeniosior, licet non verisimilior fuit inventio Gundisalvi de Oviedo historici Cæsarei, qui novam terram à Columbo repertam, famosissimas esse asserit Hesperidis insulas, jam à Rege Hispaniæ possessas, antiquitùs cognitas. Sed incredibile est rei adeò memorabilis perditam fuisse planè memoriam, & gentes illas cum Europeis olim frequentare solitas, in tantam de-

*Oviedo histor. Indic. c. 3.*

*Aliqui Hesperidis insulas ab ipso inventas fingunt.*

generasse barbariem, ut repertæ non fuerunt. Cumque hæc maris navigatio, non sine magnetis adjutorio fieri posit, ipsoque attestante Oviedo, primus fuerit Columbus qui artem in Oceano navigandi per gradus altitudinis solaris edocuerit, primus ergò hoc mare intrare debuit, & per consequens, novas invenire terras. Non defuerunt quoque qui has Indias à Salomone repertas inquiunt, & inde naves auro onustas advexisse ferant, sed de his alibi diximus. Quæ ergò causa movit Columbum tam periculosum, & incognitum iter arripiendi? Quo nitebatur fundamento, cùm non solùm maria, & montes, verùm novos quoque promitteret mundos? Quâ denique securitate hæc prævidebat, vt quasi de prospero securus exitu, amplam victoriæ exigeret mercedem?

*Quæ causa movit illum, inquirendi novum mundum?*

4. Dicunt aliqui ipsum inde motum, quia in antiquis reperiebat auctoribus, ut in Platone, insulam aliquam esse maximam, Athlantidem dictam, ultrà Gaditanum fretum. Aristoteles quoque refert mercatores aliquos Carthaginéses fretuum pertransiisse Gaditanum, ibique insulam reperisse fertilissimam, sed inhabitatã, ubi fructuum copiâ, & aëris allecti suavitate domos fabricare cœperunt, illasque inhabitare.: hujus autem insulæ divulgatâ famâ, prohibuerunt Carthaginenses, ne qui eò tenderent, timétes ne Regionis allecti felicitate, patriâ relictâ eò plurimi devenirent. Virgilius quoque terræ incognitæ meminit:

Plato in Timæo.

Arist. lib. de admirandis auditionibus.

*Iacet extra sydera tellus,*
*Extra anni solisq; vias.*

Virg. 6. Æneid.

Seneca clariùs hoc idem explicans, ait:

Seneca in Medea

*Venient annis*
*Sacula seris, quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxet, & ingens*
*Pateat tellus, Typhisq; novos*
*Detegat orbes: nec sit terris*
*Vltima Thule.*

Sed nimis (meo quidem judicio) levis fuisset Columbus, si his auctoritatibus ad tanta motus fuisset pericula: scimus equidem Platonem parabolicè hanc descripsisse insulam; mirabiles Aristotelis enarrationes fabulis scatent: Poëtę fingunt quæ sibi placent, amplam enim habuere semper licentiam omnia pro libitu scribenda.

5. Potiùs existimarem illum ex Cosmographia in qua summoperè excellebat argumenta istius sumpsisse navigationis; sciens quippè Orientales Indias longissimè se extédere, ac ibi ex relatione M. Polo, maxima esse Regna, terramque globi instar esse rotundam, cogitabat per Orientis iter breviùs eò pervenire posse ut socii posteà Magallanes repererunt. Si quoque aliquod ibi fuisset impedimentum, aut insulæ terraque inhabitata, hâc inventâ feliciter triumphasset. Sed his, & similibus naturalibus rationibus, credo ipsum

*Ex Cosmographia argumenta sumpsit.*

ſum interiùs à Deo motum, qui illis tunc gentibus Evangelii lumen infundere parabat. Non fuit ergò hæc patria, nec navigatio antiquis cognita, ſed fabulam putabant quæ varii auctores de iſtis aſſerebant Regionibus, ut S. Auguſtinus quoque reputabat dum dixit: *Quod verò Antipodes eſſe fabulantur à contraria parte terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, nullâ ratione credendum eſt*: benè dixit *nullâ ratione*, quia hoc nullis umquam rationibus probatum eſt, ſed monſtratum experientiâ, & hodiè ita notū, ut de ea dubitare minimè liceat. Non poterant hoc cognoſcere antiqui, putabant enim Regiones illas ita mari circumdatas, ut nullus ad habitandum locus poſſet reperiri commodus: illam quoque partem quam Zonam appellamus torridam ita continuis exuri Solis radiis, ut numquam inhabitari poſſit. Si enim (argumentabantur ipſi) Sol ita æſtate nobis efferveat, ut vix ſufferre poſſimus, quid non efficiet illis in partibus ubi continuò directè ſuos emittit radios? Ita ut mundum in quinque dividentes Regiones, quas Zonas appellabant, mediam dicebant eſſe inhabitabilem propter nimium Solis æſtum, duas quoque extremas propter nimiam Solis diſtantiam, & poli vicinitatem à mortalibus ob nimium hyemis rigorem inhabitare non poſſe ajebant: inſuper ab una ad alteram Zonam, nullum eſſe pervium iter, nec inter ſe dari commercium. Sic Cicero cum Macrobio in ſomnio diſcurrit Scipionis.

*Antiqui has terras ignorarunt.*

S. Aug. lib. de Civit. Dei.

*Quia inhabitabiles iudicabant.*

Cicero in ſomnio Scipionis.

6. Hoc tamen non admittebant Catholici ſcientes ex uno homine totum eſſe humanum genus propagatum. Meritò enim judicabant ibi nullos poſſe eſſe homines ubi non dabatur tranſitus; tranſitum autem impoſſibilem judicabant, non tam propter Regionis diverſitatem, quàm propter Oceani maris immenſitatem, & furioſam rabiem, quam humanâ impoſſibile iudicabant ſuperari induſtriâ. Legebant Antiqui varias diverſorum navigationes, quo modo Alexander in Arabiæ finibus navigari præceperat Oceanum Indicum; quomodo alii totam Hiſpaniam, Franciam, & Angliam navigiis circumdederant; cùm tamen ars Oceanum navigandi nondum inventa fuerat, circa littora hæ navigationes factæ erant; ſi enim alto ſe expoſuiſſent mari, nocte ſuperveniente quaſi cæci errabundi hæſiſſent, neſcientes quò curſum dirigere deberent; quod hodiè non accidit, cum uſu magnetis ſemper ad Stellam polarem, ſive Septentrionem tendentis, ſecurè navis dirigi poſſit. Hæc inventio primum reperta fuit circa annum 1300. à nauta quodam Amalphitano Flavio nuncupato.

*Navigationes antiquorum juxta littora erant.*

*Navigatio Oceani à quo inventa.*

7. Dubium hîc tamen occurrit, quomodo primi pervenerint eò homi-

homines si nondum hanc maris trajectionem cognoscere potuerant? Respondeo tam antiquam ibi esse hominum habitationem, ut nullus de eo vel minimum recordari queat. Quod nobis verisimilius apparet est, septentrionem versus Regionem habitatam esse contiguam, aut saltem parvo distantem freto à mundo novo, sicque transire potuisse, aut tempestate eò delatos fuisse. Ut doctè discurrit Boterus in suis de mundo relationibus. Quod autem Zona media falsò à veteribus dicatur inhabitabilis, docuit experientia; ratione quippe variorum lacuum, multorum imbrium, ventorum frequentia, ac montium opacitate & altitudine, habitabilis reperitur: cum etiam noctes semper diebus sint æquales, ferventem diei æstum, suâ temperant frigiditate, ut idem refert Boterus.

*Boterus in fine lib. 4.*

***Zona media habitabilis.***

8. In hoc ergo emblemate nostro, ardens nautarum exhibuimus desiderium, qui famâ novi mundi, & tantarum illic existentium divitiarum allecti abundantiâ, nihili fecerunt pericula vasti Oceani; sed lineam superantes æquinoctialem, novas stellas, novos inceperunt cognoscere polos. Hic subitò nova exoritur stellarum compositio, quatuor nempè magnæ stellæ circà polum antarcticum, dispositione suâ cruce formare videntur, unde cruciferę à multis nuncupatæ. Hilares ergo nautæ, quasi medium tenentes navigationis iter, illas salutant, sibi invicem læta dantes, & monstrantes nuntia; pulchritudinem illarum laudant, & admirantur figuram.

***Nova constellatio in altero mundo.***

9. Hæc stellarum dispositio, tam propter figuram, quàm propter proprietates, pulcherrimum est sanctiss. Crucis symbolum. Instar enim duorum polorum, videtur mihi vetus, & novum esse testamentum. Testamentum antiquum est polo arctico simile, in quo ursi reperiuntur feri, tunc quippe se Deus demonstrabat severum, ut inquiebat per Oseam Prophetam: *Occurram eis quasi ursa raptis catulis*: novum verò testamentum antarctico polo, in quo Crux ipsius, & ipse apparuit crucifixus. Polus arcticus in Mediterraneo navigantes mari dirigit, sic olim antiquum testamentum Judæas, & Hebræas nationes dirigebat, ipsisque bona promittebat terrena: Antarcticus verò novos cœlos, ac novum promittit mundum, idemque novum testamentum in altera nobis promittit vitâ. Æquinoctialis linea hos duos distinguit polos; & Christus æquus præmiorum distributor, novum & vetus distinguit testamentum. Aquilonaris est polus arcticus, unde frigidus flat Boreas, quia lex antiqua plena erat minis, & timore pœnarum: Antarcticus autem australis, unde dulcis, & calidus flat Auster, sic lex Evangelica lex amoris & gratiæ, divino refovet

*Hac S. Crucis symbolum*

*Oseæ 13. 8.*

refovet amantes calore.

*Cur Crux in cælo splendet?* 10. Antarctico ergo vicina polo Crux resplendet, Crux quippe dux est eorum, qui vitam cupiunt sequi Evangelicam: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* (Matt. 16. 24.) In cælo Crux apparet, quia Crux inventio est cælestis, & cælorum clavis; *Per multas tribulationes oportet nos intrare Regnum Dei.* (Act. 14. 21.) In cælo hæc crux in altero apparet mundo, quia hîc in terris apparuit, ut in cælo Crux esset admirabilis, in terra verò venerabilis. *Vt aërem purificaret.* Sicut enim Christus in aëre moriendo illum purificavit, & sanctificavit; hæc enim (ut sanctus testatur Athanasius) una fuit ex rationibus cur Christus in Cruce elevatus fuerit: *Non enim* (inquit ipse) *sine ratione in aëre sublimatus, aërem purgavit ab omni diabolica infestatione*; (S. Athanas. de incarn. verbi.) sic dæmones ex aëre pulsi cælum ipsum occupare, & diffamare volebant, hominibus persuadendo sub nomine falsorum Deorum, ibi esse illorum sedes, sic Saturnum, Jovem, Mercurium, Martem, & alios, cælos inhabitare fingebant, quos Dominus morte sua purificare volens, *Vt Christus se ostendat cælorum Dominum.* Crucem in cælis posuit, ut se verum esse illorum Dominum demonstraret. Propterea non solùm Constantini temporibus Crux in cælis resplenduit hoc addito dicto: *In hoc signo vinces*; verùm etiam assiduè illam ex stellis cōfectam, in cælis perfectissimè semper reperiri voluit. Ex splendentibus hæc Crux formata est stellis, tantâ *Cur ex stellis confecta?* quippè abundat luce, ut non parva, eam amantibus, splendoris, & luminis occasio fit. Unde Salvator noster Christus jam passioni proximus dixit: *Pater clarifica nomen tuum*, & venit vox de cęlis respondens; *& clarificavi, & clarificabo*; (Ioan. 12. 28.) S. quoque Andreę in Cruce pendenti clarissima de cælo lux oborta est totum ipsum circumdans. Et S. Joannes de morte S. Petri loquens, quæ per crucem futura erat, illam glorificationem vocabat: *Significans quâ morte clarificaturus esset Deum.* (Joan. 12. 33.)

11. Non fuit antiquis cognita hæc quatuor stellarum Crux, sed *Antiquis non cognita hæc constellatio.* à novi mundi inquisitoribus reperta. Nec Crucis gloria antiquis fuit cognita, sed iis quos Christus ad novi inquisitionem mundi, præceptis suis, & promissionibus instituit. Inter hos autem fuit S. Andreas Apostolus, qui licet primò parvula cymba angustas inter undas se contineret Galilææ maris; Spiritus tamen sancti aurâ perceptâ, in vastum gentilitatis Oceanum se totaliter immersit, & *Cur S. Andrea primò cognita.* ad hanc Crucem aciem mentis semper intendens, nihil præter eam desiderare, aut prædicare videbatur. Quando porrò Proconsul Ægeas maximum illi parare videbatur tormentum, ad Crucem condemnans: illam tam benigno accepit animo, tanta... amplexus est hilaritat... nuptias frequentare vid...atur. Cùm progrediendo

grediendo à longè illam conspicere poterat, tam amicabilibus allocutus est verbis, ut divino fuerit amore inflammatus. Optimè ergo illi applicare potuimus verba; *A longè aspiciens, & salutans*: sumpta ex Divi Pauli ad Hebræos epistola, ubi de antiqui testamenti patribus loquens ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, à longè eas aspicientes, & salutantes*: mortui sunt videlicet omnes isti, promissis à Deo factis frui non valentes, sed fidei oculis illas intuentes, & quasi à longè salutantes in pace requieverunt.

*Optimè ei hoc emblema tributũ.*

Ad Hebr. 11.73.

12. Multò ergo ipsis felicior fuit S. Andreas, ipsi enim à longè promissiones salutantes, ad eas pertingere non poterant, hic Crucem salutans, ipsius amplexibus frui poterat. Mirabilis fuit ejus amplexus; quis enim umquam audivit aliquem tam benignè mortem invitasse, mortem Crucis tam duram, ac ignominiosam ut S. Andreas? Vt enim gentiles & reliquos omittamus justos, quis nescit Redemptorem nostrum Deũ simul & hominem, tanto mortis affectum fuisse timore, ut de ea tantùm cogitando, *cœperit pavere, & tædere*? Quid nos ergo dicemus? Fortè ad illam recurremus fabulam ubi dicitur, mortem & amorem simul iter facientes nocte inveniente in idem divertisse hospitium, cumque egrederentur manè, unus amoris accepit arma, ita ut amor occidere, mors verò amore accendere cœperit? Sed hunc amorem in aliis mors quoque causasset, quod non legimus factum. Fortè quia Crux scala cæli, tantopere à S. Andrea amabatur? Sanctiss. Patriarcha Jacob scalam vidit admirabilem, quæ à terra ad cælum usque pertingebat, hac tamen visione ita perterritus mansit, ut dixerit: *Terribilis est locus iste*: licet quippè hac iter in cælum pateat, difficilè tamen ascenditur. Dicemus fortè ipsum Christo esse fortiorem? Ne hoc quidem dixerimus: à Christo enim omnis fortitudo in sanctum Andream pervenit.

Marci 14. 33.

*Cur S. Andreas Crucem adeò hilariter susceperit.*

Gen. 28. 17.

13. Vera est ergo responsio quam reddidit Apostolus dicens: *O bona Crux quæ decorem de membris Domini suscepisti*: à se non habuit virtutem inflammandi amore, sed ipsam à Christo recepit, dicere pariter poterat, quæ honores, divitias, dignitates, sanctitatem recepisti: sed non sine mysterio solius mentionem fecit decoris. Dum aliquis quandam puellam vult ducere uxorem multa inquirere solet, de nobilitate, de dote, de parentibus, & pulchritudine ipsius: sed si maximo ipsius est inflammatus amore, solam pulchritudinem considerat. Pari modo S. Andreas, cum ingenti Crucis esset amore succensus, in ea non honorem, divitias, aut dignitatem, sed solam pulchritudinem attendit: quasi diceret quamvis per

*Quia Crux à Christo decorem suscepit.*

*Et Crucis amore inflammatus erat.*

per te ad cęlum ascendere non debeam, nec ullum recipere bonum, propter decorem tamen tuum te amare non desinam. Amor ergo S. Andreæ perfectus erat, à Christo quippe vocatus omnia reliquit, maximè rete, de quo particularem voluit Christus fieri mentionem, unde S. Matthæus de SS. Petro & Andrea dicebat: *continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Videbantur debuisse secum afferre retia, quandoquidem à Christo ad piscandum invitabantur; *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Quomodo ergo non secum attulerunt retia sua? Intelligebant Christum de alia loqui piscatione, in qua talibus non opus erat retibus; quin imò ut bona foret piscatio nulla adferre debebant retia. Retia adferunt prædicatores illi qui proprium quærunt lucrum, qui pro argento, auro, dignitatibus, aut honore prædicant; hi non sunt prædicatores Apostolici, aut Christi discipuli, sed proprii commodi procuratores, qui idcirco nulla animarum lucra facere solent.

Mat. 4. 20.

*Cur relictis retibus secuti Christum?*

*Prædicatores non secum retia adferre debent.*

1. Petr. 5. 2.

14. Ab hoc prædicationis abusu seducere nos cupiebat Princeps Apostolorum, dicens: *Pascite qui in vobis est gregem, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ*; ubi advertendum non illum prohibuisse ne lucri gratiâ prædicaremus, sed turpis lucri gratiâ; prædicatores quippe solum lucrum intendere debent honestum, quale est lucrum animarum, & gloriæ cælestis, non autem turpe lucrum, quale est argenti, vel auri. Sed cur hoc lucrum vocat turpe? Quia fortè occasio est turpis? Minimè, quia pulcherrima est occasio, prædicationis nempè divini verbi: in seipsa fortè res est turpis? Nec hoc quidem, cùm aurum & argentum sit pulcherrimum. Puto ergò ipsum hoc vocare turpe ratione concionatoris: sicut vilissimum est alicui Principi se exercitiis implicare mechanicis, ut reficere calceos, aut linum texere; sic tam sublimis est prædicatoris dignitas, ut lucris attendere temporalibus minimè ipsi conveniat, idcircò turpe vocatur lucrum, taliter acquisitum.

*Quale sit turpe lucrũ*

15. Retia vocare possumus speciosa verba, de muliere quippè vaniloqua Scriptura refert, quòd Sirenis instar blanditiis, & vagis sermonibus juvenem irretiverit: *Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis verborum protraxit illum.* Hæc autem retia relinquere quoque debent prædicatores, & simplicitate verborum ac claritate uti, non exquisitis verborũ flosculis; quod S. Hieronymus his verbis clarè docet: *Iam in Ecclesia missa Apostolicorum simplicitate, ac puritate verborum, quasi ad Athenæum & auditoria convenitur, ut plausus circumstantium comitetur, ut oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum*

Proverb. 7. 21.

*Retia sunt speciosa verba.*

*cum* &c. Quæ verba optimè conveniunt cum eo quod Salomon de muliere mala dixit, verbis ejus dulciloquis incautum decepisse juvenem. Hanc quoq; retem potissimum effugere studebat, sanctus Paulus dum dixit: *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & veritatis.* Benè quidem sapientiæ humanæ & Rethoricis verbis, demonstrationem opposuit spiritus & veritatis, quia plusquam retia retinent fortiter. Ea quæ ceperunt; illa occultè, hæc apertè, illa se in ostensione aperiunt, & plena sunt vanitate; hæc autem plena Spiritu sancto & veritate.

1. Cor. 2. 4.

*Peccator ex puro corde converti debet.*

16. Aliud quoque documentum insigne nobis reliquit S. Andreas, dum retia deseruit: ex puro nempè corde debere Christi discipulum ad Deum converti; nec sufficere peccata relinquere, verùm etiam instrumenta, & occasiones peccandi; licet enim sanctus Andreas licitè piscaretur, peccatores tamen repræsentabat, qui in hujus mundi pelago honores, commoda, voluptates piscantur. Idcircò à Domino vocatus, non mare solùm reliquit; verùm etiam cuncta quæ habuerat instrumenta, ut ostenderet se numquam ampliùs eò velle reverti. Pari modo qui ex puro ad Deum convertitur animo, non tantùm à peccatis, & Dei abstinere debet offensione, sed etiam instrumenta, & occasiones quæ illum ad peccatum aliquo modo impellere possent, planè deserere. Romani gubernationem civilem optimè intelligentes, numquam pacem cum inimico armato inibant, sed si amicus esse vellet, non modò necesse erat derelinquere bellum, verùm etiam arma deponere; quinimò cum Pirrho Rege numquam de pace tractare volebant, nisi primò ex Italia discessisset. Sic ei qui pacem cum Deo inire vult, peccata deserere non sufficit, sed peccandi occasiones sunt vitandæ: non tantùm venatio est abdicanda, verùm etiam canes dimittendi; non solùm intermittendi lusus, sed chartæ sunt comburendæ, & aleæ projiciendæ: mulieribus non tantùm ornatum despicere convenit, sed etiam instrumenta remittere, ut Maria Magdalena fecit, & superfluum cultum Ecclesiis dicare, ut Hebrææ mulieres tempore Moysis effecêre.

*Occasiones peccandi vitandæ.*

Alexand. Neapol. lib. 5. c. 3.

17. Regius Propheta David cùm maximam prædicere vellet pacem, quam Christus afferre mundo debebat, noluit solummodo prædicere, quod *auferet bellum usque ad extremum terræ*, sed adjunxit eum omnia instrumenta bellica confringere debere: *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni*; cùm enim arma adhuc apparebant integra, plenaria pax esse non videbatur. Adjungo insuper hanc conditionem adeò esse necessariam, ut si aliquod tibi utilissi-

*Non est perfecta pax si arma remaneant.*

Psal. 45. 10.

utilissimum membrum contradicat Deo suo, & illi pugnam intentare audeat, illud comminuere, & à te projicere oportet, ne Deus pacem tibi neget, quamdiu reluctans tibi adest membrum: unde Salvator ait: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te abscinde eum, & projice abs te, & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Notandum hîc est non sufficere ut oculum claudas, sed oportere ut eruas; non solùm debes ligare pedem, & impedire ne suo fungatur officio, sed etiam illum abscindere.

Mat. 18. 8.

*Occasiones longè projicienda.*

18. Ampliùs dico, non sufficere, ut illum abscindas, sed etiam à te projicere debes; si abscissus est, quid refert utrùm propè te sit vel longè à te? Poterítne aliquis abscisso pede uti, ut vadat quò voluerit? Nihil refert (inquit Salvator) projice longè à te. Serpens dum in multas secatur partes, si vel minima pars pellis adhæreat, statim iterum conjungitur, & sanatur; ita hæc membra, de quibus Salvator loquebatur, naturam participant serpentis; idcircò nisi longè separentur à nobis, iterum ad præterita nos impellunt vitia. Hinc in Psalmis dicitur: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Non enim sufficit intra se id non admittere, sed nec propè nos habere possumus, aliàs de illis erimus de quibus ait S. Bernardus; in quibus *Peccatum cùm non dominatur, ut prævalet, evulsum quodammodo, necdum tamen expulsum, & dejectum, sed non prorsus ejectum.*

Psal. 90. 10.

19. Parum utile fuisset sancto Andreæ alia relinquere, nisi etiam retia reliquisset, quæ ultimò homo relinquit, naturaliter enim inclinatur ut aliqua conficiat retia, quibus concupiscibilia captet objecta: idcircò vita hominis comparata fuit Araneæ, quæ omnia exhaurit viscera, ut retia conficiat, quibus Muscas captare possit. Sic enim inquit Propheta David: *Anni nostri sicut Aranea meditabuntur*: quem locum exponendo Nicolaus de Lira inquit: *Sicut Aranea multum occupatur ad texendam telam, quæ modico vento dissipatur, sic homines multum audent, & meditantur ad consequendum honores, & dignitates, quæ velociter amittuntur.* Multi relinquunt mundum, & dignitates, laudari tamen volunt, & magnificari; de quibus in veritate dici potest, quòd omnia sua bona in retia converterint, intendunt quippè mundanarum venationi rerum; omnia retia S. Andreas dimisit, ut inquit S. Gregorius Papa: *Multum S. Andreas dimisit, quando etiam desideria habendi dereliquit*, idcircò nihil præter Crucis pulchritudinem attendit.

*Retia potissimùm relinquenda.*

Psal. 89. 10.

S. Bernar. in hunc locum Psal.

*S. Andreas omnia dimisit.*

S. Gregor. homil. 5. in Evangelia.

20. Quam verò pulchritudinem in rudi consideravit ligno? Eandem quam Angeli in Salvatore nostro cōtemplabantur dum dicebant: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus*

*Quam pulchritudinem in Cruce attendebat.*

Isaiæ 63. 1.

*mosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Non ergò mirum si hæc pulchritudo rapuerit S. Andream, cùm etiam in admirationem rapuerit Angelos, pulchritudini quoque benè conjungitur fortitudo, ut corda audientium rapiat, quod eleganter Theodoretus explicat dicens: *Violentam habet pulchritudinem quæ universos cogit intuentes.* Alludens ad versionem septuaginta duorum interpretum, qui hunc locum ita verterunt; *Sic formosus in stola sua, qui violentâ incedit fortitudine.*

*Christus magnes cordis ejus erat.*

21. Magnes non solùm vim habet ferrum attrahendi; verùm etiam virtutem suam alteri ferro ab ea attacto communicat. Christus Dominus magnes fuit cordis S. Andreæ, ideo relictis omnibus subitò secutus est eum: notat insuper S. Augustinus, non dixisse Salvatorem *Venite post mea*, sed *post me*, virtus quippè Christi homines trahendi post se, non in divitiis aut aliis quæ possidebat consistebat, sed in sua persona; contrarium hujus mundi hominibus accidere solet, quos multitudo sequitur servorum, non propter ipsos, sed propter bona eorum; de his bene inquit Seneca; *Prædam sequitur turba ista, non hominem.* Virtutem ergo magnetis Christus habuit, ita ut parum abfuerit, quin moriendo totum traxisset mundum; ideo quippè tot fuerunt elementorum commotiones; contremuit terra, ruptæ sunt petræ, aperti sunt montes, eclipsatus est Sol, obscuratum est cælum, luna insolita apparuit, & tota mundi machina simul quasi commota, Creatori commori ac descendere ad inferos voluit. Ut notat optimè Sedulius dicens: *Dubio pependit natura sub termino, ne summus Apex ad inferna descendens, omnem protinus molem secum jugiter inclinaret in mortem, atque proprium comitans auctorem, præceps in Chaos mundus efflueret.* Cùm ergò strictè amplexus esset Crucem, nil mirum si ipsi magnetis virtutem communicarit, quæ idcircò cor S. Apostoli Andreæ post se trahebat.

Mat. 4. 19.

*Ideò in Cruce omnia attraxit.*

Sedul. lib. 5. cap. 16.

*Idololatræ se curribus falsorum Deorum subjiciebant.*

22. Quid mirum si S. Andreas Cruci præstiterit, quod stulti idololatræ curribus falsorũ Deorum fecère? Ut enim se Diis suis addictos ostenderent, prostrati jacebant in viis, ubi currus Deorum transvehi debebant, ut vel sic confractis ossibus, ipsis hostiæ immolarentur. Ad quod alludens Propheta Isaias inquit: *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro, & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum.* Hunc fuisse barbarorum morem, multi referunt, qui de rebus Indicis scripserunt. Quod ergò ipsi stulto, & cæco acti furore fecère, S. Andreas sapientiùs, & majori implevit lætitiâ; currus quippè triumphalis Christi, Crux ejus fuit, juxtà quod Propheta Abacuc cecinit: *Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra:* ante hunc trium-

Isaiæ 25. 10.

*Currus triumphalis Crux Christi.*

Habacuc 3. 3.

triumphalem currum, inimici ducebantur vincti, diabolus scilicet & mors: *Egredietur diabolus ante pedes ejus, ante faciem ejus ibit mors.*
Habac. ib. Currus deniq; triumphalis explicatur, dum dicit: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus*: extendet nimirum manus in lateribus Crucis quæ cornua propter fortitudinem dicuntur.

*Hunc ascendere cupiebat S. Andreas.*

23. Hunc pariter currum triumphalem ascendere cupiebat S. Andreas, fortè recordatus antiqui moris, quòd simul cum principe, præcipuus servus stare solebat. Plus ergò honorare videbantur Deos suos idololatræ qui se à curru, & equis calcari sinebant, quàm S. Andreas qui illum ascendit? Respondeo tantum esse ascendere hunc currum, quàm se supponere illi; quod auctoritate, & similitudine clarissimè probabitur. Propheta Isaias de Salvatoris Cruce (ut exponit S. Hieronymus) loquens dicit:
Isaiæ 63. 3. *Torcular calcavi solus*; quis ibi conculcatus fuit? Non alius certè quàm Christus ipse, qui in Cruce patiebatur; tantum ergò erat dicere, *Calcavi*, quàm *calcatus fui*.

*Idem est ascendere currum ac se submittere.*

24. Similitudine hoc ipsum probemus, si quis alligatus fuerit rotæ, volvente rotâ nil dubium est, qui supponatur & ab ea conculcetur. Sicut Crux tam illum affligit qui sub illa est, quàm qui suprà; solummodò hæc interest differentia, quòd qui suprà est dicatur ascendere, quia voluntariè illam suscipit, ut S. Andreas fecit; ab ea autem conculcari dicitur, qui illibenter eam suscipit.

*S. Andreas Christum imitatus omnia reliquit.*

25. S. Andreas ergò supra illam ascendit; sed quis vehemens explicare posset desiderium quô illam suscepit? Nulli alteri meliùs comparari posset, quàm proprio magistro: tantus siquidem fuit amor Christi erga Crucem (teste S. Ambrosio) ut alia universa libenter distribuerit; vestes militibus, Ecclesiam S. Petro, paradisum latroni, matrem S. Joanni, sed Crucem sibi reservare voluit. Sanctus quoque Andreas magistrum imitatus, omnia relinquens, Christum secutus est. Parum etjam se cibum curare monstravit, dum ad turbas quæ Christum sequebantur saturandas dixit: *Est* Ioann. 6.9. *puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces*; libenter illo carens cibo, ut turbæ saturentur. Crucifixoribus etiam proprias distribuit vestes; sed Crucem ipsi auferre volentibus, nullo modo consentire voluit, sed potiùs in ea mortem sustinere cupivit.

*Cur Christus Crucem timuit S. Andreas nõ?*

26. Sed hucusque insolutum manet dubium, cur Salvator Crucem & mortem exponit; S. verò Andreas non, sed læto eam suscepit animo, & quasi cum cantico illi obviam processit; cùm tamen multò magis Christus diligeret Crucem quàm S. Andreas? Dicere fortè possem Crucem hanc instar equi fuisse indomiti, & ferocis, qualis fuit Bucephalus Alexandri

*Vt equus indomitus Christo Crux erat.*

xandri Magni; ac primus qui illum edomuit, & frænum apposuit, fuit Christus, qui ut olim Philippus Macedoniæ Rex advertens mirabilem Alexandri in edomando equo virtutem, dixit: parum tuæ virtutis magnitudini hoc Macedoniæ Regnum convenit, aliarum tibi gentium Regna procura. Sic ab æterno Patre per Isaiam Prophetam introducitur, Christus mortis ac inferni triumphator, cui dicitur: *Parum est ut sis mihi dux ad suscitandas faces Iacob, & ad tribus Israël convertendas; dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*: nimis exiguum tibi est hoc Judææ Regnum, ad omnes superandas Gentes te animose præpara, ut imperii tui sceptra ad extrema usque extendas mundi. Cùm ergò nondum edomitus esset Bucephalus ille mortis, & inferni (diabolus inquam) nil mirum, si se tam ferocem Christo crudelemque exhibuerit, & sancto Andreæ mitem, ac placabilem, cùm jam totaliter devictus esset.

Isaiæ 49. 6.

*S. Andrea ut equus edomitus.*

27. Dicamus etiam Crucem illam fuisse instar navis vasto expositæ mari, sine velis, sine remis, sine gubernaculo, sine rectore, sine malo, sine ullis denique instrumentis necessariis; quis non timeret illam ingredi, & se mille exponere periculis? Sine rectore hæc erat navis, quia Christus clamabat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Omni erat privata victu, quia nec aquam ad bibendum habebat, idcircò dixit: *sitio.* Cunctis erat plena malis, quia *maledictus omnis qui pendet in ligno*; mari exposita turbulento, & feroci; *Quia veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Quid ergò mirum si Christus horrebat illam intrare? Sed ubi illam ingressus est, subitò perfectam reddidit, & ornavit velis bonæ spei, clavis divinorum auxiliorum, arbore fidei, divinæ consolationis cibis, ac seipsum in ea gubernatorem constituit. Quid ergò mirum si S. Andreas posteà illam alacriter ascenderit?

*Christo ut navis absque gubernaculo.*

Matth. 27. 46.

Ad Galat. 3. 13.

Psal. 68. 3.

*S. Andreæ ut navis perfecta.*

28. Vel potiùs comparemus Crucem taxo ligno venenoso, juxta dictum Jeremiæ Prophetæ: *Mittamus lignum in panem ejus*; vel juxta Hebraicum textum: *Mittamus taxum in panem ejus.* Taxus autem hanc habet proprietatem, ut clavis penetrata, venenum suum amittat; antequam ergò Christus in Cruce suspensus, & clavis confixus esset, lignum Crucis venenosum erat, & meritò timendum; sed clavis perforata, venenum suum perdidit, ac salutifera reddita est, ideò non timetur à sancto Andrea.

*Christo Crux ut taxus venenosa.*

Jerem. 11. 19.

*S. Andreæ salutifera.*

29. Ut autem à similitudine stellarum assumptâ non discedamus, dicamus has modò oriri, modò occidere, nunc suprà nostrum ascendere Horizontem, nunc sub illo esse; licet enim stellæ polo conjunctæ, hanc non admittant vicissitudinem; Crux tamen

*Christo Crux stellarum descendens apparuit.*

men stellarum, cum triginta à Polo distet gradibus, occidere, & oriri potest. Christo ergò hæc Crux occidere, & descendere visa est, quia moriendo *Descendit ad inferos*: Sancto autem Andreæ ascendens apparuit, quia per ipsam cælum ascendit; unde nil mirum si ille timuerit, hic verò præ lætitiâ exultaverit. Consideranda quoque est conjunctio, & aspectus stellarum; Christo Crux morti, peccato, & diabolo conjuncta apparuit, nil ergò mirum si ipsi timorem incusserit; Apostolo verò Andreæ Crux gratiæ, vitæ, & claritati conjuncta exhibita fuit. Sic Christus vix tribus horis in Cruce mansit vivus, sed duobus ferè diebus magno circumfusus splendore S. Andreas.

*S. Andrea ascendens.*

30. Melius tamen dicamus, hîc accidisse sicut in bello quandoque accidit, ubi Principes solent insignia sua cuidam committere subdito, ut securius præliari possint, dum vulgari sunt induti amictu. Pari modo Christus cum Apostolo suo Andrea, vestem commutavit, infirmitatem ejus sibi assumens, & illi suam fortitudinem tribuens; non tamen (sicut hujus mundi Principes solent) ut securiùs in prælio persisteret, ne inimicorum peteretur telis, sed contrario planè modo, ut audaciùs in eum hostes prosilirent, & absque ullo respectu vulnerarent. Rex quidam Atheniensis, cùm percepisset ab oraculo, exercitum suum victoriam reportaturum, si ipse hostium manibus interiret; metuens ne adversarii hoc scientes, in ipsum consurgere non auderent: deposito Regali ornatu, habituque indutus vulgari, se inter inimicos constituens, morte propriâ victoriam patriæ comparavit. Sic de Christo Salvatore nostro dicere possumus (licet hæc similitudo infinitè sit inæqualis) abscondisse illum gloriam suam, non ut mortem effugeret, sed ut mors non fugeret ab eo; dicente Apostolo; *Si enim Dominum gloriæ cognovissent, numquàm crucifixissent*: & nostrâ indutus fragilitate (*formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo*) suam nobis tribuit fortitudinem, ut morti resistere possemus, & mors ab illo non aufugeret, sed eam superans nobis victoriam assequeretur.

*Christus infirmitatem S. Andreæ assumens suam virtutem ei tribuit.*

*Abscondit virtutem ne mors ipsum fugeret.*

1. Cor. 2. 8.

Ad Philip. 2. 7.

31. Quinimò dicere auderem, si Christus non timuisset, non ita contrà eam futurum alacrem S. Andream. Qui eques exercitum dirigit peditum, nullam suo exemplo tribuit virtutem militibus; sed si ex equo descendens pari cum eis progrediatur passu, & viriliter pugnet, ac sanguinem suum effundere paratus sit; quis dubitet omnes ejus exemplo fortiter pugnaturos? Non aliter Christus nobiscum efficere voluit, si enim ipse in divinitate, & fortitudine sua quasi equo insidens, dolores omnes, ac mortem sustinuisset; quis nostrûm infirmitatis

*Si Christus non timuisset S. Andreas non fuisset hilaris.*

pedibus illum assequi potuisset? Sed dum videmus ipsum suam derelinquere potentiam, contristari, & mœstum fieri, & nostrorum procedere pedum affectibus, ac fortiter dimicare, & mortem superare, mirabiliter restaurantur, & reviviscunt corda nostra, ac vigore ipsius accensi victoriam de inimicis referre speramus. Ad hanc rationem devotè alludit S. Bernardus, insigni hac apostrophe, *Quos vivificabat mors tua, tua nihilominus, & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos.*

*Christus infirmum se ostendit, ut nos confortaret.*

S. Bernard. sermone hujus fest.

32. Dicere insuper possumus, voluisse Deum ut cognosceremus quàm fuisset mors amara, & timenda, & quanta virtus Christi ad hunc necessaria finem; quòd aliquis illam timeret, alius verò non. Si ergò S. Andreas timuisset, non tam mortis horribilitas, quàm ejus infirmitas fuisset accusata; si autem Christus non timuisset, divinitati ejus adscribendum fuisset: *Quid magnum fuerat Domine Iesu*, (inquit S. Bernardus) *si accedente horâ propter quam veneras, intrepidus stares?* Ut terribilitatem ergò mortis cognoscamus, Christum quoque illam timere dicamus; ut verò Christi sciamus virtutem, Andream ipsam pro Christo non timentem exhibeamus. Dux quispiam dum gladii sui acumen cognoscere cupit, non illum in manu fortissimi tradet militis, ne effectus ejus militis adscribatur fortitudini; sed in manu debilis cujusdam illum probabit, ut si effectum præstet mirabilem, non personæ, sed gladio attribuatur. Ut fortitudinem ergò gratiæ Christi cognoscamus, in manu datur S. Andreæ Apostoli, & hâc mirabiles exercet actiones, mortemque ipsam Christo formidabilem intrepidus aggreditur.

S. Bernard. ibid.

*S. Andreas non timuit ut Christi virtutem ostenderet.*

33. Sicut denique lignum licet grave, & ponderosum, si à minimo rodatur vermiculo, leve fit; sic Crux antea gravis & intolerabilis à Christo (qui de seipso dicit; *Ego sum vermis, & non homo*) Psal. 21. 7. possessa, & quasi corrosa, gravitatem suam planè amisit, ac ita levis est reddita, ut S. Andreas illam optimè sufferre potuerit. Hoc in figura Christi longè ante de Davide Propheta dictum fuit: *Ipse tamquam tenerrimus ligni vermiculus* 2. Reg. 23. 8. *in cathedra sedens*: sic Christus ut ligni vermiculus in cathedra sedit Crucis, ut notat S. Augustinus: *Crux non solùm fuit patibulum patientis, sed etiam cathedra docentis*, in quo ipsum S. Andreas imitatus, qui de Cruce populum docens, in fide instruebat, Christi inflammabat amore, patiendi accendebat desiderio, & hilariter Crucem amplecti docebat. Digna profectò Crux cathedra fuit, quin imò hoc super omnes dignissima nomine; aliæ quippè cathedræ magistrum quidem sustinent, sed ipsi conceptus non subministrant, non illi sapientiam

*Crux à Christo levis reddita.*

*Crux cathedra doctrinalis.*

tiam tribuunt, & eloquentiam, qui suprà illam sedet ignorans, & mutus, talis ab ea descendit: sed Crux cathedra est tam mirabili prædita virtute, ut etiam indoctos, doctos efficiat, & mutos eloquentes, nec ipsis deesse permittat conceptus.

Chrysost. serm. 2. in epist. ad Philip. 1. 14.

34. Hanc conclusionem optimè probat S. Chrysostomus ex verbis Apostoli: *Vt plures è fratribus in Domino, confidentes in vinculis meis, abundantiùs auderent sine timore verbum Dei loqui*: licet ego (inquit Apostolus) fuerim in carcere positus, & propter prædicationem Evangelii afflictus, non tamen fratres mei in Domino propterea timuerunt, sed majorem inde audaciam prædicandi sumpserunt, quomodo hoc accidit? Si aliquem in carcere videmus positum, eò quòd malè de re aliqua locutus fuerit, nónne hoc coërcebit alios & eorum refrenabit linguas, ne de tali loquantur materiâ? Nónne castigationes idcircò repertæ sunt, ut timore earum coërceantur alii à similibus actionibus? Verum quidem est, sed passio Christi & Crux ejus tam admirabilem habet virtutem, ut illam sustinentibus majorem tribuat loquendi audaciam, ac ferventiori efficiat animo, nec ipsis loquendi patiatur deesse materiam.

*Crux audaciam tribuit.*

35. Si enim S. Pauli vincula (S. Chrysostomo teste) animum & prædicandi virtutem aliis tribuebant, quantò magis S. Paulo hunc addere debebant? Sic enim Chrysostomus in persona Divi Pauli ait; *Si alii propter mea vincula fidenter agunt, multò magis ego, si aliis fidentiæ causa sum, multò magis mihi ipsi.* Pariter nos dicere possumus, si vincula sola tantum prædicandi animum tribuebant S. Paulo; quid Crux S. Andreæ efficere non debebat? Si victoriæ principium tantum ipsis adjungebat animum; quid non finis, & victoriæ triumphus efficere debuit? Idcircò enim Christus suis dicebat Apostolis, non illos debere cogitare quid dicerent, dum ad principum ducerentur tribunalia: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.* Non antea vobis dabitur, sed in illa hora, quia tunc Crucis cathedram ascendere incipietis, & ei qui in Cruce est, verba deesse non possunt. Non miremur ergò si S. Andreas duobus continuò diebus in Cruce pendens, populo prædicare non destiterit.

Chrysost. serm. 2. in epist. ad Philipp.

*Crux materiam loquendi tribuit.*

Mat. 10. 19.

36. Nec verba solùm Crucis administrat cathedra, verùm etiam mirabilem tribuit fortitudinem, verba enim exemplis conjuncta, plurimum habent efficaciæ. Hoc pulcherrimè docet S. Chrysost. In Nabuchodonosore qui propter trium puerorum verba nihil commotus fuit, sed dum illos in fornace ardente videret illæsos, vehementer commotus dicere incipiebat, illos rectè fecisse Diis non

*Crux fortitudinem in loquendo præstat.*

non obediendo, sed soli Deo vivo, & vero; *Antea* (inquit S. Chrysost.) *quando dixerunt,* Diis tuis non *servimus, fornax sæviùs accensus est, postquam verò per ipsa opera hoc ostenderunt, non tantùm non indignatus est, sed & laudavit, & admiratus est, quòd ipsi non obedissent. Tantum siquidem bonum virtus est, quod & ipsos hostes habet admiratores & laudatores.* Ulteriùs notat S. Chrysostomus, tres hos juvenes non prius de fornace exire voluisse, quàm ab ipsomet Rege fuissent vocati, ne quisquam judicaret illos metuentes ignem, parvo in eo voluisse tempore permanere: *Tum verò* (inquit ipse) *mihi considero puerorum magnanimitatem, neque enim antè vocem exilierunt, ne quis putaret ipsos ignem timuisse.*

Chrysost. homil. 6. ad popul. Antioch.

*Cur S. Andreas de Cruce deponi noluit.*

37. Quid de sancto dicemus Andrea, qui alacriter permanebat in Cruce, cùm enim ipsum populus deponere vellet, nullo modo consentire voluit? Hujus autem diversitatis occasio quæ inter S. Andream, & tres Babyloniæ reperitur pueros, facilè considerari potest, illi enim in igne non patiebantur S. Andreas per Crucem ad mortem & gloriam properabat. Verum ergo videri potest, Dei servos non mortem fugisse, sed gloriam, cùm enim gloriosum illis esset in flammis manere illæsos, subitò ut vocati fuerint, inde exierunt; cum autem Crux S. Andreæ molestissima fuerit, & doloribus plena, illam tamen, sæpissimè requisitus, deserere noluit. Non ergò mirum nobis videri debet, si in hac Crucis cathedra S. Andreas positus, cum uberrimo fructu prædicavit, si enim dum longè à Cruce abesset ab ejus laudibus se continere non poterat, quid in Cruce positus efficere non debuit: demonstrabat qualiter Crux amari deberet, cùm scala sit paradisi, clavis cæli, lectus quietis, arbor vitæ, cælestium thesaurus gratiarum, & arma potentissima ad infernales debellandos inimicos, currus denique triumphalis quo in cælesteCapitolium triumphantes victoriosè invehuntur. Divinæ ergò placeat majestati, ut hunc gloriosum imitando sanctum, perfruamur æternis bonis, Crucis amatoribus præparatis.

*Quia summopere illam amabat.*

IN FESTO

# IN FESTO
# S. NICOLAI EPISCOPI.
## DISCURSUS TRIGESIMUS.

*De admirandis ejus virtutibus, quibus ut Sol omnibus eluxit.*

### Candela accensa in candelabro posita.

### *Non sub modio.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

*Candela accensa, & candelabri proprietates refert, & Prælatis Ecclesiæ applicat 12. primis numeris.*

*Sanctum Nicolaum verè fuisse lucernam ardentem & candelabrum Ecclesiæ, à numero 13. usque ad 24. demonstrat.*

*Solem quoque fuisse & mundum illuminasse, à numero 25. ad finem usque probat.*

1\. *Lux sui ipsius communicativa.* Si accensa candela, splendidissimâ luce refulgens, ratione prædita esset, meritò lamentaretur, pulcherrimã suam lucem abscondi; quid enim prodest pulchritudo abscondita? Quam thesaurus occultus utilitatem adfert? Divitiæ non distributæ ad quid serviunt? Bonitas incommunicabilis, quomodo potest dici bona? *Bonum est sui ipsius diffusivum*, inquiunt Philosophi. Lux prima qualitas est, cui in Scriptura divina reperitur attributus speciosus titulus bonitatis: *Vidit Deus lucem quod esset bona.* (Gen. 1. 4.) Qui titulus ipsi, ni fallor, datur, eò quòd sit res summè communicativa, & liberalis; undè non legimus Deum hunc titulum tribuisse cælo nec terræ, quæ primò creata sunt; quia cælum non producit aliud cælum, nec terra aliam terram sicut lux sui ipsius est generativa, & diffusiva. *Ideò bona vocatur.*

2\. *Cur cælum & homo non dicuntur boni?* Secundo creationis die, quando productum fuit cælum, & firmamentum, non dixit Deus quòd esset bonum, quia naturam suam alteri non communicat: sed quando produxit mare, quod terram penetrando, se communicat, & flumina parturit, iterum dixit esse bonum. Quem etiam titulum arboribus,

boribus, herbis, piſcibus, avibus, & animalibus terreſtribus largitus eſt. Sed cùm hominem crearet, non dixit Scriptura: *Vidit Deus quod eſſet bonum*, ſed dixit, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*; quare non eſt bonum? Nónne bona eſt anima rationalis, quæ Deum contemplari poteſt, nónne bonæ ſunt omnes potentiæ, quæ plurimos virtutum actus producere poſſunt? *Non eſt* tamen *bonum hominem eſſe ſolum*, quia ſolus ſeipſum communicare non poteſt, ſed *faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, dicit Deus, cum quo poterit naturam ſuam communicare, tunc erit bonus; quia nullum æſtimatur bonum, quod ſeipſum non communicat.

Gen. 1.18.

Ibid.

*Lux abſcondita bona non dicitur.*

3. Tantùm ergò eſt abſcondere lucem, quàm privare illam pulcherrimo titulo bonitatis: cùm enim abſcondita eſt, ſeipſam liberaliter diſtribuere, nec in pretio eſſe poteſt; oculus enim judex eſt pulchritudinis, nec ab alio ſenſu percipi poteſt, quàm à viſu, cùm ergò oculis abſcondita fuerit, poteſt dici perdita, & quaſi extra naturalem ſtatum; elementum quippè cùm extra ſphæram ſuam conſtituitur, extra ſtatum naturalem eſſe & pati violentiam dicitur. Lux intra ſphæram ſuam, habet totum hoc ſpatium, quod radiis ſuis illuminare poteſt, quæ à Philoſophis vocatur ſphæra activitatis; meritò etiam datur ipſi titulus ſphæræ, ut demonſtretur, tantum eſſe privare lucem ſuâ operatione, ac illam extra ſphæram ſuam conſtituere, id eſt in loco non debito, ubi patitur violentiam. Videtur denique, quòd ampliùs non poſſit vocari lux; quomodo enim lux erit, ſi non luceat? Quomodo lux, ſi in tenebris eſt? Quomodo lux ſi non tollit obſcuritatem? De ſcientia quæ lux intellectualis eſt, quidam Poëta dixit: *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.* Majori ergò ratione dicere hoc poſſumus de luce materiali; qui enim ſcientiâ pollet, licet alius ſcientiæ ipſius non habeat notitiã poteſt tamen uti ſuâ ſcientiâ. Lux autem ſibi non prodeſt, cùm ſeipſam illuminare nequeat, ſi ergò alius lumen ejus non videat, poteſt dici: *Lux tua nihil eſt, cùm te lucere, alteri non luceat.* Vide ergò quantam injuriam luci inferas, illam abſcondendo; præterea præſupponit Chriſtus Sol juſtitię nullum tam imprudentem reperiri, qui lucernam accenſam abſcondat. Hinc argumentari poſſumus quantum damni afferat Eccleſiæ, homo multis virtutibus præditus, qui poteſt lucernæ officium exercere, nec eas patefacit, ſed abſcondit, ne aliis proſint?

*Lux abſcondita patitur violentiam.*

4. Nec ſolùm lux abſcondi non debet, nec in humili loco, aut in angulo conſtitui: ſed in loco eminenti, unde omnibus fulgentes ſuos radios communicare poſſit. Ad hunc finem inventa ſunt candelabra,

*Lux eminenti loco conſtituenda.*

delabra, quæ in loco eminenti ſemper collocantur. Moyſi præcepit Deus ut candelabrum altum fieri curaret ad ponendum in tabernaculo, cujus etiam figuram expreſſit, & ordinavit materiam ex quâ fieri deberet. *Facies*, inquit, *& candelabrum ductile de auro mundiſſimo.* Hoc candelabrum fieri voluit ad modum arboris, cum ſeptem ramis, in quibus lucebant ſeptem lampades, quæ ſecundùm Philonem Hebræum & Joſephũ Antiochenum erant ſymbola ſeptem planetarum. In Apocalypſi apparuit etiam Deus in medio ſeptem candelabrorum aureorum, quæ ſymbolum ſeptem Eccleſiarum Aſiæ erant.

Exod.25. 31.

Apoc.1.13.

*Cur ſeptem candelabra in antiquo Teſtamento unita, in novo diſtincta.*

5. Quid ſibi vult quòd ſeptem lucernæ veteris Teſtamenti erant in uno candelabro unitæ, ſeptem verò candelabra in novo Teſtamento diſtincta? An quia major erat unio inter miniſtros veteris, quàm novi Teſtamenti? Minimè, quia ubi major eſt charitas ibi major unio, major modò apparet charitas in Eccleſiâ, quàm olim in ſynagoga, ergò major unio. Ex uno ergò candelabro ſeptem prodibant lampades, quia licet, in lege veteri plures eſſent Sacerdotes, & plures civitates, omnes tamen ex eâdem gente, ex eodem populo, ex eâdem radice, ex eodem patre Abraham, & Sacerdotes ex eâdem ſtirpe Levi procedebant. E contrà in lege nova, Eccleſia omnes populos, omnes gentes complectitur, dignitates Eccleſiaſticas omnibus diſtribuit, licet inter ipſos nulla ſit conjunctio nec patriæ, nec Regionis, aut linguæ.

6. Voluit inſuper Deus Epiſcopos illos, ad quos hanc legationem mittebat, non ita de ſe præſumere, crederent poſſibile eſſe Deo, eos dignitate privare, quandoquidem per modum candelabrorum facilè amoveri poſſent. Erant etiam hæc candelabra aurea, ut ſciant Epiſcopi quanti facere debeant animas ſibi creditas. Statua, quæ Regnum Nabuchodonoſoris figurabat, non erat totaliter ex auro, ſed aureum caput ſequebantur brachia argentea, crura ærea, tibiæ ferreæ, & pedes partim ferrei, partim fictiles. Taliter Principes temporales populum in pretio habent; Regni proceres, & ex ſanguine Regio oriundos, ut aurum æſtimant, titulares ut argentum, conſiliarios & doctos ut æs, milites ut ferrum, pauperes & plebeos ut terram, conculcant. Sed Eccleſiæ Dei ſubditi omnes reputantur ut aurum, cùm pro uniuſcujuſque animâ Chriſtus ſanguinem ſuum fuderit, dixit enim in Evangelio: *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt:* & alibi: *Quod uni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* Propterea candelabrum quod populum repræſentabat, erat aureum, non ex alio

*Cur candelabra aurea.*

*Statua Nabuchodonoſoris cur non tota aurea.*

Mat.18.10.

alio metallo, aut ex terrâ. In candelabro Moysis multa erant ornamenta, videlicet scyphi, sphærulæ, lilia, quasi ab arbore fœcunda fructus, frondes, & flores procederent. Quæ non reperiuntur in candelabris Apocalypsis, quia in charitatis auro omnia ornamenta, omnesque virtutes continentur implicitè, quare exteriùs apponi non debent.

*Firma unio inter Ecclesiam & Pastorem.*

7. Tanta denique est conjunctio inter Ecclesiam, & Pastorem, ut ea quæ de candelabro dicuntur, non solùm de Ecclesia, verùm etiam de Pastore intelligi possunt. Idcircò Episcopo Ephesino, Deus dixit: *Age pœnitentiam, & prima opera fac. sin autē venio tibi citò, & movebo candelabrum de loco suo.* Cur dicit movebo candelabrum, quod significat Ecclesiam, & non potiùs, auferam stellam unam ex manu meâ, quæ significat Episcopum? Fortè ut ostenderet Deum crebrò, propter peccata superiorum castigare subditos? Benè quidem, sed quia inter Ecclesiam & Pastorem est tanta conjunctio, ut quæ de uno dicuntur, de alio affirmari possint. Peccata populi adscribuntur Episcopis, & peccata Prælatorum in subditos redundant: unde postquam Deus locutus fuerat Episcopis, concludit Joannes, dicens: *Qui habet aurem audiendi audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.* Hic ergò latissimus se aperiret campus, explicandi conditiones quas Prælatus habere debet, & qualis proinde fuerit S. Nicolaus, sequendo mysteria quæ in candelabro Moysis adumbrata sunt, quomodo aurei esse debeant propter charitatē, & sapientiam; malleis formati propter patientiam; scyphis humilitatis, & orationis ornati; odoriferis Liliis puritatis, & bonæ famæ prædit; pomis sphæricis obedientiæ, & perfectionis decorati, quia rotunda figura perfectissima est; calamis longis perseverantiæ instructi, denique arbores fœcundæ, virides frondibus, floribus, & fructibus bonorum operum insignes: in moribus externis honesti, in conversatione Sancti & omnium virtutum exemplar se præbere deberent. Quæ hîc breviter assignata, longiùs in expositoribus Exodi, & Apocalypsis videri poterunt.

Apoc. 2. 5.

Apoc. 2. 7.

*Quales debeant esse Prælati?*

*Candelabrum Dionysii tyranni.*

8. Non solùm usibus sacris, verùm etiam prophanis inseruit candelabrum: inter alia magnum fuit illud, & notabile, quod fabricari jussit Dionysius tyrannus Siciliæ, quia ut refert Alexander ab Alexandro, tot lucernas sustinebat, quot erant dies in anno, & quasi cum Sole contendens, sicut hic splendore suo 365. dies illuminat, sic illud candelabrum totidem flammis resplendebat. Tale candelabrum verè debet esse Prælatus, singulis anni diebus propriâ luce resplendens, ut nullus in tenebris maneat, nullus doctrinæ & sanctitatis ejus splendore privetur,

Alexander libro 1. Genial. dierum cap. 14.

*Prælatus omnibus lucere debet.*

tur, quinimò singulis diebus propriam exhibeat lucem, modò claram ut indoctos, & ignaros illustrare valeat, modò obscuram, ut acris reprehensionibus vitia increpet, modò flammiferam, ut ardentem animarum zelum ostendat, modò auratam, ut resplendeat charitate, & misericordiâ in pauperes, modò lætam, & hilarem, ut consolationibus, & dulcibus verbis mœstos consoletur, & afflictis succurrat.

9. Pro candelabro dicere possumus inservire turres illas eminentes, quæ in maris littoribus eriguntur, ut lumen ferant navigantibus, ne à portu aberrent, ut sunt Genuæ, Messanæ & alibi. Sed ubi brachium humanum relinquo, quod licet sit nobilissimum, non dedignatur tamen esse quasi fax luminosa, aut candelabrum sustinens lucernam? Non potest nobiliùs collocari lumen doctrinæ, quàm in brachio operationis. Si enim turris & brachium simul conjunguntur, ut fax accensa elevetur, & stabiliatur; sic flamma dotibus linguæ facilè adjungitur, & in bellis maximi adjutorii esse solet, suo splendore perveniendo, ubi fidus nuntius subitò pervenire non potest, & motu brachiorum significans varios eventus, quos lingua, aut vox edere non potest. Sic apud Antiquos teste Justo Lipsio in turri agitata fax, signum erat inimicorum adventus, & firma retenta, vicinos esse hostes significabat. Ad quem modum alludens, Aristoteles dixit: *Qui vident ignem motum, statim colligunt quòd hostis adsit.* Sicut etiam apud Romanos signum prælii erat expositio rubræ vestis, sic apud Græcos fax accensa: unde dixit Euripides: *Emissa postquam fax fuit signu cruentæ pugnæ.*

*Brachium humanum candelabrum est.*

Lipsius l. 5. de militiâ Rom. cap. 9.

Arist. l. 3 de animal. cap. 7.

*Accensa fax varia indicat.*

10. Nil loquor de ministris Piroferis nuncupatis, qui bellum indicebant, jactatione facis, de quibus aliàs diximus. Faces etiam in manibus signa bellica esse solebant, & aliquando festa, nuptias, ac triumphos indicabant, & his similia quæ Ludovicus de la Cerda refert. Lumen etiam quandoque mœstitiam & dolorem indicat, ut patet in funeribus, & in Septimanâ sanctâ ad luctû Ecclesiæ designandum accenduntur luminaria, & extinguuntur excepto uno, quia mœsti, & afflicti potiùs in tenebris sua peragunt, & unum lumen sufficit ut aliquid videre possimus.

Ludovicus de la Cerda lib. 6. Æneidos vers. 509. num. 9.

11. Secundùm necessitatem ergò, & usum candelarum, varia erant candelabra, minùs, aut magis elevata, ideò rectè dixit Christus verus Sol: *Nemo lucernam accendit, & ponit eam sub modio sed super candelabrum* per istas lucernas homines apostolicos intelligens. Unde meritò argumentari possemus maximam fuisse dignitatem Apostolicam, fuerunt enim Apostoli, veluti candelabra totius mundi, quorum tanta fuit autho-

Matt. 5. 15.

*Apostoli candelabra erant.*

 ritas

ritas, ut orbem universum gubernarint. Quibus Dominus dixit: *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, sic luceat lux vestra, &c.* Ubi syllogismum formare videtur, nam postquam lucernæ officium demonstrasset, intulit conclusionem, dicens: *Sic luceat lux vestra, &c.* lucerna enim in alto ponitur, ut omnibus lumen suum diffundat; vos estis lucernæ, in eminenti positæ dignitate, omnibus ergò lumen vestrū largissimè effundere debetis.

Ibid. 14.

Matt. 5. 16.

12. Candelabrum uniuscujusque Episcopi particulare, potest vocari civitas, & diœcesis, vel ipsamet dignitas Episcopalis. Sic Episcopus ut lucerna, non debet cogitare se posse actiones suas abscondere: quia ut sanctus Joannes Chrysostomus dixit: *Non possunt Episcoporum vitia dissimulari, sed vel parva, atque exigua, confestim manifesta fiunt.* Ratio non solùm est, quia in alto loco expositus est oculis omnium; verùm etiam quia oculi omnium ad ipsum conversi sunt, ad notandas & observandas minimas ejus actiones: prout dixit Seneca: *Quem timent omnes, omnes timeat necesse est.* Ita ut qui actiones omnium observat, ut Episcopus ex officio, credere debet omnes etiam ad ipsum invigilare. Ideò dicit S. Joannes Chrysostomus: *Sacerdotis animi pulchritudinem undique splendescere oportet, ut oblectare pariter, & illustrare possit eorum animos, qui suos in illum oculos injiciunt.*

*Episcopus se abscondere non debet.*

S. Chrysostomus l. 3. de Sacerdot.

Chrysost. ubi suprà.

13. Talis reverà fuit S. Nicolaus Episcopus, lucerna ardens, & resplendens, & quod S. Basilius de S. Gregorio Thaumaturgo asserit, S. Nicolao applicare possumus, qui propter multitudinem miraculorum, Thaumaturgus appellari potest, quòd *velut insignis, magnaq; lucerna, in Ecclesiâ Dei resplenduit, qui sancti Spiritus ope, terrorem habuit adversus dæmonum potestatem.* Ex olei perfectione claritas lucernæ, oriri solet; quod oleum comparari potest oleo S. Nicolai, cum ipsomet Spiritu Dei (de quo S. Joannes dicit: *Unctio ejus docet nos*) repletus fuerit? Heliogabalus gloriabatur, se balsamum pro oleo lucernis infundere, quod multò nobilius est, & suaviùs redolet: sed longè superavit oleum S. Nicolai, quod eò nobiliùs, & magis fuit odoriferum, quò non patriam solùm, verùm totum mundū odore suo, & splendore implevit, & illustravit. Quod quàm admirabile fuerit, voluit Deus admirabili declarare miraculo; vivens quippè tanto abundavit Spiritus sancti oleo, ut post mortem continuò ex ossibus ejus aridis usque modò effluat, & diversas orbis partes continuo miraculo, varios languores sanando repleat. Hujus olei nescio utrùm mirabilior sit causa, quàm effectus; vel utrùm orbis aliquid mirabilius produxerit.

*S. Nicolaus lucerna resplendens.*

1. Joan. 2. 17.

*Oleum ejus admirabile.*

14. Stupendissima est ejus causa, quis

quis enim umquam audivit, ossa arida quæ in pulverem redigi solent, pretiosissimum effundere liquorem? Et ne hoc alicui causæ extrinsecæ adscribi possit, experientiâ patuit, dentem unum in altari intra vas aliquod, etiã fasciis adstrictum, positũ tantam liquoris abundantiam emisisse, ut fons videretur, unde Canonici istius Ecclesiæ coacti fuerunt, illum in sepulchro reponere. Admirandi etiam sunt effectus, qui per hunc liquorem fiunt, curando morbos insanabiles, aliasque mille gratias concedendo. Meritò ergò vocatur manna, non solùm quia ad similitudinem alterius manna originem habet cælestem, verùm etiam, sicut manna omnem saporem habebat, ita hic liquor, omnes gratias curationum habet.

*Omnes languores sanat.*

*S. Nicolaus vera lucerna.*

15. Quòd ergò titulus lucernæ S. Nicolao conveniat, negari non potest, imò etiam fax propter claritatem, & abundantiam lucis vocari posset; nonilli oleo extrinseco, vel humano adjutorio opus erat ut resplenderet; cùm cera propriæ devotionis, & charitatis sufficeret, ut eum splendidum redderet. Quia ergò hodiè candelæ sive faculæ potiùs quàm lucernæ in candelabris ponuntur, idcircò illam pro emblemate posuimus hâc inscriptione additâ, *non sub modio*; ut conformes simus auctoritati Christi dicentis, lucernas non debere abscondi, aut sub modio poni; quasi diceret non convenire, ut lumen adeò splendens abscondatur. Idcircò Nicolaus sanctitate fulgens candelabro Ecclesiasticæ dignitatis suprà positus, & Episcopali munere insignitus fuit, ut flammam eò altiùs emittere posset, quò collocaretur.

Matt 5.15.

*In candelabro Ecclesiæ positus.*

16. Possemus etiam dicere, ipsum fuisse candelabrum illud Regis Siciliæ tantis luminibus adornatum, quot erant dies in anno, quandoquidem nulla umquam dies præteribat, quô novis virtutum exemplis, & lumine particularis doctrinæ populum suum non illustrabat. Hoc adeò clarum est, ut ne quidem illud iis gẽtibus absconditum sit, quibus Sol ferè est absconditus, ubi nomen ipsius est adeò celebre, ut aliqui auctores referant, plurimas ibi Ecclesias nomini ejus esse dicatas, ita ut non minùs populum illuminaverit, quàm Sol splendidissimo suo fulgore illis illuxerit.

*Ut fax in turri expositus.*

17. Non solùm S. Nicolaus fuit in alto candelabro dignitatis Ecclesiasticæ positus, verùm etiam supra turrim invictissimæ constantiæ mansuetus amicis, & quasi agitatà fax inimicis terribilis apparuit. Idcircò de ipso dicit Ecclesia: *In adhortando mansuetudinem, in reprehendendo severitatem perpetuò adhibuit*. Qui quamprimum in alto civitatis Mireæ candelabro collocatus fuit, bellum inimicis Christi indixit: de quibus tamen omnibus nobilissimam adeptus est victoriam. Principibus etiam longè

 dissi-

dissitis veritatem, & justitiam aperuit, ut probavit Constantinus, aliique multi: legem Christi in cordis visceribus descriptam tenebat, juxta dictum Jeremiæ Prophetæ; *Dabo legem meam in visceribus eorum.*

Jerem. 31. 33.

*Sanctitatis splendor abscondi non poterat.*

18. Quis modius operire potuisset tantum doctrinæ, & sanctitatis splendorem? Non exigua stultitia est quorundam in Indiâ incolarum, qui ut inundantem, maris gurgitem refrænent, & terminos ponant ejus immensæ cupidini; modium auri in illud jactant, putantes eo modo saturandum. Stolidi planè, & insipientes, qui non cognoscunt magnitudinem, & feritatem adeò intumescentis elementi. Non minorem stoliditatem, & temeritatē ostendisset, qui putasset immensam sanctitatis lucem tanti Pontificis sub qualibet mensurâ restringere, aut parvo vase sui ingenii, licet acutissimi, magnitudinem meritorū S. Nicolai mensurare potuisse.

Philost. apud Caussin. lib. 12. symbol. cap. 35.

*Cur similitudine modii Christus usus?*

19. Cur verò Christus in absconsione luminis hâc similitudine modii utitur, cùm multis aliis modis lumen abscondi possit, ut in armario, in laternâ &c.? Scio quidem per hoc modium aliquos legem antiquam intelligere, quæ parva erat, & restricta, & bona temporalia promittebat; qualia sunt quæ mensurantur modio, idcircò etiam dicebat Isaias: *Si audieritis me, bona terræ comedetis*, juxta quam expositionem docere volebat Salvator prædicationē Evangelicam non debere intra terminos legis Judaicæ concludi. Fortè etiam dicere volebat, Prælatos constringi non debere ad deserendum officium, ut sibi victum providerent, juxta dictum S. Pauli: *Non alligabis os Bovi trituranti*, quia hoc esset, modio, quo granum mensuratur, cooperire lucem. Apud Ægyptios caput Dei Serapidis coopertum erat mensurâ, quâ granum mensurabant, per quam figuram, ut multi dicunt, designabatur Josephus Patriarcha, qui illis in maximâ frumenti penuriâ, abundè providerat, idcircò caput ejus modio cooperiebant. Non debet ergò Prælatus se abscondere sub modio, id est in lucris temporalibus sensus suos & tempus impendere. Multò etiam pejus si non propter necessitatem, sed propter delicias tempus, & media impenderet, ut delicatè, & lautè, sibi ac suis provideret; offuscaretur quippè lux bonæ famæ, dignitatis, & doctrinæ.

Isaiæ 1. 19.

1. Cor. 9. 9.

*Lucris temporalibus Prælatus inhiare non debet.*

*Prælatus in virtutibus progredi debet.*

20. Magis tamen mihi placet, hæc expositio, non debere poni lucem sub modio; id est Prælatum non contentum esse debere bonitate ordinariâ quæ mensurari possit, sed debere sine termino, aut mensurâ, de virtute in virtutem progredi; quasi gigas spiritualis, qui solâ præsentiâ, & intuitu, ut alter Goliath, exterreat omnes. Nec est hic meæ adinventionis conceptus, sed ex variis Scripturæ locis clarè

1. Reg. 17. 4. Ezech. 40. 5. clarè patet. In primo Regum describitur Goliath statura fuisse *sex cubitorum, & palmi*. In Ezechiële legimus apparuisse Angelum qui mensurabat templum arundine longâ sex cubitis, & palmo. Sed cur hâc mensurâ extraordinariâ (ut refert Liranus) mensuratur? Respondeo cum alio Scripturæ loco; in Apocalypsi dicitur vidisse S. Joannem Angelum mensurantem civitatem Jerusalem arundine aureâ; si petas qualis fuerit illa mensura, respondet S. Joannes: *Mensura hominis quæ est Angeli*, quia Angelus apparebat in formâ humanâ. Si ergò Angeli solēt accipere mensuram, juxta staturam in quâ apparent, dicere debemus Angelum qui apparuit Ezechiëli & tenebat mensuram sex cubitorum, & palmi, fuisse ejusdem mensuræ; ita ut rectè adæquaverit magnitudinem Goliath: quare in formâ gigantis apparuit? Non recordor me umquam legisse, Angelos in hâc formâ apparuisse. Ratio est, quia mensurat templum, mensuram autem dare rebus sacris ad solos Pontifices spectat; cùm ergò repræsentabat Pontifices non debebat in formâ ordinariâ hominis, sed gigantis apparere, quia tales spiritualiter debent esse Pontifices, de quibus dicitur illud Job secundùm expositionem S. Gregorii: *Ecce gigantes gemunt sub aquis*; nec humeris minoribus quàm gigantis indiget Prælatus, ut tantum onus sustineat regiminis animarum, idcircò à Concilio Tridentino: *Onus Angelicis humeris formidandum* vocatur.

*Vt gigas esse debet.*

Apocal. 21. 17.

*Vt onus animarum sustineat.*

S. Gregor. in Reg. lib. 6. ep. 5. Job 26. 5.

21. Supra hunc locum tamen Ezechiëlis, aliud notandum est, quòd cubitus de quo loquitur, non intelligatur cubitus ordinarius hominis, sed mensura major, quia mēsura sanctuarii, palmo excedebat cubitum. Quando ergò in Ezechiële dicitur: *In manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo*, non debet intelligi mensura sex cubitorum, & palmi, ut exponit Sanchez; sed sex cubitorum, quorum unusquisque palmo major erat ordinariis cubitis, quod apertè ex textu Hebræo colligitur; *Et in manu viri calamus sex cubitorum in cubito, & palmo*, & clariùs: *Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habet cubitum, & palmum.* Sed quomodo erat cubitus verissimus, si continebat cubitū, & palmum? Hinc argumentantur Sanches, Mariana, & Maldonatus, cubitum sanctuarii majorem esse uno palmo, cubito ordinario.

*Mensura sanctuarii major erat.*

Ezech. 40. 5.

Ibid.

Ezech. 43. 13.

Lib. de ponderib. & mensur. 5. de cubito.

Maldon. in cap. 40. Ezech.

22. Notatu quoque dignum est, eandem monetæ differentiam in syclo fuisse; hic enim erat duplex, vulgaris, & sacer: vulgaris juxta Joannem Fungerum, valebat duobus scutis, sive duobus aureis, sed sacer majoris erat valoris instar trium scutorum aureorum, quinimò Mariana referente, omnia sanctuarii pondera, duplò excedebant vulgaria; idcircò in Exodo dicitur: *Dimidium sycli juxta mensuram*

Fungerus in suo Etymol. trilingui verbo syclus.

Exod. 30. 13.

*suram Templi*. Quid sibi vult, quòd pondera, mensuræ, & moneta templi, magnitudine excedebant ordinaria,& communia? Responsio est pulcherrima, ut notemus, quàm liberalis unusquisque esse debeat in rebus divinis plus quàm mundanis, nec strictè, aut parcè res quæ Deo offeruntur sunt sumendæ, sed largiori mensurâ, quàm ordinariâ utendum, & pro cultu divino semper pretiosiora eligenda. Horæ quas Dei servitio impendimus, abbreviari non debent, nummi qui Deo offeruntur non debent minoris esse ponderis, aut vilioris materiæ. Opera ipsi exhibita, non diminui sed augeri debent: sicque omnia quæ in Dei laudem facimus, duplò majora, quàm ordinaria, quæ in mundanis negotiis exhibemus esse debent. Sicut enim Deus duplicat mercedem suam retribuendo, sic opera nostra merendo duplicare debemus, alioquin magna esset inæqualitas, si opera præmio non correspponderent.

*Quæ Deo offeruntur extraordinaria esse debent.*

23. Cum hominibus agentes, opus est uti eodem pondere, quia *pondus & pondus* (ut inquit Sapiens) *abominabile est apud Deum*; sed Deo maximam faceremus injuriam in iis quæ ad eum pertinent, eâdem utendo mensurâ, quâ in aliis utimur. Non observabat hanc regulam Cain, propterea dixit ei Deus secundùm versionẽ Septuaginta: *Nam si rectè offeras, non autem rectè dividas, peccasti?* Quasi diceret, non sum contentus quâlibet oblatione, licet sit de rebus bonis, sed volo optimum mihi tribui; qui enim mihi non dat primitias, & optimas partes, non benè dividit bona sua, considerans quid mihi conveniat, sicque peccat. Non ita fecit S. Nicolaus, qui non solùm meliùs, sed etiam omnia sua, & seipsum totaliter Deo obtulit.

*Deus mercedem duplicat, ita opera duplicanda.* Prov. 20.10.

Genes. 4. 7.

24. Quis dubitabit eum maximum fuisse gigantem? Cùm homo extendens brachia sua, & potentiam per multa miliaria, maximæ staturæ esse debeat. Talis fuit S. Nicolaus, qui in civitate Asiæ Mireâ residens, apparuit in Constantinopoli civitate Europæ, quæ plurimis itineris diebus inde distabat. Nec illum gigantem nominando, discedimus à titulo nostro quem illi tribuimus facis, vel lucernæ; quia gigas etiam Sol appellatus est à Prophetâ gigantis interfectore, dum dixit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Sol enim nihil aliud est quàm maxima lampas, quæ in fornice hujus mundi, quasi in templo pendet, ut splendore suo illuminet. Lampas ergò gigantea fuit S. Nicolaus: *Vos estis lux mundi*; & Sol Ecclesiæ; Sol enim vocatus est à S. Episcopo qui illum ordinavit Sacerdotẽ. Qualem Solem, inquit, in mundo surgere video, qui erit causa maximæ consolationis universo orbi; quasi diceret, modò officium Solis exhibeo, dividendo cælestes, & divinos influxus iis quos Sacerdotes ordino,

*Gigas fuit S. Nicolaus.*

Psalm. 18. 6.

*Sol mundi dici potest.*

Matth. 5. 14.

ordino, sed ipse potiùs meretur nomen Solis quàm ego. Nec deceptus fuit, quia talem se Nicolaus in totâ vitâ exhibuit.

*Vt Sol à principio vitæ refulsit.*

25. A principio diei cognoscere incipimus lumen Solis; sanctus Nicolaus à principio vitæ suæ, emittere cœpit radios suæ sanctitatis, adhuc in fasciis observans jejunium; ita ut duobus admirandis miraculis, Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, & sanctificationis S. Joannis in utero Matris, possimus tertium adjungere S. Nicolai, qui in fasciis Sanctus apparuit; qui priùs novit agere pœnitentiam, quàm committere peccata, priùs jejunare, quàm comedere, priùs Deo vivere, quàm sibi ipsi. Unde dicere potuit versum illum Davidicum: *Spes mea Domine ab uberibus matris meæ.* Verè enim se demonstrabat sperare in Domino, eò quòd necessariò nutrimentô se privabat amore ejus. Quare meritò S. Bernardus illum vocare potuit, *Electum ab utero, sanctum à puero.*

*Psalm. 21. 10.*

*Vt Sol omnibus profuit.*

26. Oritur Sol ut mundum illuminet, & distribuat thesauros lucis suæ gratis. Sanctus Nicolaus misericordiâ suâ unumquemque præveniebat; ut expertus est pauper ille homo; qui cùm tres filias jam nubiles in matrimonio collocare non posset, earumque pudicitiam prostituere cogitaret; re cognitâ, Nicolaus ut Sol matutinus radios ubique emittens, magnam auri summam per fenestram in domum injecit, quòd cùm tertiò fecisset, tres istæ virgines honestis viris in matrimonio datæ sunt. Licet autem nomine similis, actione tamen dissimillimus fuit illi Nicolao cujus discipuli Nicolaitæ vocati sunt, qui in Apocalypsi reprehenditur. Ipse enim scribitur, propriam uxorem multis prostituisse, ubi S. Nicolaus prohibuit, mulieres esse communes: ille inducebat homines in peccatum contra castitatem, & honestatem; hic verò omninò impediebat, ne darentur in prædam, aut peccatis proximorum contra castitatem consentirent.

*S. Nicolaus contrarius Nicolaitis.*

27. Apertè ergò liquet Deum sanctitate hujus secundi Nicolai emendare voluisse, quod alter turpiter fœdaverat, restituendo honorem isti nomini; Nicolaus quippè significat victoriosum in populo. Hoc profectò executus est S. Nicolaus, qui populi mores non est insectatus, sed ad imitandos mores suos populum allexit. In quâ largitate non solùm Nicolaus succurrere voluit istius pauperis necessitati, verùm etiam pudori consulere, secretò donans quod sufficiebat dotibus puellarum. Narrat Quintus Curtius, dum Alexander omnia militum suorum debita solvere vellet, ne ære alieno opprimerentur, omnes pudore suffusi debita sua detegere non audebant; sed cùm alia inventa essent media occultè satisfaciendi debitis, ut pudori militum

*Ejus occulta liberalitas.*

tum consuleretur, gratissima fuit hæc Regalis liberalitas, & ab omnibus amplexata.

Seneca 2. de Ira l. 23. *Hæc omnibus gratissima* Psalm. 50. 11.

28. De Julio Cæsare refert Seneca in simili casu, quòd *gratissimum putaret genus veniæ, nescire quid quisque peccasset*. Hoc videtur desiderasse David quando dixit: *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*: quasi diceret, adeo magna sũt peccata mea, ut me pudeat à te illa videri, propterea vellem ut avertendo faciẽ illa deleres; sicut Sem, & Japhet avertentes faciem patrem contexerunt. Sic facere voluit S. Nicolaus, cooperiendo non solùm alterius pudorem, verùm etiam honorem propriũ: sicut Solis lumen nullo modo abscondi potest, ita Nicolai, qui Sol erat, nõ potuit celari liberalitas, sed ubique heroicum illud factum fuit divulgatum.

*Sol dux stellarum, sanctus Nicolaus dux piorum.* Gen. 2. 1.

29. Dux stellarum est Sol de quo dicitur, *Completi sunt cæli & omnis ornatus eorum*, & secundùm textum Hebræum, *& omnis militia eorum*. Dux, ac caput Religiosorum fuit S. Nicolaus, qui in modum solis in firmamento Ecclesiæ relucet: ac contra infernales exercitus fortissimè præliatur. Totum mundum circuit sol: S. Nicolaus per loca sancta peregrinãdo, & corpore & spiritu multum profecit. Sol furiosas maris undas quiescere facit, S. Ambrosio dicente, *Pontique mitescunt freta*; S. Nicolaus in mari ortam sævissimam tempestatem oratione sedavit. Sponsus terræ vocatur sol; *& ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo*. Sponsus etiam Ecclesiæ fuit S. Nicolaus, idcircò enim Episcopi annulum portant, nec umquam propriam Ecclesiam deserere possunt; generat, & excitat ventos sol; ventis imperavit S. Nicolaus, cùm enim nautæ aliqui in Alexandriã navigare vellent contrà ipsius voluntatem; effecit ut à ventis in Lyciam deferrentur, quò ire volebat. Sol virtute suâ arbores facit crescere & grana multiplicat: Et S. Nicolaus orationibus grana multiplicavit, & auxit.

*Sol omnia gubernat, & prospicit; sic sanctus Nicolaus.*

30. Sol in uno loco existens radios ad alia loca emittit: S. Nicolaus præsens corpore in sua civitate, radios sanctitatis in alium locum emittebat, succurrebatque iis qui se ipsi cõmendabant; quod patet in miraculo maximo quo tribunis falsò condemnatis succurrit, juxta quod Christus promisit discipulis: *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & majora horum faciet.* Joan. 14. 12. Solebat quippè Christus tangere infirmos quos sanabat, & quia Centurio non putabat fore necesse ut præsens esset, dixit: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo & sanabitur puer meus*: Matth. 8. 8. admiratus tantam fidem Christus, dixit: *Non inveni tantam fidem in Israël*. Sed fidem multò majorem ostenderunt alii Centuriones, licet enim Centurio tantam habuerit fidem, ut crederet Christum auctorem

*Magna fides Centurionis.*

ctorem vitæ potuisse absentem filiam sanare; non tamen cogitare præsumpsit eum à longè potuisse suam petitionem exaudire; sed necesse putavit, ad illum accedere: credidit Christi vocem posse à longè sanare, sed non cogitavit auditum ipsius posse alia percipere quàm quæ propè audiret; judicavit omnia obedire voci ejus, sed non imaginabatur, omnia verba ab ejus auditu percipi potuisse.

*Sed major illorum qui S. Nicolao se commendabant.*

31. Hi ergo Centuriones eum longè superarunt, qui quamvis ab eo essent maximè remoti, summam habuerunt fiduciam orationes suas in secreto factas ab ipso audiendas, sicque ejus auxilio posse adjuvari: nec fidei illorum effectus defuit, fuerunt enim ejus intercessione liberati. Quomodo id factum est? Apparendo, dicit S. Ecclesia, imperatori, & eum minaciter terrendo. Non offerebat libellum supplicem, ad modum inferioris, sed per modum superioris præcipiebat, & minabatur. Quis non stupebit auctoritatem S. Nicolai, qui cùm adhuc in carne degeret, non solùm non timebat Imperatorem, verùm etiam imperabat, ut subitò obediret? Ad solis comparationem redeamus.

*Sol totum orbem illustrat, sic S. Nicolaus.*

Psal. 18. 7.

32. Sol immittit in omnes orbis regiones radios, & influentias suas unde *non est qui se abscondat à calore suo*: ita nulla est pars orbis ubi S. Nicolaus virtutum, & exemplorum radios nō emittat, sic S. Bernardus, *Habet unusquisque materiam gaudiorum, & laudum, pueri puerum jejunantem, juvenes juvenem liberantem, virgines virginum infamiam propulsantem, senes senis inopiam redimentem.* In omnibus elementis ostendit sua miracula S. Nicolaus, maris furibundas quiescere faciens undas, terræ sterilitatem avertendo, aëris tempestates sedando, & ignem extinguendo. Vnde meritò exclamat S. Bernardus, *Cùm omnis mundus beneficia sentiat confessoris; nec sit qui ab amore ejus se abscondat.* Maximum cæli lumen est sol; & sanctissimus qui isto tempore Mireæ reperiebatur, fuit S. Nicolaus, ideò meritò de ipso cantat Ecclesia; *Non est inventus similis illi.*

S. Bernard. in serm. de S. Nicolao.

Eccli. 44. 20.

*In omnibus soli similis.*

33. Sol oculus mundi nunquam occluditur; sēper vigilat S. Nicolaus, quasi ipsi dixisset Apostolus; *Tu verò vigila.* Maximus minister naturæ est sol; & maximus minister gratiæ ut Episcopus fuit S. Nicolaus, ita ut dicere potuerit cū S. Paulo; *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Dispensator temporum est sol; & Dispensator æternitatis fuit S. Nicolaus per Sacramenta S. Paulo dicente, *Dispensatores mysteriorum Dei.* Nuncius stationum temporis est sol; & divinarum determinationum legatus fuit S. Nicolaus, *Angelus enim Domini exercituū est*, dicebat de Sacerdote Malachias. Creator secundus rerum naturalium est sol; & rerum supranaturalium ut Sacerdos

2. ad Tim. 4. 5.

1. Corint. 4. 1.

Ibidem.

Malachiæ. 2. 7.



cerdos

cerdos mirabilis productor fuit S. Nicolaus: *Hæc quotiescumq; feceritis*, dixit increata sapientia Sacerdotibus. Depulsor tenebrarũ est sol; à peccatorum tenebris liberat S. Nicolaus, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Nullam obscuritatem in sphæra sua admittit sol, liber ab omni culpa esse debet Episcopus: *Oportet Episcopũ irreprehẽsibilem esse*: qualis fuit S. Nicolaus. Numquam quiescit, aut otiosus est Sol; S. Nicolaus ut bonis Episcopus semper operabatur, juxta dictum Apostoli: *In omnibus labora*. Luce suâ bonos laude dignos, & vituperio malos Sol illuminat: reprehendere sceleratos, ac confortare bonos debet Episcopus, *Argue, obsecra, increpa*: dicit Apostolus, sic fecit S. Nicolaus. Rebus omnibus lucem adfert Sol, & illustrare doctrinâ suâ debet omnes Prælatus; *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*, inquit Apostolus; omnibus maximè lucem suæ doctrinæ diffundebat Sanctus Nicolaus.

Ioan. 20. 23

1. Ad Timoth. 3. 2.

*Omnes Solis effectus ipsi conveniunt.*

2. Ad Timot. 4. 5.

Ibid. 2.

Rom. 1. 14.

34. Ut finiamus denique comparationem hanc, quam ad modum paralellorum mathematicorum possemus æqualiter in infinitum ducere; sicut Sol in naturalibus videtur esse vicarius Dei, sic S. Nicolaus ut Episcopus tenuit locum Dei in sua Ecclesia. Juxta illud dictum Salvatoris: *Qui vos audit, me audit*. O qualis Sol terræ, qualis lampas cæli fuit S. Nicolaus, idcircò non permisit Deus ut absconditus maneret; dum enim se ad eremum seducere volebat, ut pœnitentiam ageret, ipsi Deus revelavit, ut in patriam rediret, & veniens Miream quæ Metropolis est Liciæ, dum inter se consultarent de Episcopo deligendo provinciales Episcopi, divinitus ad hanc dignitatem electus, in alto candelabro throni istius Episcopalis fuit positus.

Lucæ 10. 16.

*Ut Sol non potuit abscondi.*

35. Benè quidem dixi positum, quia in Evangelio dicitur, *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum*. Licet enim unusquisque sibi ipsi videatur lucerna, aut fax ardens, non tamen à seipso in candelabro poni, nec illam dignitatem meritis suis, aut favore procurare debet, sed expectare donec ab alio constituatur. Non fuit etiam coopertus mensurâ grani; dum enim frumento pro civitate suâ indigeret, Deus ei miraculosè providit. Lautitiam ciborum nunquam quæsivit, erat enim maximè abstinentiæ amans, vilissimisque cibis utebatur. Non fuit contentus ordinaria mensura aliorum, quia à pueritiâ tantâ abstinentiâ enituit, ut etiam communes homines jejunio superaret.

Matt. 5. 15.

*Maximâ sanctitate fulsit.*

36. Qualis ergò factus est in ætate virili? Miracula ipsius stupenda sunt, cùm de ipso Ecclesia tamquam de personâ singulari dicat: *Deus qui B. Nicolaum Pontificem tuum innumeris decorasti miraculis*. Et S. Bernardus inquit: *Hic est ille* Nico-

*Miracula ejus maxima.*

S. Bernard. in serm. de S. Nicolao.

*Nicolaus, cujus miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terræ, & omnes qui habitant in eo, tot enim & tanta miracula cumulantur, ut omnes litterarum argutiæ vix ad scribendum sufficiant, & nos ad legendum.* Alii Sancti videntur patrare miracula, usque ad determinatum tempus, & posteà cessant; sed miracula S. Nicolai numquam finiunt: *Crebrescunt enim,* dicit Bernardus, *quotidie miracula, nec requiescit Spiritus Dei, ad memoriam militis sui, sua continuare miracula.*

*In hâc vitâ sanctus effulsit.*

37. In hâc vitâ privilegiis Beatorum frui cœpit, quia privilegium eorum est, posse videre orationes istorum, qui ipsis se commendant. In veteri Testamento non legimus, Hebræos se commendasse alicui Sancto, cùm enim nondum essent Beati, non poterant orationes sibi devotorum percipere, sed sanctus Nicolaus adhuc mortalis hoc privilegium habuit, & orationes trium tribunorum à se longè dissitorum percepit, illosque miraculosè liberavit, ut antè diximus. Tandem cùm gratiæ quas à Sanctis postulamus diversæ sint; juxta diversa illorum merita; quia sancta Apollonia invocatur pro dentium dolore, sancta Lucia pro oculis, sancta Barbara pro conservatione à fulgure, sanctus Blasius pro gutture; ad sanctum Nicolaum pro malo omnium maximo, pro liberatione ab inferno recurrimus, sic nos docet S. Eccesia, dicens in oratione festi illius: *Ejus precibus à gehenna incendiis liberemur.* Soli ergò S. Nicolao non sint devoti, qui à gehennæ incendiis non quærunt liberari.

*A gehenna omnes liberat.*

# IN FESTO
# S. THOMÆ APOSTOLI.
## DISCVRSVS TRIGESIMVS PRIMVS.

*Quàm benignè à Christo ab incredulitate revocatus:*

## Accipiter fugitivus corde ostenso ad Dominum revertitur.

*Redibit ad Dominum.*

### SVMMARIVM DISCVRSVS.

*Naturam accipitris describit quinque primis numeris.*

*S. Thomam ut generosum Accipitrem ad Christum revocatum ostendit num.* 6. 7. 8. 9. 10.

*An idem viderit & crediderit, inquirit num.* 11. 12. 13. 14. 15.

*Benignè à Christo receptum demonstrat, à num.* 16. *usque ad* 22.

*Cur Christus in tale peccatum eum labi permisit, docet num* 23. 24.

*Tres ob causas illud accidisse à num.* 25. *ad finem usque prosequitur.*

1. *Laus Accipitris.* IN parvo corpore nobilem & generosum spiritum recludit Accipiter, socius hominis in venatione, deliciæ Principum, armiger invictus, voluntarius carceratus, amplexuum amãs, laudis cupidus, obediens, & velox. Mulieribus in pretio esse deberet, cùm inter ipsos femellæ grandiores sint corpore, viribus potẽtiores, & venationi avium aptiores ministræ. Licet enim calor sit occasio magnitudinis, & fortitudinis, qui in mulieribus major est, quàm in viris; hoc tamen intelligitur, si cum aliis qualitatibus benè contemperatur & non transeat terminos mediocritatis. Cujus rei rationem reddit Aristoteles, quia in Ægypto calidissimâ Regione Accipitres minores sunt quàm in Græciâ; è contrà in Germaniâ, & aliis frigidioribus Regionibus, Accipitres majores sunt quàm aliis in partibus, idem Albertus Magnus affirmat. Sed dicere possemus non esse eandem ratio-

rationem caloris extrinseci & intrinseci, masculorum, & fœminarum. Eò quòd animal hoc generosum & audax facilè domesticatur, quia animalia timidiora, suspicionem semper alicujus mali habent, ideò de manu hominum citiùs avolant, seque contingi non permittunt. Sed Accipiter generosus, & audax ab hominibus se facilè permittit contrectari: & licet teneatur in vinculis, emissus tamen ad magistri manum revolat.

*Cur facilè domesticatur.*

2. Asserunt Aristoteles & Plinius Accipitrem cor animalium, non manducare, contrarium docent moderni, quorum unus sic ait: *Cor sanè præfertur, & nihil eò suaviùs gustant Accipitres, quod Aristotelem, & Plinium ignorasse miramur.* Ipsis etiam gallinæ placent, & columbæ, quibus aucupes utuntur, ut illas capiant: duas siquidem virgas visco liniunt, inter quas columbam ligant, ut dum Accipiter illam capturus advenerit, alis visco inhærentibus statim capiatur. Ita autem capti, numquam domesticari possunt, sicut qui è nido desumuntur.

*Cor animalis comedit libenter.*

3. Primus illos domesticos reddidit Rex Daucus, Crescentio teste, quem posteà multi secuti, de illis varios scripsêre libros. Faciliùs fœminam domesticari quàm masculum ajunt, cibum manu porrigendo, dorsum leviter fricando, & dulciter tractando; verùm cavendum est ne quid mali patiantur, quia facilè indignantur. Si permittantur volucrem aliquam insequi, non ampliùs ad dominum redeunt; nisi magnâ adhibitâ industriâ, illos alliciendo vocibus, partem aliquam carnis, aut cor avis, vel columbam albam demonstrando. Maximam adhibere debent magistri diligentiam, dum pennas mutant; ut observat sanctus Gregorius in illum locum Job: *Numquid per sapientiam tuam plumescit Accipiter, expandens alas suas ad Austrum.* Qui scribit singulis annis mutari, alas ad Austrum aut Solem expandendo. Ægyptii illum Solis amicum appellabant; Strabo dicit in Ægypto fuisse civitatem nomine ipsius appellatam, in quâ ut Deus sub specie Solis adorabatur, apud quos etiam Hieroglyphicum Solis erat propter acumen ingenii, & oculos perspicaciores, quia fixis oculis absque palpitatione Solem intueri potest, & singulis mensibus consorti suæ jungitur, ut Luna cum Sole; sicuti etiam Soli attribuitur generatio metallorum, sic Accipiter aliquam habet sympatiam cum metallis, maximè cum auro, quia ossa ipsius dicuntur aurum attrahere sicut calamita, vel magnes ferrum.

Crescentius in suâ agriculturâ

*Fœmina faciliùs domesticantur.*

Job. 39. 26.

S. Gregor. super caput 39. Job.

Strabo lib. 17.

*Hieroglyphicum Solis erat.*

4. Duas insuper alias rationes assignat. P. Causinus cur Accipiter sit Hieroglyphicũ Solis; unam ex arte divinandi acceptâ, alteram ex arte medicandi; quæ sub nomine Apollonis Soli attribuũtur. Prima erat, quia stolidissima illa gens,

Causinus in observationibus Horol. lib. 1. cap. 6.

*Antiqui immortalem & futurorum præscium putabant.*

putabat non solùm animam Accipitris esse immortalem, sed etiam futurorum præsciam, ac virtutem divinandi habere. Unde refert Porphyrius eò usque insaniç multos artis divinandi cupidos devenisse; ut intestina calida Accipitris, cum sanguine deglutierint, persuadendo sibi cum his etiam se animam ipsius sumere, sicque mirabiliter cum Spiritu, & virtute ipsius posse continuò miracula evomere. Quoad artem medicinæ, multum ipsi tribuebant Antiqui: ut enim Pierius inquit, ad hanc superstitionem gentilitas devenit, ut in certis infirmitatibus nullum aliud remedium salubrius judicaret quàm pulverem in quo se Accipiter volutarat, linteo involutum, collo appensum tenere. Persis etiam in honore erat Accipiter; cùm enim Quintus Curtius vestem Darii Persarum Regis describeret, dixit illam auro intextam, & figurâ Accipitrum aureis rostris se invicem tangentibus elaboratã fuisse. Verba ejus hæc sunt: *Pallã auro distinctã, aurei accipitres velut rostris inter se corruerẽt adornabãt.*

*A Persis honoratus.*

5. Non sunt tamen omninò à morbis oculorum liberi; refert quippè Albertus Magnus dum quidam aucupes sylvam intrarent, ad prædam accipitrum, unum majorem aliis, ac propter senectutem superiùs canum, arbori insidentem viderunt, & paulatim accedentes cùm se non moveret, visu privatum invenerunt; cupientes autem scire quo modo sustentaretur se abscondentes juvenes Accipitres venientes conspexerunt, qui carnem ex præda captam ipsi apportarunt, ac minutim confregerunt, ut manducaret. Hi esse debebant antiqui Accipitris pulli, qui vicem Patri reddentes, se gratos exhibebant; nam ut refert Albert. maximâ curâ patres juniores enutriunt, & in venatione instruunt, dicitq; se vidisse, patres ante pullos avem vivam ponentes, ut illam insequerentur pulli, & acciperent.

*Iuniores seniores alunt.*

6. Multò tamen meliùs discipuli à Christo edocti fuêre ad prędandas animas de manu dæmonis, quando in præsentiâ ipsorum attraxit Thomam in rete suum; qui non benè domesticatus ab ipso fugerat. Fuit ut juvenis accipiter propter paupertatem, quia simul cum aliis omnia reliquerat ut Christum sequeretur; animo generosus fuit, ut patet ex ejus verbis, dum Christus in Bethaniam ire volebat Lazarum resuscitaturus dicebat enim condiscipulis: *Eamus & moriamur cum illo.* O quàm fortis fuit ille amor, & intrepidus? Nos omnes nomen mortis expavescimus, & fugimus, quãtum possumus, mors tamen nobis multò velocior equo insidens, velocissimè nos insequitur, ut vidit illam S. Joannes, benè facit qui illam advenientem patienter sustinet. Multò tamen meliùs agit, & majorem demonstrat fortitudinem, qui illam non fugit, sed corde

*S. Thomas ut Accipiter fugitivus à Christo vocatus.*

Joann. 11. 16.

Apoc. 6. 8.

*Generosus fuit quia mori non timuit.*

de firmo, & animo intrepido præstolatur. Quid de S. Thoma dicemus, qui non solùm mortem fortiter expectare vult, sed etiam illi obviam ire? *Eamus*, inquit, *& nos, & moriamur cum illo*: sed verba operibus non correspondebant; dum enim occasio sese offerebat pro Salvatore mortem sustinendi, longiùs inde fugit; quin imò mulieres ipso multò fortiores erant, nam Christum in Passione sequebantur, & juxta crucem manebant, ubi ipse cum aliis se abscondebat. Multò etiam aliis timidior, ne quidem post Resurrectioně ad Christum venire volebat; & aliis discipulis ipsi mirabilě Christi Resurrectionem prædicantibus, tam obstinatus & pertinax in suo errore persistebat, ut dixerit: *Nisi videro, non credam*; nec solùm dixit non credo, sed numquam vobis credam nisi videro, & tetigero magistrum meum quem vos resuscitatum dicitis.

Joann. 11. 16.

*Posteà multò aliis timidior.*

Joann. 20. 25.

*Quæ infidelitatis occasio?*

7. Quàm afferemus rationem hujus infidelitatis, & incredulitatis S. Thomæ? Varias sancti Patres & Evangeliorum expositores adducunt, sed illas brevitatis ergò relinquemus; solummodò illam referam quam ego probabilissimā esse judicavero, estque ab Accipitris similitudine non redeuntis ad manum Domini sui desumpta, qui longo tempore insecutus prædam, dum illâ frui non potest, verecundatur reverti ad Dominum suum, à quo tanto tempore cibum accepit, nec potest remunerari. Sic S. Thomas, animo generosus, considerans se gravissimos cōmisisse errores, relinquendo magistrum ad mortem properantem, summoperè confusus fuit; ac volens unum errorem alio compensare, in infidelitatem incidit, nolens credere ipsum resuscitatum. Quod autem hæc radix fuerit infidelitatis ejus inde patet, quia ex hac omnes hæreses proveniunt; quod Christus nobis demonstravit, dicens: *Omnis qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Sic qui in luce est, & malè agit, fugit à luce ut non appareāt ejus mala opera, sed in tenebris ea abscondit. Sic Hæretici non audent ad claritatem lucis Evangelii venire, ne omnibus eorum mala opera appareant: quomodo Ecclesias spolient, Sacerdotes honore privent, animas defunctorum suffragiis fidelium destituant, & Catholicam fidem miserabiliter dilanient, vitiis, ac sæculi cupiditatibus sese immergentes, in iisque quasi in profundo obscuritatis baratro delitescentes, omnia sibi licita putant. Similiter S. Thomas ut errorem suum tegeret, maluit negare magistrum, quàm illum confitendo, errorem suum, omnibus manifestare.

*Ob verecundiam redire noluit.*

Ioan. 3 20.

8. Benignissimus tamen Salvator non idcircò passus est illum in infidelitatis errore persistere: sed ut expertissimus auceps iterum ad manum

*Christus corde monstrato ad se attraxit.*

manum suam reducere voluit, ideò illi carnem vivam, & particulariter cor demonstravit, dicens: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quod S. Thomas videns, seipsum subitò illi tradidit, juxtà dictum nostri Emblematis: *Redibit ad Dominum*, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Illi pariter convenit, quod in Levitico dictũ est de anno Jubilei, in quo omnia vendita ad primum Dominum reverti debebant: sic Christus in anno Jubilei quinquagesimo, qui in Resurrectione ejus figuratus est, Plenariam omnium remissionem discipulis suis qui illum dereliquerant concessit, ac auctoritatem id ipsum aliis impartiendi dedit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Hinc S. Paulus benè intulit Christum pro nobis pati, & resurgere voluisse, *Traditus est*, inquit, *propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* In hoc ergò Jubileo voluit S. Thomas redire ad Dominum suum, qui nec Judam repulisset, si ad illum revertere voluisset, & non adeò præcipitanter mortem sibi intulisset.

Joann. 20, 27.
Ibid. 28.
Levitic. 25, 28.
*In Resurrectione plenariam remissionem contulit.*
Joann. 20. 23.
Ad Rom. 4. 25.

9. Ut Accipiter capiatur, multùm prodest, si adhuc vincula pedum retineat: non aliter S. Thomæ profuit memoria beneficiorum Christi, & vincula amoris quibus illum dulciter alligaverat, retinuisse: sicut etiam juvit discipulos in Emaus proficiscentes, qui licet non haberent pileum seu cooperculum fidei, quo oculi velantur Accipitris, quia videre se putabant, ligati tamen erant memoriâ beneficiorum receptorum, loquebantur enim de Passione ejus. Sed Christus hos quoque vocavit, illis carnem suam sub specie panis exhibens; quia *cognoverunt eum in fractione panis.* Sed S. Thomæ magis apertè monstravit carnem, & cor dicens: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum*; hæc est illa vox quam Propheta Isaias peccatoribus dicit: *Redite prævaricatores ad cor.*

*Memoria beneficiorum illi profuit.*
Lucæ 24. 31.
Joann. 20. 27.
Isaiæ 46. 8.

10. Unusquisque peccator perdidit cor suum juxta illud Psalmi: *Cor meum dereliquit me*: & illud Prophetæ Oseæ: *Ephraim columba seducta non habens cor*: idcircò exhortatur omnes ut redeant ad cor; id est cognoscant unde deflexerint. Feliciùs S. Thomas reductus est ad cor Domini; quasi enim ipsi dixisset Salvator, ô Thoma perdidisti cor, & cùm sis absque corde vivere non potes; accipe meum cor, libentissimè tibi illud tribuo: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum*, & inde illud accipe. Tantâ ergò benignitate Salvatoris victus cognoscens propriam fragilitatem, cor suum invenit, & Domino obtulit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus*; ita ut dicere possimus ab eo tempore, S. Thomam & Christum unum habuisse cor; imò S. Thomam quasi fuisse cor Christi, & Christũ cor S. Thomæ. Difficilè

*Omnis peccator cor perdidit.*
Oseæ 7. 11.
Joann. 20. 27.
*Cor Christi invenit S. Thomas & retinuit.*
Ibid. 28.

ficilè tamen hoc aliquis credet, quomodo enim Christus accipere potuit cor sancti Thomæ quod fuerat incredulum? Si tamen vim amoris, & vehementiam amantium attendamus, inveniemus amantes non minùs ex personâ amatâ, quàm ex corde proprio vitam trahere, sic enim sponsa in Canticis cælestem sponsum cor suum appellat, dum dicit: *Ego dormio, & cor Meum* (dilectus videlicet meus, ut graves exponunt Doctores) *vigilat*. Nec hæc insueta locutio est, amatores amatā suam cor appellare; verus enim amans tantam afflictionem, & gaudium sentire solet in dolore, vel prosperitate dilectæ, quàm in seipso sic Christus in fine vitæ Patri æterno spiritum suum commendavit, & discipulos, ut inquit S. Athanasius: *In eo* (*spiritu* videlicet) *omnes homines apud Patrem deponit, & commendat, per ipsum, & in ipso.*

Cant. 5. 2.

S. Athanas. in orat. de humanitate Christi.

11. Accipitri post reditum pileolo velantur oculi, ne ampliùs effugiat; S. Thomæ dedit Deus pileum fidei, quo velavit oculos intellectus, ad obediendum fidei; sicut dicit Apostolus: *Captivantes intellectum in obsequium fidei* Sanctus quoque Gregorius rationem reddens, dicti Apostolici: *Fides est argumentum non apparentium*, sic inquit: *quæ enim apparent fidem non habent, sed agnitionem*. Sed alia hîc oboritur difficultas, cur Christus dixerit S. Thomæ: *Quia vidisti me Thoma credidisti?* Cur simul jungit visionem, & fidem, quæ simul esse non possunt? Hoc etiam S. Gregorius solvit, dicendo duo diversa fuisse objecta. circa quæ fides, & visio versata fuit: *Aliud vidit, & aliud credidit: hominem vidit, & Deum confessus est*; ita ut fides habuerit pro objecto Deum quem non videbat; & visus hominem quem videbat. Sed nondum plenè hæc difficultas soluta videtur; si enim ita esset intelligendum, malè adderetur illa particula *quia* tamquam illativa fidei subsecutæ; sed videre unum objectum, non inducit ad aliud credendum, maximè tam diversum, ut est Deus, & homo: ergò loquitur de eodem objecto, quantum ad visionem, & ad fidem: ampliùs dico, quòd tunc agebatur de Resurrectione Christi, ad quam credendam invitatus fuerat S. Thomas, & dici debet fidem S. Thomæ laudatam fuisse, videlicet, quia vidisti me Thoma cum quinque his vulneribus sicuti fui crucifixus, idcircò credidisti me resurrexisse.

1. Cor. 10. 5.

Ad Hebr. 11. 1.

S. Gregor. homil. 26. In Evang.

Joann. 20. 28.

S. Gregor. ibid.

*Quomodo intelligitur videre & credere?*

12. Alii tamen dicunt, Christum nō locutum fuisse de fide supernaturali, quæ est virtus Theologica, sed de fide humanâ, quæ potiùs persuasio vocari potest, quasi diceret, Quia vidisti me sic, persuasisti tibi, me resurrexisse. Sed hæc expositio non mihi placet, dum enim Salvator noster invitabat S. Thomam ad se tangendum, dicens: *Noli esse incredulus sed fidelis*, verisimile non est ipsum invitasse ad

*Videtur de fide humanâ intellexisse.*

Joann. 20. 27.

ad credendum fide humanâ, & sine merito, sed verâ fide quam Dominus desiderat; ut enim ad aliam fidem induceret, non opus erat miracula patrare, aut vulnera demonstrare. Clarum denique est, istis verbis: *Beati qui non viderunt & crediderunt*; Christum de fide supernaturali loqui: de eâdem ergò fide loquitur Christus dum dixit S. Thomæ: *Quia vidisti me Thoma, credidisti*; alioquin contrapositio illa non valeret, quia verbum *credidisti* æquivocè acciperetur à Christo in eâdem dictione, quod non est credendum.

Ibid. 29.

*Vtrùm simul stare possint fides & clara visio?*

13. Puto ergò Christum semper de verâ fide locutum quam sanctus Thomas habuit, quia illum resuscitatum videns, cognovit eumdem esse qui paulò antè passus, & in cruce mortuus erat. Dices, simul ergò stare poterunt, clara visio, & fides: Respondeo claram visionem & fidem eâdem ratione circa idem objectum non posse simul esse; sed benè cum visione non ita certa, quia certitudo illa fidei à visione haberi non potest; alioquin visio excluderet certitudinem fidei, sequereturque dum res aliqua videretur, non ita esse certam, ut anteà dum visa non esset. Exemplo clariùs patebit; æmptio, & donatio ejusdem rei simul esse non possunt, si enim eam dono acceperis, non potes dici, illam emisse. Sed si velis equum emere qui constat ducentis florenis, & offeras solummodò centum, ac venditor diceret valere ducentis florenis, seque tantum inde potuisse habere, nihilominus diceret, quia amicus meus es, contentus sum à te accipere centum florenos, alios centum tibi dono; sine dubio hæc esset venditio & donatio, venditio in quantum solvis centum florenos, & donatio, in quantum tibi donatur medietas pretii.

*Fides & visio quomodo simul esse possint.*

14. Eodem modo visio, & fides ejusdem rei repugnant, sed si videndo rem aliquam mediocrem inde haberes certitudinẽ, & adjungis ex fide tot gradus certitudinis, ita ut ad summam certitudinem perveniat, sine dubio illud augmentum certitudinis posset ex fide esse: sicque visio, & fides ejusdem rei simul esse possunt. Sed quis nescit multò majorem esse certitudinem fidei, quàm quæ causatur à visione? Oculus sæpè fallitur, sed fides numquam: unde S. Apostolus Petrus postquam dixerat se fuisse spectatorem illius magnæ gloriæ in monte Thabor, adjunxit: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem*; nota *firmiorem*, certior ergò est cognitio fidei, quàm oculi; proptereà possunt simul esse; licet cognitio oculi diminuat meritum fidei: sicut enim solutio medietatis pretii diminuit liberalitatem donantis, sic cognitio visionis diminuit cognitionem & meritum fidei. Sanctus ergò Thomas veram habuit fidem, quia credidit cum majori certitudine, quàm ipsa

2. Petri 1. 19.

ipsi sola visio indicabat, sed non habuit tantùm meriti, quia illud ex parte visionis diminutum est, unde ipsi dixit Salvator: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Joann. 20. 29.

15. Si hoc verum est, quid sibi vult, Christum dixisse Apostolis: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis?* Si visio tollit meritum, quomodo non potiùs sunt beati qui non vident, ut Salvator dixit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, quàm illi qui vident? Quomodo ergò in uno loco videtur dici oppositum alterius? Fortè uno in loco solummodò fit sermo de oculis, idcircò dicitur; *Beati oculi*; in altero fit sermo de beatitudine cordis? Vel dicuntur Beati isti, qui illum viderunt mortalem quibus non tollitur meritum fidei, & non dicuntur Beati qui videbant illum immortalem, quia fidei meritum in eis minuebatur, dicente S. Augustino: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum?* Vel in primo loco sermo erat de beatitudine inchoata, & præsente; in secundo loco de beatitudine consummata, & futura? Vel diverso respectu dicuntur beati qui vident, & beati qui non vident? Vel in primo loco comparantur præsentes cum præteritis, & in secundo loco præsentes cum futuris? Vel ibi loquitur universaliter, hîc verò soli sancto Thomæ particulariter: vel ibi præsupponitur fides ante visionem, hîc verò visio ante fidem; sicuti beatum est videre illud quod creditum fuerat, & posse dicere: *Sicut audivimus, ita & vidimus*: sic minuit beatitudinē, visio antecedens fidem? Vel tandem beati in primo loco vocantur videntes, propter commoditatem lucrandi omnes virtutes, & in altero loco non videntes beati dicuntur propter majus meritum fidei? Ex his determinet Lector quod responsum sibi verius, & convenientius videatur; aut novum aliquid inveniat; nos verò ad sanctum Thomam & similitudinem Accipitris redeamus.

Lucæ 10. 23.

*Quomodo intelligitur beati oculi qui vident, & beati qui non viderunt.*

Psalm. 47. 9.

16. Notandum hîc est, quod sicut auceps non objurgat, aut percutit Accipitrem fugitivum. Sed dulciter tractat, & invitat ad redeundum blandiendo; sic Christus cum S. Thoma dulciter egit. Et sicut aliis Apostolis jam dederat Spiritum sanctum, cum auctoritate remittendi peccata, sic etiam S. Thomæ postea dedit, & illum suis donis ditavit. Si enim de S. Joanne Evangelista qui supra pectus Domini tactum & clausum in cæna recubuit, sacri Doctores affirment, quòd inde divinam sapientiam, & secreta cælestia hauserit; Quid de S. Thoma dicemus, cui non pectus obseratum, & tectum; sed apertum oblatum fuit ut tangeret? Si sanctus Joannes appropinquando solummodo paradisi deliciis, tot bonis refertus fuit; quid non accepit S. Thomas, cui non solùm appropinquare, verùm etiam manus imponere concessum fuit.

*S. Thomas benignè à Christo receptus.*

*Ingens beneficium consecutus.*

fuit. Magnus fuisset creditus favor, si S. Thomæ concessum fuisset, Christum viventem tangere, sed multò major post resurrectionem ipsi factus est, dum corpus Christi gloriosum & impassibile tangere meruit.

*Probatur similitudine porta sancta.* 17. In Anno Sancto Jubilei, Summus Pontifex portam sanctam templi eminentioris Romæ aperit, quod est quasi ærarium cæleste, à quo nobis isto tempore abundantissimæ gratię proveniunt, & unusquisque per eam intrare, & exire potest. Sed dum tempus claudendi advenisset, si Summus Pontifex propter unam personam particularem, quam expectabat, vellet adhuc illam tenere apertam, quis non diceret maximam gratiam illi personæ fieri, quis non judicaret magnum illum debere esse Principem? Hoc cum S. Thoma hodiè factum est; quia templum omni templo sanctius, fuit corpus Salvatoris nostri, de quo ipse dixit; *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*: Porta sancta, est sanctissimum vulnus lateris ipsius, idcircò non sine mysterio dixit Evangelista: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit*, non autem *vulneravit*; quia erat porta per quam ad nos omnia bona effluxerunt, ut inquit S. Bernardus; *Portæ cæli sunt, de quibus non solùm fluvius sanguinis, & aquæ; sed in sanguine gratiarum profluit plenitudo*. In resurrectione hæc porta claudenda erat, quia gloria corporis beati, sanat, & claudit omnia vulnera; his tamen non obstantibus, voluit summus Pontifex hanc portam tenere apertam, propter quem? Solummodo propter S. Thomam, ut ipse in eam intraret, sicque divitias inæstimabiles, vitam, & salutem sempiternam consequi posset: *Propterea enim*, dicit Eusebius Emissenus, *Dominus suorum vulnerum cicatrices reservare voluit, & delere noluit, quia per has ejus discipulum sanare, & ejus mentis vulnera curare disponebat*.

*Ioan. 2. 19.*

*Porta sancta vulnus lateris Christi*

*Ioan. 19. 34.*

*Bernard. serm. 4. in parasceve.*

*S. Thomas Christum rursus pati compulit.* 18. Amplius dico, tantus fuit amor quem Christus S. Thomæ monstravit, & desiderium quod habuit ipsius salutis, ut si opus fuisset, pro ipso solo de novo Cruci affixus fuisset; Quid enim aliud fuit ponere digitos in vulnere lateris & manuum ipsius, nisi iterum dolorem crucifixionis renovare? Sic pulchrè explicat S. Petrus Chrysologus dicens: *Ut Christum crederet, iterum pati compulit*; & alibi, *cur illa vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextra sic resulcat? Cur latus quod impii militis lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis?* Nec mirum hoc videri alicui debet, quandoquidem à peccatoribus Christus recipiat vulnera in anima, & in corde; ita ut iterum dicatur Cruci affigi, juxtà illud Apostolicum: *Rursum Crucifigentes sibi metipsis filium Dei, & illum ostentui habentes*; ut ergò non crucifigeretur in anima, credibile est voluisse in corpore crucifigi.

*Chrysol. serm. 48.*

*Ad Hebr. 6. 6.*

19. Hinc

*S. Thomas medicus Christi, & sui ipsius.*

19. Hinc collige immensum Dei amorem ergà S. Thomam, licet enim graviter infirmaretur, & Christus illum ut medicus visitaret, voluit, tamen ut S. Thomas medicus ipsius esset, quia sicut medicus manus infirmi tangit, & cor, ut pulsum & palpitationem sentiat, sic S. Thomas manus, & cor Christi tetigit; quia major erat amoris languor in Christo, ut S. Thomam sanaret, quàm infidelitatis ipsius morbus. Propterea S. Thomas tam ardentem Christi amorem cognoscens, exclamare cœpit, *Dominus meus, & Deus meus*, confitendo illum Dominum, & Deum, non enim tantus amor in corde humano reperiri poterat, sed corde divino opus erat.

Ioan. 20. 29.

*Cur discipuli euntes in Emaus duriùs excepti & S. Thomas blandè.*

20. Dicet fortè quispiam, cur discipuli euntes in Emaus duriùs à Domino excepti fuerunt, exprobrando illis cordis duritiam, & S. Thomas blandè invitatus est ad credendum? fuitne culpa discipulorum illorum major? Videtur quod non, quia tanta testimonia resurrectionis Christi non receperant, nec sese pertinaces monstraverant, ut S. Thomas. An fortè Salvator noster magis honorabat, sanctum Thomam quia ex numero duodecim Apostolorum erat? Sed Christus non est personarum acceptor, & quantò major fuit ejus dignitas, tantò major culpa erat; quare ergò hæc ita aguntur? Dicunt aliqui, quia cum S. Thoma loquebatur in præsentia Apostolorum, & cum duobus discipulis solus loquebatur; unde non præjudicavit ipsorum famæ, & honori, sicut S. Thomæ fecisset. Hæc tamen mihi ratio non placet, quia incredulitas S. Thomæ omnibus nota erat, quare publicè debebat reprehendi; fortè quia duobus istis discipulis apparuit in aliena forma, in qua non cognoscebatur, S. autem Thomæ in propria forma apparuit. Tam benignus est Salvator noster, ut in propria forma non videatur posse dicere verbum aliquod asperum suis discipulis, sed peregrinam formam assumpserit dum illos asperiùs redarguere vellet; ut de ipso affirmat Isaias, *Vt operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Vel quia S. Thomas majori infirmitate laborabat, noluit adhibere remedia adeò aspera: fortè etiam fuit S. Thomæ magna cōfusio, audire se incredulum nominari coram omnibus discipulis, & à Christo improperari sibi illa verba; *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum*, &c. Unde tam perfectè cognovit errorem suum, ut videretur potiùs compassione, & consolatione, quàm novâ mortificatione dignus. Vel meliùs dicamus, non fuisse tantam confusionem S. Thomæ audire se vocari incredulum, vidit enim se tam benignè à Christo accipi, & animus generosus plus confunditur beneficiis, quàm castigationibus; cognoscens quoque vitia sua, puniri desiderat, & maximè

*Benignitas Salvatoris fuit.*

Isaiæ 28. 21.

Ioan. 20. 26.

maximè confunditur dum videt peccata beneficiis compensari.

*Benignitate Christi confusus.*

21. Hanc confusionem, & affectum in filio prodigo cognovit S. Petrus Chrysologus dum dixit: *Terret osculum, turbat amplexus, & capere ad vindictam, non recipere ad veniam pater creditur.* Sic S. Thomas, videns se à Domino benignè excipi, dum castigationem, ac reprehensionem expectabat, remansit ita confusus, ut quid diceret, nesciret; non audet se excusare, non petit remissionem, non postulat sibi ignosci; sed prorumpit præ confusione in verba imperfecta; dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Tandem cùm Christus perfectissimè cognoscat corda omnium & cogitationes, absque dubio iis usus est modis, quos cognoscebat plus posse prodesse, ad consequendum finem intentum.

Ioan. 20. 28.

*S. Thomas vinculo benignitatis ligatus.*

22. Solent Accipitri ligari pedes, ut certiùs à Domino conservetur; sic S. Thomæ amore, & beneficentiâ omnes affectus quibus tamquam pedibus ferebatur ligati fuerunt, ita ut non ampliùs à Domino suo fugere potuerit. Quinimò austro Spiritus sancti & soli divini amoris se exponens, pennas immutare cœpit, ac ubi primò ad evolandum extra societatē Christi pennis usus fuerat, modò ad serviendum Domino in venatione sese obtulit. Sed Dominus ostendere volens, quàm fidelis Accipiter S. Thomas esset, ad ultimas Indiæ oras illum destinavit; ubi tam copiosam consecutus est prædam, ut hucusque maneat memoria, & signum beneficii accepti: Lancea nimirum quâ transfixus fuit, & Crux quam sanguine moriens, in petrâ deliniaverat, quę certis anni temporibus in varios mutatur colores, maximè instante aliquâ calamitate. Lancea quoque non sine Dei nutu, cum ipso sepulta inventa fuit; ut dulcissimam Sponsam suam quâ regnum æternum obtinuerat, secùm haberet, in memoriam lanceæ quâ Christi Domini pectus in Cruce apertum fuit, unde nobis tot dona profluxerunt.

*Fidelis Christo semper fuit.*

*Cur in incredulitatem lapsus?*

23. Cùm verò Dominus ita amaverit S. Thomam, cur ipsum in peccatum incredulitatis labi permisit? Numquid melius fuisset, prævenire malum, quàm posteà curare? Numquid desiderabilius est innocentem esse, quàm pœnitentem? Nónne melius fuisset, ut Apostoli qui magistri totius mundi, Duces & Principes gregis Christi, iudices universi, & maximi sancti totius christianissimi esse debebant; tam puri, & mundi fuissent, ut in eis nulla macula iniquitatis reperiri potuisset? Dum Gentiles idololatras confundere vel arguere volumus illis, probra falsorum Deorum; adulteria Jovis, furta Mercurii, crudelitatem Saturni, vindictam Martis, vanitatem, & invidiam Junonis, inhonestatem, & turpitudinem Veneris, exprobramus. Idem prorsus argumen-

*Cur fundamenta Ecclesiæ peccatores fuerint?*

argumentum ipsi in nos retorquere possent, qui sanctos, similibus vitiis inquinatos adoramus: ut David fœdatum adulterio, Magdalenam omnibus peccatis repletam, Petrum perjurum, Paulum persecutorem, Thomam incredulum; quales erunt discipuli, si tales sint magistri, possent dicere Gentiles.

S. Ambros. part. 3. Apologia 2. pro Davide.

24. Hæc quæstio, primò à me inquisita non est, sed à S. Ambrosio, qui in personâ Gentilium dicit: *Eccè quomodo Christiani innocentiam sequuntur, fidem præferunt, religionem venerantur, castitatem docent, quorum Principes homicidia, & adulteria fecisse produntur, quales possunt esse discipuli, quorum tales magistri sunt?* Quid ergò dicemus? Deum illum à culpâ præservare non potuisse? Illud dicere, maximâ culpâ non vacaret, & pejor esset defensio, quàm offensio. Milo Crotoniatus, dum pomum manu stringeret, nullus adeò fortis reperiebatur, qui illud è manu ejus eripere posset: Deus noster justorum animas in manu suâ tenet, juxtà illud Sapientis: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*; quis ergò efficere poterit ut de manu ejus cadant si ipse noluerit? Numquam profectò decidere poterunt, nisi manu divinæ providentiæ apertâ elabi permitterentur. Hâc de re multas pulcherrimas, doctissimasque rationes adducere possemus, quas ad tria capita reducemus; ad utilitatem ipsorum, ad beneficium aliorum, & ad majorem gloriam ipsiusmet Dei.

*Cur sanctos Deus in peccata labi permittit?*

Sapient. 3. 1.

*Ob tres causas:*

25. Aliquando bonis valdè utile est cadere, quia meliores resurgunt, cautiores, humiliores, & ferventiores evadunt. Hanc rationem S. Ambrosius assignat: *Sancti* (inquit) *sicubi fortè ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solùm nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.* Ut ergò non discedamus, ab exemplo Davidis, de quo S. Ambrosius loquebatur, quis nescit illum posteà fuisse temperantem, quandoquidem maximè sitiens, aquam cisternæ Bethlehemeticæ, à tribus fortissimis Ducibus allatam bibere noluerit, sed illam libaverit Domino, dicens: *Numquid sanguinem virorum istorum bibam?* Eccè quàm temperans, quàm cautus, quàm timidæ, & scrupulosæ conscientiæ est effectus? Sparserat sicut aquam sanguinem Uriæ, nunc timet bibere aquam, quasi sanguis fuisset: extenderat manum suam ad illicitas, & superfluas voluptates; nunc à licitis, & necessariis abstinet, unde dixit S. Ambrosius: *Vicit naturam, & qui se ab irrationali appetitu vinci permiserat, nunc etiam naturam ipsam virtute superat.* Ulteriùs adhuc processit, dum enim Angelus percuteret populum seipsum pro eo obtulit; & dum uni vitam ademisset, pro

S. Ambros. cap. 2. de prima Apologia Davidis.

1. *Ob utilitatem ipsorum:*

2. Reg. 23. 16.

*David post lapsum sanctior.*

Ubi suprà.

pro multis vitam suam offerebat; cùmque se pro victimâ obtulisset; *Dignus statim*, inquit S. Ambrosius, *sacrificio judicatus est, qui absolutione judicabatur indignus.* Samson pariter majorem inimicorum numerum occidit, ab illis captus, quàm liber, ut ad hoc propositum notat Bachiarius, qui inter cætera dicit: *Solet percussus miles in primo certamine, in secundo fortiùs dimicare, & contra percussorem suum magis iratus insurgere.*

S. Ambros. cap. 7. Apolog. 1. de Davide.

Bachiarius epist. ad Januarium.

26. Secunda ratio est propter beneficium nostrum; ut inde discamus pœnitentiam agere, dum videmus illos turpiter cecidisse, quos homines fuisse cognoscimus, ejusdem naturæ nobiscum, sed superiores virtutibus, nec desperemus illos imitari. Quam rationem sanctus Ambrosius pulchrè declarat, dicens: *Præteriit paulisper illos Dei gratia, ut nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina; & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus: ergò dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco, dum credo consortes imitandos esse præsumo.* Sicut ergò Deo placuit, ut in Sole, Lunâ, aliisque pulcherrimis mundi creaturis, tenebræ, obscuritates, & maculæ apparerent; ut homines illas Deos esse non crederent, & adorarent; sic ut homines sanctos, miraculorum gloriâ coruscantes, & opera humanam naturam excedentia patrantes non Angelos esse, aut naturæ alterius quàm nos sumus, crederemus, permisit Deus, ut sæpiùs tentarentur, & aliquando succumberent. Quod solitâ eloquentiâ suâ explicat S. Ambrosius: *Si inoffensum à vitiis inter tot lubrica hujus sæculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cujusdã superioris eos naturæ ac divinæ fuisse.* Cognovit hoc periculũ, S. Jacobus Apostolus, ideò mirabilia quæ Elias in vitâ suâ operatus erat referens, præmittit: *Elias homo erat similis nobis passibilis:* id est subditus calamitatibus, & passionibus hujus vitæ, sicut & nos sumus.

*2. Propter beneficium nostrum.*

S. Ambros. ubi suprà.

*Ut cognosceremus illos homines fuisse.*

S. Ambros. suprà.

27. Rationi huic, aliam sanctus Gregorius adjungit; ut ex vitis Sanctorum non solùm discamus illa quæ facere, sed etiam quæ fugere debeamus: *Non solùm*, inquit, *nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit, ut & in victoriâ fortium quid imitando carpere, & rursum videamus in lapsibus, quid debeamus timere.* Si enim in particulari de lapsu sancti Thomæ loquamur, quàm fructuosa documenta ex eo sumere possumus? Primò dicimus, numquam nos à bono consortio separari debere, si enim S. Thomas cum aliis fuisset, primâ vice cùm à Domino visitati fuerunt, in illam incredulitatem prolapsus non fuisset. Secundò, non debere nos nimiùm in nobismetipsis confidere, quam confidentiam demonstrabat, dicens *Eamus & moriamur cum illo.* Tertiò, obstinationem fugiendam. Quartò addit S. Gre-

*Et discere mus quæ facere & fugere debeamus.*

S. Gregor. lib. 2. Moral.

*Ex peccato S. Thomæ 5. documenta sumenda.*

Gregorius quòd fidei nostræ multùm profuit incredulitas sancti Thomæ: *Dum enim* (inquit) *in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis sanavit vulnera infidelitatis*. Ego quintum adderem documentum, nimirum, per hoc medicinam aliquam contrario malo, quod hodiè in nobis regnat contulisse, quia nimis leves, & faciles ad credendum essemus: si enim Christus, ut verè eum resuscitatum crederemus, S. Thomam vulnera sua tangere & videre voluit; non ergò tam facilè sine fundamento solidæ auctoritatis, & certæ experientiæ rebus propositis fidem adhibere debemus.

*Facilitas credendi nocet.*

28. O quanta peccata fugeremus si ad credendum diabolo, carni, vanis persuasionibus, accusationibus proximorum, adulationibus falsorum amicorum, & tantis mundi vanitatibus non faciles essemus? Licet etiam extrema in istis sint odiosa, dum tamen non simul concurrit auctoritas divina, res magis secura est sequi extremum incredulitatis. Pulchrè de hoc inquit Seneca, *Vtrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli credere: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius*. Benè dixit vitium esse honoratius omnibus credere, quia signum est animi innocentis, & simplicis qui non suspicatur in aliis ullum inesse malum. Sed hæc innocentia similis est innocentiæ pecorum, quæ est, stoliditati, & pusillanimitati conjuncta. Propterea legimus in Proverbiis Salomonis, *Innocens credit omni verbo*, quod Paraphrastes Chaldæus exponit *insipiens*, & Isidorus clarius *inexpertus*. Idcircò ab Epicarnio prudentissimè dictum. *Nervi, atque artus sapientiæ sunt, non temerè credere*: sicut enim corpus absque nervis debile est, & impotens, nec alicui resistere potest; sic homo qui omnibus credit, non potest in suo proposito firmus permanere, nam opus est ut in sua mente sæpè contraria admittat.

*Vtrum melius omnibus credere vel nulli?*

Proverb. 14. 15.

*Plurima inde inconvenientia.*

29. Hinc aliud inconveniens sequitur satis magnum, videlicet personam illam si privata est, non parum sibi nocumenti adferre; si verò publica, aliis multò magis. Benè hoc ad propositum nostrum notat S. Bernardus: *Est item vitium, cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis me judice solitarius, quia veraciter singulariterque, levasti te supra te juxta Prophetam, facilitas credulitatis, hoc est, cujus callidissima vulpecula, magnorum neminem, comperi satis vitasse astutias. Inde eis ipsis pro nihilo ira multa, inde innocentium frequens addictio, inde præjudicia in absentes*. Sed si hæc superflua credulitas, nascitur ex ignorantia, & insipientia ut jam vidimus, quare à S. Bernardo comparatur vulpeculæ animali astutissimo? Respondeo meritò à Sancto Bernardo hoc ipsi nomen attribui, licet enim simplicitas se teneat ex parte subjecti; credulitas tamen vitio-

S. Bernard. lib. de consideratione ad Eugenium.

*Facilitas credendi vulpi comparata.*

sa intrat in animam sub specie boni, & se cooperit vestibus innocentiæ, & virtutis,& decipit eum, qui illam recipit; ideò meritò comparatur non lupo, qui palam aggreditur & dilaniat, sed vulpeculæ quæ fraudulenter insidiando, damna infert.

*Superiorum hoc vitium frequenter.*

30. Respexit quoque S. Bernardus non ad eos qui credunt, sed ad eos qui inducunt Principes ad credendum, qui mendaciis, imposturis, & simulationibus, quasi tot vulpes viam præparant in mentibus Principum, suntque ipsis & Reipublicæ maximè nocivi; vix tamen ullus Princeps, aut superior est qui illos non admittat, ut notat S. Bernardus. Meritò ergò Clemens Alexandrinus dicit: *Multa incredulitas benefacit, fides verò* (humana scilicet) *mala*. Sic S. Paulus exhortabatur Ephesios, ut non essent faciles ad credendum dicens: *Vt jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*: Quod correspondet dicto sapientis; *Qui citò credit, levis est corde*; res enim levis, ut pluma, vel palea, facilè ab omni vento agitatur, & in varias partes defertur.

Clemens lib. 4.

Ad Ephes. 4. 14.

Eccli. 19. 4.

*3. Propter honorem Dei.*

31. Ad honorem quoque Dei redundant casus, & peccata bonorum, non solùm quia nos inducunt ad cognoscendam differentiam sanctitatis infinitæ, & immutabilis creatoris, ad finitam, & inconstantē sanctitatē creaturarum; verùm etiam quia Deus inde occasionem accipit promulgandi, & demonstrandi varia sua attributa, & particulariter bonitatem, & misericordiam, ut videmus in hoc casu S. Thomæ. Dum aliquis inter homines magnâ à quopiam affectus est injuriâ, dedecus sibi maximum imputaret, si in tantum se humiliaret, ut primus pacem appeteret, & admitteret omnes conditiones quas adversarius ejus ipsi proposuerat. Sed eccè Salvator noster, desiderat amicitiam cum hominibus initam conservare, & reintegrare. Cùm enim à S. Thoma tantâ affectus esset injuriâ, non dedignatus est ipsum invitare, & vocare, cùm de ineunda pace nihil protulisset, nec suum factum excusâsset; ultrò Christus seipsum pro pace offert, omnes conditiones ab illo positas acceptat, latus, & manus ostendit, ipsum advocat dicens: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.*

*Quia ostendit misericordiam & benignitatem.*

Joan. 20. 27.

32. Sicut ergo Christus de infirmitate Lazari dicebat; *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*: Sic de hoc S. Thomæ peccato dicere possumus, non fuisse ipsi ad mortem, sed pro gloria Dei, ut videlicet meliùs gloria Dei elucesceret, id est misericordia ejus, quæ sub nomine gloriæ ab Apostolo accipitur dum dicit: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei*: misericordia videlicet ut remittantur peccata. Placeat suæ divinæ majestati, ut nobis contingat, quod

*In S. Thoma relucet Dei misericordia.*

Joan. 11. 4.

Rom. 3. 23.

*Cum Sancto Thoma ad Christum accedendum.*

quod Sancto Thomæ; quod profectò fiet, si nos cum S. Thoma ab ipso invitati ad sacra ipsius vulnera accedamus, non ea oculis corporis sed mentis contemplando, quòd illa pro remissione nostrorum peccatorum susceperit; ipsum verum Deum, Dominum, ac Redemptorem nostrum confitendo, ac ferventi fide, & devotione illi vitæ nostræ emendationem promittendo.

# IN FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

## DISCVRSVS TRIGESIMVS SECVNDVS.

*De lætitiâ & pace universali quam hæc Nativitas mundo attulit.*

### Arcus cæleſtis.

*Species exhilarat.*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*ARcum cæleſtem ejuſq; proprietates deſcribit primis* 13. *numeris.*

*Chriſtum ob pulchritudinem arcui comparat, num.* 14. 15. 16. 17.

*Admirabilem ejus generationem exhibet, num.* 18. 19. 20. 21. 22.

*Cuncta in ejus Nativitate commota, num.* 23.

*Pacem mundo attuliſſe explicat, num.* 24. 25. 26.

*A cunctis cum gaudio deſideratus, n.* 27. 28. 29.

*Omnes arcus cæleſtis conditiones Chriſto appropriat, num.* 30. 31.

*Chriſti Nativitatem, celebrandam, & imitandam proponit, nu* 32. 33. 34.

1. *Arcus cæleſtis ab omnibus laudatus.* NOn minori admiratione, quàm lætitiâ & delectatione humanis objicitur aſpectibus, & Poëtarũ celebratur encomiis, Philoſophorum cõmendatur ſcriptis, Oratorum extollitur laudibus, & ſacrorum Scriptorum honoratur ſententiis, magnus ille, & verè cæleſtis Arcus. Qui longâ expletâ pluviâ, quaſi turbidâ peractâ nocte, ut lucida aurora refulget; poſt tempeſtatẽ horribilem clariſſima lux; poſt amarum planctum, dulciſſimus riſus; poſt minarum acerbitatem, ſuaviſſimum oſculum; poſt longam denique indignantis mœſtitiam hilari facie amabiliſſimus aſpectus. Nemine prævidente ſubitò exoritur, ac muto ſed jucundo eloquio, pacem annuntiat, ſerenitatem promittit, fructuum abundantiam indicat, conſolatur mœſtos, exhilarat triſtes, & pulchritudine ſuâ unumquemque in admi- *Vniverſa lætificat.*

admirationem rapit. Meritò ergò illum summis laudibus extulit Sapiens: *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum, valdè speciosus est in splendore suo.* Non, inquit, si videas illum, sed imperativè *vide*; summa quippè injuria fieret tantæ pulchritudini, & inimicus esses oculis tuis, si tam delectabile ipsis objectum non exhiberes. *Vide* ergò illum, *& benedic eum qui fecit illum*; primum ipsius artificem lauda, qui alius esse non potest quàm divina sapientia, cùm tali pulchritudine excellat, ut divina manus eum fabricare debuerit: *Manus excelsi aperuerunt illum*, inquit Sapiens.

Eccli. 43. 11.

Ibid.

Ibid. 13.

*Excellit pulchritudine.*

2. Meritò illum pulchrum appellat, cùm tres pulchritudinis conditiones, proportio partium, colorum grata varietas, & magnitudo conveniens, in arcu cælesti mirabiliter resplendeant. Proportio ex eo comprehenditur, quòd sit perfectissimè circularis, omnes partes æquè dispositas habeat, ità ut nulla angulum conficere, nulla aliam excedere, nulla magis incurvari, aut minui, nulla denique à centro plus minúsve recedere, aut accedere videatur. Nec minorem inter se colores proportionem servant, cùm nullus alterius locum occupans, nimio se spatio extendat; sed leviter se invicem ultimis terminis complectentes, quasi pulcherrimis lineis artificiosè contextus apparet. Quid de colorum vivacitate referam? Hi quippè reliquos in suâ specie ita superant, ut nullus umquam extiterit in individuo color, qui illis possit adæquari. Quis enim hyacinthus, quæ viola, quis saphirus comparari potest ceruleæ fasciæ arcus cælestis? Quod viride pratum, quæ frondes, quis smaragdus excellens, suo audebit contendere colore, cum viridi cingulo cælestis Arcus? Quod aurum refulgens, quis carbunculus splendens, quod fulgidum metallum ad pręsentiam aurati hujus circuli non videbitur obscuratum? Quæ Rosa sanguineo tinctâ colore, quæ purpura fulgens, quis lychnites, tanto rubore flagrans se rubicundo illi Arcus cælestis colori assimulare poterit? Innumeros omitto colores, ex amabilissimâ inter se commixtione resultantes, & quasi in speculo refulgentes, ut notat Poëta ille famosissimus de Arcu cælesti loquens:

*Colorum varietate insignis.*

*Mille trahit varios adverso Sole colores.* Virgil. Æneid. 5.

*Qui colores in iride?*

3. Mirũ ergò videri non debet, si in his enumerandis non conveniant auctores, & in qualitatibus ejus referendis discrepent. Purpureum & viridem illi S. Cyprianus assignat colorem; S. Gregorius cæruleum, & rubrum: *In Arcu* (inquit) *cælesti color aquæ, & ignis simul ostenditur, partim enim cæruleus, partim rubicundus, ut utriusque judicii testis sit.* Plutarchus & Aristoteles hos tres colores propriè ei tribuunt, puniceum, violaceum, & viridem: alii alios assignant. Aristoteles

S. Gregor. Homil. 8. supra Ezechiel.

Plutarch. lib. 3. de placit. Philos. cap. 5.

Arist. l. 3. meteor. cap. 4. ſtoteles quoque ex contiguitate, & quaſi mixtione varios apparentes colores reſultare perhibet, licet enim omnes in arcu colores non veri, ſed apparentes ſint; adeò tamen varietate gratioſâ reſplendent, ut verè dubitem, utrùm curioſorum magis oculos delectent, quàm confundant. Scio equidem propter varietatem, & colorum vivacitatem, iridem nullo artificio imitabilem eſſe; Ariſtides ſui temporis famoſiſſimus pictor, poſtquam iteratis vicibus docto penicillo illam effigurare tentaſſet, ſe tandem victum confeſſus eſt; & ab incœpto deſiſtens opere, magnam videbatur aſſecutus gloriã, quod illam adumbrare ſolùm auſus fuiſſet: eamque ſic poſteris delineatam, & non coloratam derelinquere voluit.

*Immutabilis eſt.*

4. Nec minùs quàm oculi, confuſus remanet intellectus, perſcrutando naturam ejus, ſi veri ſint colores, an ficti, ſi enim ſint veri, unde nati, vel accepti? Quomodo tam ſubitò diſparent? Quomodo ab omni parte non conſpiciuntur? Si ficti, & apparentes, quomodo à naturâ quæ fingere neſcit, ſunt formati? Quomodo ab oculis noſtris, qui circa proprium non falluntur objectum, non agnoſcuntur? Quomodo à veris, & realibus dependent cauſis? Quomodo denique verarum ſunt nuncii rerum? Quod ſi à Sole in nube reſplendente arcus fiat: Quomodo ſolares non exprimit radios, & Solis figuram non demonſtrat? Si enim Sol non minùs in medio lucet, quàm in circumferentiâ, quomodo circulum in medio totaliter vacuum format? Quin imò ſi Sol ſphæricâ figurâ perfectè apparet, quomodo medium ſolùm efficit circulum? Non ſine ratione ergò Plato in ſuo dialogo iridem Taumantis (id eſt admirationis) filiam nuncupavit, à nobis quippè admirari potiùs debet, quàm intelligi.

*Virùm veri vel ficti colores?*

*Ejus admiranda figura.*

5. Magnitudo denique ipſius tanta eſt, ut pedibus terram tangens, capite ad nubium ſummitatem pertingat, & brachia expandens, cælum ipſum cingat. Nec tam immenſa ipſius eſt magnitudo quin uno intuitu tota perluſtrari queat. Nec minùs ſibi ſimilis, nec major videtur aut altior, quantò vicinior aut remotior à noſtro horizonte Sol abeſt, vel adeſt: fallitur ergò ille qui dixit, tantò majorem effici arcum, quantò à Sole altiore conficitur. Huic deceptioni occaſionem fortè Plinius præbuit, dum de arcu loquens dixit: *Iidem* (Arcus nempè cæleſtes) *ſublimes humili Sole, humileſq; ſublimi, & minores Occidente, vel Oriente, ſed in latitudinem diffuſi, meridie exiles, verum ambitus majoris.* Quod Conimbricenſes eiſdem ferè verbis explicant, ita ut ipſi velint iridem à Sole in alto poſito, formari quidem inferiorem, ſed majori circulo.

*Vtrùm major dum Sol altior.*

Conimbr. tract. 5. c. 7.

6. Sed quomodo hoc eſſe poteſt, quandoquidem iris ſit figuræ ſemi-

semicircularis perfectæ, & non ovalis? Si ergò est altior, etiam latiorem esse oportet, & consequenter majorem; partes alioquin inter se non æqualiter proportionarentur, nec semicirculum perfectè conficerent; quod contra Aristotelis doctrinam militat dicentis: quod *tenuissimus fuerit arcus cùm meridiano in orbe sidus versabatur*: Seneca tamen affirmare videtur, arcum cælestem eò minorem esse, quò altior est Sol. Quid ergò de Plinii auctoritate dicemus? Ego quidem in defensionem ejus aliud adferre non possem, nisi quòd pro eodem accipiat, Solem esse in meridie, ac Solem elevatum esse; licet enim in æstate Sol magis elevetur in meridie, in hieme tamen non desinit in inferiori esse loco in meridie; illum autem de hâc loqui meridie inde probatur, cùm (ut notat Seneca) in meridie æstivali numquam formetur iris; sed in hiemali fortè dicere vult Plinius à Sole meridiano majorem formari arcum quàm formaretur à Sole in æquali altitudine? Sic quidem esse potest, sed non in meridie, cùm Sol horis aliquibus in æstate post meridiem, in eâdem sit altitudine, quâ in hyeme, meridiano tempore reperitur. Sed quomodo ab eadem altitudine potest formari inæqualis circulus? Possemus fortè dicere, hoc fieri ratione majoris crassitudinis, aut subtilitatis suæ circumferentiæ? Sed ne diutiùs his subtilitatibus, & speculationibus inhærentes Lectorem potiùs à nostro discursu deterreamus quàm alliceamus; ad formationem arcus progrediamur.

Arist. l. 3. meteor.

Seneca l. 1. quæst. natur. cap. 6.

*Minor est dum Sol est altior.*

7. Arcus seu iridis formatio, tantò mirabilior nobis apparet, quantò ab auctore naturæ mirabiliùs efficitur. Non enim (sicut aliæ res naturales) in suâ nativitate paulatim crescendo major evadit, sed qualis nascitur, talis semper apparet. Patrem habet lumen Solis splendidissimum, quod illam non hærendo & attentè considerando, sed velocissimè currendo, & quasi radiorum penicillo ludendo colore lucis, in obscurâ, & inæquali nube curiosissimè depingit: licet enim velocissimus sit ejus motus, manus tamen velocitate pedes non dico adæquare; verùm etiam superare videtur: in momento siquidem (quod spatium omnium brevissimum) perfectissimè illam delineat & pingit. Non tamen omni tempore nubem taliter exornandi se paratum demonstrat; sed magis in brevissimis hiemis, quàm longissimis æstatis diebus benigniorem se nubibus ostendit, quando ab illis magis offuscatur, & quasi offenditur; tunc magis eas adornans, dum ab illis majori afficitur injuriâ, & se liberaliorem demonstrans, quando potiori lumine privatus videtur. Illo fortè tempore quo splendorem suum continuò nobis elargiri non potest pulchritudine iridis suæ delectare desiderat. Numquam tamen sedem

*Semper æque magnus.*

*In momento à Sole effingitur.*

*In hieme magis apparet.*

*Arcus à Lunâ formatus,* Majolus in colloq. primo dier. canicul. Americus apud Ramusium tit. 1. Plin. l. 2. cap. 64. Leander in descript. Italiæ.

dem suam hoc pulcherrimo adornat conspectu, sed contrariam quam intuetur partem, ut Poëta notat, *Adverso Sole.* Mox etiam tanto spectaculo indignâ se profitetur, Luna tamen ne eam planè desolatam relinquat, argenteo suo fulgore, aliquem sibi similem efformat arcum, candidâ refulgens luce, qui variis in partibus à multis sæpè visus fuit. Refert quippè Majolus & Americus Vespuccius, in confinibus Calabriæ, in lacu *Velia* dicto, secundùm Plinium, omni die hunc videri arcum; in profunda quoque valle Alpium affirmat Leander quandoque duplicem apparere arcum, sed numquam illum numerum excedere binarium, ut etiam Plinius asserit.

*In fontibus artificialiter resplendet.*

8. Ars quoque naturæ æmula, dum ex toto pulcherrimum hunc efformare non potest arcum, modum adinvenit, quo saltem illi cooperari potest, ac efficere ut natura etiam hoc non intendente, ab arte sollicitata eum formet; dum in fontibus tanto artificio adverso sole aquam dispergit, ut sole relucente arcum pulcherrimè efficiat: Quod Romæ in celeberrimo fonte in amplissima Ecclesiæ S. Petri area constituto, clarissimè patet; licet enim illo fine erectus non sit, quia tamen aqua ejus tantâ copiâ altissimè exurgit, & sese undique copiosissimè dispergit, sole illam directè radiis suis illustrante, perfectissimum efficit arcum. Variis etiam modis Joannes Baptista Porta illum effigurari perhibet, ut in crystallo octo angulari &c.

Joannes Baptista Porta in suâ magiâ naturali l. 4. c. 3.

*Cur in hymno trium puerorum non fiat mentio arcus?*

9. Quantumvis tam admirabilis, & ornatus sit hic arcus, non tamen à pueris istis in Babylonica fornace existentibus cum aliis creaturis ad Deum benedicendum invitatus fuit, incipiebāt hi ab Angelis, transibant omnes cælos, & elementa, arborum quoque & animalium non immemores, frigora, æstatem, calorem, glaciem, & imbrem simul invitabant, nec tenebras quarum nullum esse positivum exstit, dereliquerunt; sed iridis cælestis nullam fecêre mentionem. Fortè quia nec colores, nec esse ipsius sint quid reale, sed tantùm apparens, & Deo res fictæ non placent, sed veræ, nec laudes quærit apparentes, si cùm internis non sint conjunctæ? Eâdem tamen ratione videtur posse dici, nec Deum debuisse eo uti pro testimonio, nec sapientem nos exhortari debuisse ad laudandum Deum dum arcum videmus cælestem. Dicamus ergò à contrario, illum pulchritudine suâ ita clarè laudare Deum (cùm sit clarissimum testimonium benignitatis ejus) ut eam ultrò invitare necesse non fuerit. Veteribus quoque iris eloquentiæ erat symbolum, & à Poëtis nuncia Deorum fingebatur. Fortè etiam illius mentionem non fecerunt pueri, quia pulchritudo ejus nulli rei comparabilis, ideò cum alia aliis consociaverint illam solam omiserunt.

*Quia ex se Deum laudat?*

omiserunt. Cùm hic quoque arcus rarissimè, & brevissimo tempore mundo appareat, illũ suâ laude dignum, non putaverunt? Meliùs tamen judicarem, illum quoq; fuisse invitatum cum nubibus, tenebris, & luce, quantum enim ad materiam nihil aliud est quàm nubes imbrifera, quantum ad formam varii solares radii & tenebræ, in quibus luminosi repercutientes radii, tam varios referunt colores.

*Futura indicat.*

10. Nec minùs fortè varia sunt objecta quæ repræsentat, quàm res quas indicat futuras. Diluculò quippè si apparuerit, pluviam spõdet, si verò sub vesperam illuxerit, serenitatem undique promittit; quo præsagio, & nautæ, & agricolæ plerumque utuntur. Oppositum tamen videtur indicare Seneca: *Si circa occasum refulsit*, inquit, *rorabit, & leviter pluet; si ab ortu circave surrexit, serena promittit*: aliqui tamen putant illum de loco, non de tempore loqui, cùm antè dixerit: *Non easdem ubicumque apparuerit minás affert*: tempori tamen meliùs accommodatur illud quod subjungitur. *A meridie ortus, magnam vim aquarum vehet, vinci enim non potuerunt à tam vehementi Sole.* Sed à loco fortè tempus colligere, sicque priori opinioni aggregare poterimus. Cùm enim arcus in Oriente fuerit, Sol erit in Occidente, & sic semper in oppositâ parte. Doctor Angelicus moderatæ illum asserit pluviæ signum, præsupponit enim vapores, & nubẽ roriferam quæ materia ejus est: moderatæ autem pluviæ, quia non tanta est nubium copia, ut Solem obumbrent: huic opinioni multi graves auctores, & Conimbricenses subscribunt. Communis vulgi opinio fert, serenitatis, & abundantiæ illum esse symbolum; & in tribus ejus coloribus, vinum, oleum, & frumentum demonstrari: hoc tamen veriùs dici potest, si post imbrem appareat.

Seneca l. 1. natur. quæst. c. 6.

*Pluvia signum est.*

D. Thom. quodlib. 3. art. 30.

*Et serenitatis.*

11. Nos illi apposuimus dictũ, *Species exhilarat*, à Sapiente acceptum, dicente: *Species mulieris exhilarat faciem viri sui*; non dixit omnium intuentium, sed viri sui, quia mulier nulli placere debet quàm viro, illiq; lætitiam exhibere. Pari modo iris lætitiam affert propter colorum varietatem, & vivacitatem, & propter signum pacis æternæ, quo Deus se numquam ampliùs diluvii aquas promisit immissurum. Mulieris pulchritudinem dixit Sapiens esse totius ornamentum familiæ: *Sicut Sol* (inquit) *oriens mundo in altißimis Dei, sic mulieris bona species in ornamentum domus ejus.* Ita ad cælorum ornamentum dicere possumus, iridem in cælis esse collocatam. Unde appositè illi convenit, *ornat, & exhilarat*, sed ut verba Sapientis pleno sensu imitaremur, posuimus, *species exhilarat*. Ad hujus veritatem (aliis relictis prognosticis) sufficere posset, symbolum illam esse, certumque indicium

*Cur hoc dictum ei applicatum.*

Ecclesiastici 36. 24

Ecclesiastici 26. 21

cium numquam futuri diluvii: quod ipsi non ex naturâ competit, cùm ante diluvium sæpiùs apparuerit, ut multi testantur auctores, sed quia auctori universi sic placuerit, ita ut sit signum ad placitum.

*Non futuri diluvii indicium.*

12. Sed quia docent Philosophi, & Plato præcipuè, sapientes nomina non casu posuisse, aut fortuitò, sed cum proportione quadam naturæ: credendum est sapientiam æternam non sine ratione aut fundamento posuisse arcum signum non ampliùs futuri diluvii. S. Ambrosius duas hic pulcherrimas assignat rationes, una est: quia *posuit* (inquit) *Deus in nubibus arcum, non sagittam, id est, quod haberet terroris indicium, vulneris effectum non haberet*; arcus nimirum sine sagitta signum est pacis. Nos quoque adjungere possumus, illum nec habere cordam, & versus cælum tendi, non versus terram; materiamque ejus esse non durum ferrum, sed rorem levissimum, qui minimo vento facilè dissolvitur, ut iram divinam facillimè placandam ostendat. Alia S. Ambrosii ratio est, arcum non diu posse teneri intensum, sed necessariò relaxari debere, alioquin rumperetur: ut nimirum edoceremur, iram divinam non ampliùs inflexibilem esse sicut in diluvio, sed ad pietatem facilè inflecti posse: *Quia Arcus* (inquit ipse) *nunc tenditur, nunc resolvitur, quandam extensionem, & remissionem videtur scriptura significare, per quam non penitùs per nimiam intensionem universa rumpantur.*

Plato in Cratilo.

S. Ambros. lib. de Noë, & Arca c. 27.

*Ostenditur iræ divinæ cessatio.*

13. Tertiam possumus adjungere rationem, quòd dum quispiam arcum, & arma ad parietem affigit, signum est illum ampliùs nolle pugnare; Deus ergò cùm suis armis graviter terram vulnerasset, ostendit se non ampliùs illam oppugnare velle, in cujus signum, arcum mundi parietibus affigit, in nubibus collocans. Dicamus etiam pro quarta ratione, nubes esse quasi Dei equos, ubi enim legimus: *Ascendet Dominus super nubem levem*; in Hebræis habetur: *Equitabit Dominus super nubem levem*; his equis particulariter usus est Dominus in diluvio, quibus postea frænum imposuit (Arcum videlicet cælestem) dum illum ergò videmus, cogitare possumus, Deum non ad bellandum exire, sed ut nos suâ specie exhilaret, & constituat pacis æternæ possessores. Pro quinta ratione cum Angelico Doctore dicere possumus, hunc arcum moderatæ esse pluviæ signum, quod non minùs diluvii aquis, quàm terræ siccitati repugnat, si quoque (ut multis placet) ab ipso serenitatis, & abundantiæ recipimus præsagium, verum lætitiæ, & hilaritatis symbolum rectè nuncupari potest; ut fusè Pierius explicat. Suprà omnes autem rationes probabilissima mihi videtur illa, quâ S. Thomas superiùs in iride Christum figurari descripsit, *quia per iridem* (inquit) *significatur Christus, per quem protegimur*

*Est signum pacis.*

Isaiæ 19. 1.

*Et moderatæ pluviæ.*

Pierus lib. 14. in Genesim.

S. Ambros. lib. de Arca & Noe c. 37. Origin. Homil. 3. in Psal. 36. S. Gregor. Homil. 8. in Ezech.

*mur à spirituali diluvio*, estque hæc multorum opinio. Quod nulli mirum videri debet, cùm omnes hujus arcus prærogativæ optimè Christo conveniant.

Psal. 44. 3.

14. Inter omnia Metheorologica pulcherrimus est arcus cælestis. Quis in pulchritudine æquari poterit Salvatori nostro, de quo meritò dicitur; *Speciosus formâ præ filiis hominum.* In quantũ enim filius Dei, est ipsa pulchritudo; ipsi enim certâ quadam appropriatione pulchritudinis tribuitur titulus, sicut patri omnipotentia, & Spiritui sancto bonitas: ut notat S. Hilarius dicens: *Æternitas in patre, species in imagine* (filio videlicet qui imago est patris) *& usus in munere.* Cùm Nabuchodonosor, (nescio an lumine divino illustratus) in fornace ardenti tres conspiceret juvenes, & quartum pulcherrimum; dixit illum assimulari filio Dei, *Et species quarti, similis filio Dei*; non quòd ipse umquam filium Dei vidisset, sed quia supponebat illum debere esse pulcherrimum. Si ergò illi qui magis bestiæ quàm hominis repræsentabat formam, cognita fuit pulchritudo Dei, quid non aliis innotescet?

*Christus pulcherrimus instar iridis.*

Daniel. 3. 92.

*Probatur rationibus.*

Eccli. 24. 24.

Ioan. 8. 12.

15. Adjungamus insuper Salvatorem esse pulcherrimum, in quantum est Virginis filius, quæ meritò *mater pulchræ dilectionis dicitur*; Si enim in quantum Dei filius vocari potest *lux mundi*, in quantum filius Virginis appellari potest *arcus cælestis*: aliàs pulchritudo illa à nobis contemplari non posset, cum *lucem habitet inaccessibilem*: Ideò nostram assumens naturam, & se instar iridis constituens, nostræ obscuritatem naturæ sui luminis splendore ita temperavit, ut illum clarè intueri possimus. Clarè hoc affirmavit Gillibertus: *Gloriosus planè in illo splendore gloriæ, & paternæ figura substantiæ, sed superaddito nostræ quodam velut fuco naturæ, & colore inducto, dum sublucet, plus placet.* Si enim pulchritudo apud nos compositionem, & proportionem requirit partium; nescio quomodo hæc in simplicissima essentia divina reperiatur, in verbo tamen Incarnato stupendissimè apparet, in quo admirabilis illa compositio animæ, & corporis, substantiæ & accidentis, materiæ & formæ, personæ divinæ, & naturæ humanæ, mirabiliter resplendet. Hoc conforme est illi quod de pulchritudine antiqui referebant Theologi, referente Rodigino, bonitatem nimirum in centro reperiri, & pulchritudinem in circumferentia: *Propterea* (inquit) *Theologorum veterum plerosq; scimus ingenio perspicacissimo bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo collocatam tradidisse, nam centri nomine Deum esse intelligendum prudentioribus insinuatur.* Cùm ergò sacra Christi humanitas circumferentiæ instar in centro divinitatis reperiatur, sequitur ipsius esse pulchritudinem.

1. ad Tim 6. 16.

Gillibert. serm. 21. in Cantica.

Rodiginus in principio antiquarum lectionum.

16. Iridis pulchritudo in obscuræ nubis medio resplendens, ab

*Vt iris in obscura nube relucet, sic Christus in præsepio.*

ab illa nihil damni, sed decorem recipit: sic verbum incarnatum inter fœnum& paleas in duro præsepio, quasi in obscuro delitescens loco, nihil damni, sed ornamentum potiùs percepit, ut pulcherrimè notat eloquentissimus Cyprianus: *Ornamenta quæ deerant, etiamsi adessent, oculos inspectores non haberent, quia præsentia parvuli, sic eorum qui aderant oculos occupaverat, sic illuminaverat animos, sic corda illexerat, ut in hoc summo bono omnium bonorum unita collectio videretur.* Quæ enim pulchritudo, quis decor, quæ excellentia, in comparatione hujus nobilissimi infantis non appareret deformis, obscura, & mortui instar pallida? Pulcherrima fuit Rachel, testes sint quatuordecim illi anni, quibus Patriarcha Jacob duram sustinuit servitutem, ut illâ potiretur: sed ubi est mortua? ubi flos tantæ pulchritudinis elanguit? Juxta Bethlehem; quod mysterio vacare non videtur; sicut enim ad maris littus omnes furentes alliduntur undæ, sic ad hoc præsepe omnis pulchritudo suum perdit vigorem. Huic conceptui videtur assentire D. Hieronymus, dicens: *Illa quondam dilecta conjux pro quâ servierat juxta Bethlehem, in quâ erat virginitatis præco Dominus nasciturus, à filio doloris occiditur.* S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian.

*Vt iris ornatur coloribus, sic Christus virtutibus.*

17. Diversis iisque pulcherrimis ornatur coloribus arcus cælestis: & omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium dignitatum possibilium excellentiâ, Salvator noster repletus fuit. Si colorem aurò fulgidiorem in eo reperire cupis, sapientiam ejus aspice; in ipso namque *Sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Si cæruleo delecteris colore, miracula ejus intuere, ratione quorũ Sponsa dixit: *Manus illius tornatiles, plenæ hyacinthis*: si viridis tibi placet color, mente revolve misericordiam infinitam, quæ oleum illud est, de quo dicitur, *Oleum effusum nomen tuum*; si rubicundus tibi arridet, ardentem ejus aspice amorem, de quo ipse ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*? Dicamus etiam quatuor in Christo fuisse substantias, divinitatem, animam, carnem & sanguinem. Prima optimè figuratur in auro, de qua dicitur: *Caput eius ex auro optimo*, in colore cælesti secunda, de quâ dicitur: *Secundus homo de cælo cælestis*: tertia in viridi, quia *omnis caro fœnum*; quarta in rubro, de eo nempè prophetatum est, *Lavabit in vino stolam suam*, idcircò dixit Isaias, *Quare rubrum est indumentum tuum*? Verum quidem est, iridis colores apparentes esse; non reales, qualis est consequenter pulchritudo arcus; sed Salvatoris nostri pulchritudo, & excellentia, vera est & realis, de eo enim dixit dilectus ille discipulus; *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, plenum gratiæ*, eccè varii colores, *& veritatis*, eccè non ficti, sed veri colores.

ad Coloss. 2. 3.

Cant. 5. 14.

Cant. 1. 2.

Lucæ 12. 49.

Daniel 2. 32.

1. Corint. 15. 47.

Isaiæ 40. 6.

Gen. 49. 11.

Isaiæ 63. 2.

Ioan. 1. 14.

18. Admirabilis vocatur cælestis

*Admirabilis iris, admirabilior Christus.*

stis arcus, quia filius admirationis est; quis admirabilior Christo? qui etiam antequam nasceretur tot admirandis signis & prodigiis, Prophetarum implevit mentes, ut nomen ejus vocarint admirabilis, *Vocabitur nomen ejus admirabilis.* Admiranda & stupenda produxit opera, ita ut homines ad Philosophiæ studium, & inquisitionem eorum sæpè rapuerit; quàm admirabile esse debet, quod ipsamet admiratur natura, dicente Ecclesiâ: *Tu quæ genuisti naturâ mirante*, admiranda profectò res est, quæ omnem admirationem superat. Admiratur natura miracula, quia ipsius excedunt potestatem; ipsa tamen non nisi faciendi modum, non effectum considerat; ut dum subitò infirmo confertur sanitas nullâ præcedente medicinâ: sed in mystico nostro, & cælesti arcu, quid non admiratur? Quid in ipso continetur quod non superet naturam & omni admiratione sit plenum? Modus fortè quo fit? Quis admirabilior esse poterat, cùm in instanti fiat, absque ullo humani operis adjutorio, nec ante, vel post umquam visus, aut imaginatus? Forsitan unio? sed quis præ admiratione non rapietur quasi extra se, inauditam illam considerans rerum inter se maximè repugnantium conjunctionem; summa altitudo unitur infinitæ humilitati, magnitudo immensa, parvitati indicibili, beatitudo incomparabilis, afflictioni

*Isaiæ 9.6.*

*Miracula ejus admiranda.*

*Vnio rerum summè repugnantium miranda.*

intolerabili; ut verbo denique dicam, ipsa divinitas, & humanitas in uno subjecto conveniunt.

19. Sed numquid etiam entitas ipsius existit mirabilis? Quin imò hæc totius fundamentum est admirationis; quis enim non obstupescet divinam subsistentiam naturam humanam sustentantem? Naturam humanam divinæ unitam personæ? Deum esse hominem, & hominem Deum? O inextricabilis admirationis labyrintus, in quo nec finis, nec principium reperiri potest! stupendissimum est S. Trinitatis mysterium, sed altissimæ solùm comprehensionis ratione, sed hoc non altissimæ solùm divinitatis, sed & profundissimæ humilitatis consideratione admirabile existit. Nec scio quid magis admirari debeam, vel quòd homo supra omnes Angelorum choros elevatus, similis Deo factus sit; vel quod Deus in tantum inter homines humiliatus, ut in medio abjectorum animalium positus reperiatur. In Trinitate sanctissimâ, omnis relatio suum habet terminum, & omne relativum, correlativum, si est filius, adest quoque pater, si generans, etiam generatus; sed hic filius est sine patre, generatus absque genitore; quin imò patrem habet, & non habet patrem, quantum ad generationem humanam patrem non habet: quantum verò ad æternam, patrem agnoscit: res sanè maximè repugnantes, & tamen verissi-

*Vtrum in Christo magis admiranda divina excellentia quàm humana imbecillitas*

verissimæ: idcircò de magno illo Sacerdote Melchisedech dicit Apostolus ad Hebræos scribens: *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimulatus autem filio Dei*; sed quomodo Apostolus eum Dei filio similem inquit, cùm non habeat patrem, neque matrem? Dei filius numquid patrem habet Deum? Quomodo ergò in hoc assimulari ei potest Melchisedech, qui patrem non habet? Hoc est planè quod antè dicebam, illum habere patrem, & non habere patrem; in quantum Deus patrem habet, in quantum homo non habet patrem: sicut è contrà in quantũ homo matrem habet, in quantũ Deus non habet matrem; idcircò dicere possumus illum habere patrem & matrem, & non habere patrem, & matrem, cùm non habeat eo modo, quo cæteri homines habere solent.

Ad Hebr. 7. 3.

*Generatio ejus mirabilis.*

20. Crescit hæc insuper admiratio, illum esse matris suæ creatorem ipsâmet testante: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*; ita ut de eadem respectu ejusdem hæc duo possint verificari nomina, *filia, mater.* Matri quoque aliud accedit admiratione dignissimum, quòd illa mater effecta, virgo esse non desinat; nec in partu, nullum sentit dolorem, unde in stupendissimâ hâc Nativitate, nobilissimus noster Puerulus, potiùs ut sponsus quàm ut filius procedit, attestante regio Prophetâ: *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Alii filii de utero exeuntes materno, similes sunt militibus ex bello redeuntibus, sanguine totaliter conspersis, qui uterum matris plenum doloribus relinquentes, tamquam vulnerati flentes, & ejulantes, inde procedunt. Non sic Salvator noster, sed sine ulla macula, aut sanguinis tinctura sponso similis, totus pulcher & gratiosus exiit, nullum matri causans dolorem, sed lætitiam; ut tamẽ aliis similis videretur infantibus, aliquas edidit lachrymas, quæ margaritæ potiùs censeri deberent, quibus sponsi vestes adornandæ, & vagitus ejus, suavissima amantissimi sponsi musica dici poterat.

*Admiranda in matre.*

Eccli. 24. 12.

Psal. 18. 6.

21. Augetur hæc admiratio, quòd solius mulieris filius deberet esse debilissimus, & imperfectissimus; cùm enim Propheta Job hominis calamitatem describere vellet, primo loco, quasi malorum omnium initium posuit; natum illum esse de muliere; *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*, non quia ex muliere sola natus sit, sed quia ipsius calamitatis est particeps, pater autem reticetur, quia ab eo ipsius miseria sublevatur. Qui ergò ex sola nascitur muliere, debilior aliis esse deberet, cùm paternum non habeat subsidium. Hîc tamen apparet contrarium, infans enim qui nullum agnoscit patrem, & virginem solùm habet matrem, nòn tantùm non est debilis, aut infirmus

*Ex sola matre mirabiliter nascitur.*

Iob 14. 1.

*Omnibus perfectior.*

mus, ſed fortiſſimus, perfectiſſimus, & excellentiſſimus omnium qui ſunt, fuerunt, & umquam erunt. Unde gigantis nomen, illi Propheta attribuit, *Exultavit ut gigas ad currendam viam*: gigantis habuit vires, qui omnes in via perfectionis & virtutis plurimum ſuperavit; illum fortem alius nominat Propheta; *Parvulus, natus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis.*

Pſal. 8. 6.

Iſaiæ 9. 6.

*Imbecillis apparet, ſed fortiſſimus eſt.*

22. Majori rapimur admiratione, dum generoſum hunc, & fortiſſimũ militem à tenerrima virgine pannis involvi, in vili præſepio poni, vagire, & non loqui videmus: neſcit figere greſſus, portatur in brachiis, tantummodo ſuæ imbecillitatis ſigna demonſtrat. Quid de aliis admirandæ hujus nativitatis circumſtantiis dicam? Cæli, & terræ Rex eſt qui naſcitur, Dominus omnium, & nullibi reperit hoſpitium; in patriam venit, & quaſi peregrinus non agnoſcitur; cælorum eſt lætitia, qui modò plangit, & lachrymatur; ſedet ſuper Cherubim, & in medio animalium jacet; cibus eſt Angelorum, & cibo indigens, in præſepio cui cibus animalium imponi ſolet collocatur. O rem admirandam, & maximè ſtupendam, non ſolùm hîc admiratur natura, verùm etiam ipſa obſtupeſcit gratia, videns hoc myſterium illam longè ſuperare, licet enim omnibus ſuis meritis ſeſe exaltare conetur, ad illam tamen celſitudinem myſterii numquam poterit pervenire. Stupet ipſamet gloria, quæ extrà cæleſtem patriam feliciter collocata, in hac miſeriarum valle, ſe lachrymis & doloribus amicabiliter ſociatam videt, quibus antea crudeliſſima erat inimica. Stupore attonitus hæret Angelus, videns illum qui ſe infinitâ ſuperabat excellentiâ, modò infra ſe humiliari, & in vili collocari præſepio: & eum qui numquam ſibi vel in minimo poterat æquiparari, modo ſe ſublimi gloriâ plurimùm ſuperare. Obſtupeſceret divina majeſtas (ſi admirationis capax foret) conſiderans terminum ad quem ſe ſuus conduxerat amor, quantum ſublimem illam majeſtatis excellentiam humiliaverat, doloribus affecerat, & in tantam redegerat paupertatem: quam debilem omnipotentiam, inſipientem ſapientiam, fœdam pulchritudinem, felicitatem miſeram, & bonitatem effecerat quaſi iniquam? O admiranda, & ſtupenda prodigia! qui hoc non percipit, non eſt humanis præditus ſenſibus, ſed duriora marmore gerit pectora.

*Nativitas Chriſti cunctis admiranda.*

23. Tunc cælum, & terra commota ſunt, prædicente Aggæo Prophetâ: *Commovebo cælum, & terram, & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Quomodo ergò nos etiam non commovebimur? Cælum commotum eſt, quia Angelos mittebat qui nato Regi dulcem concinerent muſicam: terra commota

*In nativitate univerſa commota.*

Aggæi. 2. 8.

mota est, quia pastores misit, qui ab Angelis nuntiatum adorarent; cælum commotum est, quia stellam noviter productam, novo motu apparere fecit: terra commota est, quia Herodes & tota Jerosolymitana civitas commota fuit: cælum commotum est, quia tres Soles spectabiles exhibuit; terra commota est, quia fontem olei protinùs emisit: commotum est cælum, cùm in aureo circulo Virginem puerulum in brachiis gerẽtem Romæ Augusto Imperatori ostendit; terra commota est, cùm disrupta Ægyptiorum simulachra in terram corruere fecit; cęlum commotum est, cùm gratiarum diluvium in terram dimisit; terra commota est, quia lacte, & melle continuò manavit: commotum est cælum, quia Deus in terram descendit, ut carnem assumeret humanam; terra commota est, quia terrenus homo in cælum suprà omnes ascendit; totum denique præ lætitiâ & exultatione cælum commotum est, & terra præ stupore & admiratione totâ contremuit. Quomodo igitur in ot commotionibus non commovebimur, & nos? Moveamur amore, moveamur gaudio, moveamur spe, moveamur admiratione, moveamur compassione. Amore redamando eum qui ita nos dilexit; gaudio propter sponsi adventum, spe futuræ retributionis, & inæstimabilis boni nobis præparati; admiratione, tam inauditorum miraculorum; compassione paupertatis, & patientiæ hujus tenerrimi infantis.

*Cælum & terra maximè commota.*

*Nos etiam commoveri oportet quinque modis.*

24. Nec solùm cælestem hunc arcum, admirationis filium nuncupavero, verùm etiam pacis, & concordiæ symbolum rectè dixerim, cùm enim in seipso res adeò inter se pugnantes amicabiliter conjunxerit, quid admirabimur, si in aliis unitatem & concordiam excitare potuerit? Ubi quęso pacem non constituit? Inter Deum, & hominem, inter unum & alium hominem, inter homines & Angelos, inter carnem & spiritum. Quin imò in Deo ipso pacem composuit; in divino siquidem pectore, simul contendebat misericordia, & justitia; hæc hominem pœnâ plectendum decernebat, illa verò ignoscendum ducebat, nec possibile aliquando fuit lĩtem illam tam diu agitatam inter illos dirimere. Sed in hujus apparitione arcus, subitò sibi invicem benigno occurrerunt amplexu, ita ut justitia facta sit misericors, & misericordia justa; quod rectè Regius Propheta prædixit: *Iustitia, & pax osculatæ sunt, veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit*. Per osculum excellens, significatur incarnationis mysterium, ut Ecclesia de sponso suo dicit: *Osculetur me osculo oris sui*; inter nos enim nullum clarius est pacis signum, quàm osculum.

*Iustitia misericordia conciliata est.*

Psal. 84. 11.

Cant. 1. 1.

25. Modum tamen admiror pacem annunciandi. Non enim

pacis

pacis mittuntur legati, sed exercitus armati: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis* (dicit Evangelista) *laudantium Deum, & dicentium, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: quis iste insolitus annuntiandæ pacis modus? Unus aut alter nuntius mitti solet, ut fausta perferat pacis nuntia, unde David dicebat: *Si solus est, bonus est nuntius in ore ejus*; quomodo ergò pacis legati in tanto sunt numero? Qui pacem annuntiat, inermis comparere solet, & olivam potiùs seu palmam deferre quàm lanceam aut gladium; in signum quippè pacis, arma cuncta rumpenda dixit Rex pacis David: *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni*; quomodo ergò hîc cælestes illi milites, lucis veniunt armati splendore? Hæc enim arma esse testatur Apostolus dicens: *Induamur arma lucis*; pastores quoque hunc armorum splendorem perceperunt, idcircò *timuerunt timore magno*; quis enim cùm copiosum ad se venientem conspiceret exercitum, non potiùs bellum quàm pacem suspicaretur? Philippus Macedoniæ Rex, magni Alexandri pater, armato exercitu Bysantium obsidere venerat, & à Philosopho Leo nomine, interrogatus quid prætenderet, respondit se venisse ut amicè sponsam conveniret; unde Philosophus subridens, dixit; nonne armati venire solent sponsi, an potiùs donis & muneribus cumulati? Non veniunt ut corpus sponsæ vulnerent, sed ut ornent, non ut illam armorum deterreant strepitu, sed ut dulci instrumentorum symphoniâ aures dilectæ permulceant; ad quid exercitus si pugnandum non sit? Ad quid arma si pax conclusa est?

Lucæ 2.13.
*Quomodo exercitus Angelorum, pacem annuntiat?*
2. Reg. 18. 25.
Psal. 45.10.
Ad Rom. 13.12.
Lucæ 2.10.
*Pax non armis annuntianda.*

26. Dicemus fortasse Angelos non pacem præsentem, sed futuram bello acquirendam, annuntiare? vel multò diversam illam esse pacem quam Salvator nuntiare venerat, ab illa quam mundus dare solet, ut ipsemet dixit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*: propterea ubi illa excludit arma, hæc etiam in medio bellorum turbine conservari potest; ideoque meritò quasi militum multitudine annuntiatur? Dicamus etiam ab exercitu hanc prædicari pacem, ut sciamus hos ipsos exercitus nos ab inimicis defensuros; quasi dicerent; securi estote & in pace quiescite, nos enim pro vobis oppugnabimus inimicos vestros, juxtà illud Moysis; *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*: Voluit fortè nos docere, quòd licet perfectissimâ gauderemus pace, nunquam tamen arma esse deponenda, cùm inimicus numquam ab oppugnatione desistat? Vel quia arma potiùs ad decorem portantis, quàm ad terrorem intuentis deserviunt? Ad hunc certè finem videtur Propheta Regius cælestem introducere sponsum, dum illum gladio armatum exhibet; *Accingere gladio*

*Pax divina inter arma conservari potest.*
Joan. 14. 27.
Exod. 14. 14.
*In pace arma non deponenda.*

*tuo super femur tuum potentissime*: & statim à pulchritudine illum laudans ait: *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende prosperè, procede, & regna.* Meliùs tamen dicamus cælestes hos exercitus sic annuntiare pacem, ut nobis ostendant Regem pacificum tali modo omnibus pacem attulisse, non rebus solùm terrenis, verùm etiam spiritibus malignis acerrimè nos oppugnantibus, qui jam devicti pacem inire coguntur; quin imò ipsummet bellum cum pace convenire optimè fecit. Sicut enim nulla gloriosior, aut verior laus reperiri potest, quàm quæ ex ore inimici procedit, cùm non ipsum compellat amor, sed ipsamet veritas: sic Deus ad majorem suæ pacis gloriam, ab armato exercitu pacis inimico, illam publicari, & decantari fecit.

Psal. 44.5.

27. Optimè ergò de dulcissimo nostro puerulo dicitur, *species exhilarat*, cùm pulchritudine suâ pacem & bona cuncta attulerit. Quæ enim major poterat esse lætitia, quàm quæ universo mundo prædicabatur ab Angelis, quorum unus nomine omnium dixit; *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus est vobis hodie Salvator*? Si hominum hoc quispiam prædicasset, non erat tanti faciendum, cùm adeò à suis regantur passionibus, & tantis sint oppressi miseriis, ut minima exultatio summa videatur; sed quòd Angeli continuis assueti gaudiis, hoc maximum annuncient, clarissimum est magnitudinis ejus, & excellentiæ testimonium. Si de Joannis Baptistæ nativitate dictum fuit; *Multi in nativitate ejus gaudebunt*; Quid in Salvatoris nostri nativitate non erat expectandum? Si nascentem luciferi stellam intuemur cum gaudio, quid non solem ipsum exorientem admirabimur? Si dilectæ sponsæ nuntius cum gaudio recipitur, quid de sponsa ipsa non est expectandum? Si Abraham tanto perfundebatur gaudio dies illos à longè prospiciens ut de eo Salvator dixerit: *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est*; quantò magis nos exultare debemus illum præsentem intuentes? Si Isaac vocatus fuerit risus, & lætitia, quia Salvatoris erat figura, qualem excitabit lætitiam ipsum figuratum præsens? Si denique lætitia correspondere solet expectationi & desiderio, cùm hoc fuerit maximum per omnia sæcula, qualis non debebit esse lætitia boni adepti & præsentis?

*Dictum emblematis Christo rectè convenit.*

Lucæ 2.11.

Lucæ 1.14.

*Maximum gaudium in Christi nativitate.*

Joan. 8.56.

28. Maximum amicum recipiendi desiderium ille demonstrat, qui non expectans ostii claves, jubet illud perfringi, ut citiùs amicum recipere possit; sic olim moris erat Imperatorem triumphantem, non per communes civitatis portas recipere, sed ad ipsius adventum, muri urbium confringebantur; sic Neroni Imperatori Neapoli factum legimus. Ita loque-

*Maxima Prophetarum expectatio.*

Sueton. c. 25. in Neron.

quebatur Isaias Propheta, dum præ nimio desiderio Salvatorẽ videndi clamabat: *Utinam disrumperes cælos, & descenderes!* quasi diceret: videris, ô Salvator mundi, clavem invenire non posse, ut ad nos per cælorum portas descenderes, noli idcircò tam diu tuum differre adventum, quin imò cælos disrumpe, ut citiùs ad nos devenire possis. Quid hoc Isaia, quid inquis? nónne si rumpantur cæli, totus confundetur mundus, cùm hæc inferiora à superioribus dependeant? Parum, inquit, refert mundum dissolvi, modò veniat Salvator, & factor mundi; parum refert si res omnes confundantur, modò Creatorem earum nobiscum habeamus. Nec Isaiæ solùm hoc fuit desiderium, sed totius mundi, ut notát Aggæus Propheta: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Quomodo à cunctis poterat desiderari gentibus, si illum gentes non agnoscebant, nec expectabant? Desiderium supponit amorem, amor autem cognitionem, si ergò cognitus non erat, quomodo poterat amari? Si non amabatur quomodo desiderabatur? Respondent aliqui, esse desideratum, idem esse quod desiderabilem qui nimirum desiderari deberet. Vel desideratus accipi potest pro necessario, sicut aliquando dicimus terram desiderare aquam, non quia illam cognoscat, sed quia illa indigeat.

Isaiæ 64.1.

Aggæi 2.8. *A gentibus Christus desideratus.*

29. Meliùs tamen dicamus meo judicio, Salvatorem verè fuisse cunctis desideratum gentibus; omne enim quod gentes desiderabant, in Christo plusquam alibi, perfectiùs reperiebant. Si divitias, honores, dignitates, gaudia, & delicias cupiebant; ubi meliùs quàm in Christo illa inveniebant? Meritò ergò cunctis est desideratus gentibus Salvator, ipse enim omne bonum, & omne desiderabile in se complectitur: si illum gentes non agnoscebant, saltem bona quæ in ipso erant cognoscere poterant; & ipse solus eas satiare poterat. Hoc desiderium septuaginta duo interpretes explicasse videntur, dum hunc Aggæi locum traduxerunt, *Venient electa omnium gentium*, non in seipsis expressa, sed in Christo comprehensa. Textus etiam Hebræus proposito nostro inservit, cùm dicat: *Veniet desiderium gentium*; quasi diceret, omnia quæ desiderari possent, in Christo fore reperienda. Vox autem *desiderium* in abstracto posita, majorem habet vim, cùm quasi infinitivi significationẽ habeat, & omnia comprehendere videatur: ita ut idem videatur esse desiderium gentium, ac dicere quod maximè desiderabant gentes. Cùm ergò maximum fuerit desiderium & expectatio Salvatoris, dicere consequenter possumus summam fuisse lætitiam in ejus adventu; & tantò majorem, quantò majora erant dona inexpectatè allata. Quantùm ergò ad lætitiam, pacem,

*Omnia in in Christo continebantur.*

Aggæi 2.

*Arcus cælestis optimè Salvatori tributus.* cem, & abundantiam, optimè Salvator cælesti Arcui comparatus; reliquæ etiam conditiones ipsi convenire possunt, quas leviter attigisse sufficiet.

30. Nubes rorifera cælesti Arcui materiam tribuit: sic caro purissima de Sanctissima sumpta Virgine, roriferæ instar nubis à terra sublevata, & cælestis gratiæ rore perfusa, Christo humanitatis tribuit materiam; sic enim I-
Isaiæ 19. 1. saias Propheta ait: *Ascendet Dominus super nubem levem.* Formatur arcus à radiis solaribus, & Spiritus S. gratiâ à Patre, solaris instar radii generatur Christus. Extenditur à terra Arcus ad nubes usq; & Christus in terra cum hominibus se humiliando, non desinit in cælo divinitatem ostendere, idcircò e-
Apoc. 1. 9. nim dixit: *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* *Omnes proprietates ei conveniunt.* Perfectionem, formationemque integram in instanti recipit Arcus; & Christi corpori anima in instanti infusa, gratiis omnibus ditata fuit. Odoriferam reddit herbam cælestis Arcus, dum illam attingit; & Salvator noster bono replet odore animas, quas possidet; dicente A-
2. Corint. 2. 15. postolo: *Christi bonus odor sumus.* Modò apparet Arcus, modò non apparet: & Christus de seipso di-
Joan. 16. 17. cebat: *Modicum & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me.* Humilibus etiam, & in profundissima Alpium valle non semper absconditur Arcus, & Christus de
Mat. 11. 25. se inquit: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Arcus versus cælum distenditur, ita ut siquis ex ipso sagittam emitteret in cælum rectè jaceret: & nos pariter ignitas orationis sagittas emittere volentes, per Christum in cælum eas dirigere debemus, ut penetrandi habeant virtutem; ideò Ecclesia omnes suas preces *per Christum Dominum* terminando, eas rectè cælum penetrare desiderat.

31. Cælestis arcus de die generatus, patrem agnoscit Solem, sed nocte productus, matrem agnoscit Lunam; non aliter Christus in diebus generatus æternitatis, æternum illum, & divinum Solem agnoscit patrem: *Filius meus es tu,* Psal. 2. 7.
*ego hodiè genui te:* in hac autem mortalitatis nocte generatus, non patrem agnoscit, sed Matrem Virginem quæ est *pulchra ut Luna*, de Cant. 6. 9.
qua S. Lucas inquit: *Peperit filium* Lucæ 2. 7.
*suum primogenitum*, dum pastores vigilias noctis super gregem suum custodirent. Testimonium fidele vocatur Arcus, juxtà illud Psalmi: *Thronus ejus sicut Sol in conspectu* Psal. 88. 38.
*meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis*, quod de iride graves explicant authores: testis fidelis vocatur Christus, quem titulum, tamquam primarium ei attribuit Joannes in Apocalypsi Apoc. 1. 5.
dicens: *A Iesu Christo qui est testis fidelis.* Ad formationem arcus concurrunt dispositivè roris guttæ, quæ in nube continentur, effectivè autem Solis inflammati radii; *Sicut arcus ex nube & sole generatur, sic Christus ex Deo & B. Virgin.*

& æterni adventus verbi nobis dispositivè, & meritoriè de congruo, à lacrymis & orationibus B. Virginis causatus fuit, effectivè autē à divini influxu amoris. Unde sanctissimæ Mariæ Virgini non incongruè illa applicari possent verba, quæ iridi cælesti in emblemate appropriantur, *Trahit roscida lumen*: ipsa quippè divini verbi lumen de cælis attraxit, cum cælesti plena gratiâ lacrymarum stillabat guttas.

*Quomodo Christum gignere possimus?*

32. Hunc ergò concludamus discursum, proprietate Arcus maximè consolationi nostræ proportionata: sicut enim ars non sola, sed à natura adjuta, aliquem efformare potest Arcum. Sic nos divinâ adjuti gratiâ, Matres quodā modo, & nostri Salvatoris genitrices effici poterimus. Quis non ingenti perfunderetur lætitiâ, ad talem se cognoscens pertingere posse dignitatem? Ego siquidem illud promittere non auderem, nisi primò ipsemet Christus expressis verbis hoc affirmasset: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror & mater est.* (Mat. 12. 50.) Quibus tamen hæc possunt effici modis? Duobus à SS. Patribus assignatis, primum assignat S. Gregorius Papa, prædicando, & viam salutis aliis demonstrando; tali quippè modò Christus denovo in audientium generatur cordibus; *Et qui frater, & soror est credendo, mater efficitur prædicando*, inquit sanctissimus ille Pontifex. Alium S. Bonaventura indicat modum, imitando omnia, quæ beata Virgo fecit hoc tempore; quæ fusè explicat in sermone quodam de quinque pueri JESU festivitatibus. Hoc autem magis Christi Nativitati congruere videtur, verus quippè modus est, festa Sanctorum celebrandi, imitari mysteria quæ in iis repræsentantur, & ea in nobis quantum licet exprimere. Hoc materialiter Hebræi divino instigati præcepto efficiebant: Agnum quippè Paschalem transitū ex Ægypto præfigurantem, accinctis lumbis, & baculos in manibus tenentes festinanter comedebant; & festa celebrantes tabernaculorum, domibus egredientes, ex ramis, & arborum frondibus sibi casulas extruentes in illis vivebant, & cōedebant; ad recordationem eorum quæ Patres ipsorum in solitudine quadraginta annis sustinuerant.

*Duobus modis id fieri potest.*

*S. Bonavent. in sermone de quinque Jesu festivitatibus.*

*Hoc festum plenum mysteriis.*

33. Debemus ergò Sanctorum exempla sectantes, non materialiter, sed spiritualiter festa colere. Quid autem in hac Nativitatis solemnitate nobis imitandum proponemus? Plena est hæc tantis mysteriorum varietatibus, tam variis devotionis motivis, ut dicere meritò possemus, *Inopes nos copia facit.* Cantabimúsne cum Angelis, & præ tanto gaudio exultabimus? Vel potiùs cum dulcissimo

puerulo lachrymabimur; imitabimúrne virginem effectam matrem, vel verbum divinum quod se filium constituit? Inserviemúsne puerulo recenter nato, cum beatissimo Patriarcha Iosepho, vel cum pastoribus ipsum visitando congrua afferemus dona? In tanta varietate rerum, unusquisque juxtà devotionem sibi aliquid applicare potest. Ego tamen amore inductus materno, spiritualiter illum generare cuperem; hoc enim modo amplecti, osculari, & in sinu tenere possem, & ea perficere quæ chara mater dilecto infanti efficere solet. Qui hoc officium exequi desiderat, illum primò concipere debet, (inquit S. Bonaventura) cælesti consentiendo legationi, & divinæ aurem præbendo inspirationi, quæ ad vitæ nos accendat emendationem; bonum concipere propositum, & Dei voluntatem in omnibus exequi, & hoc (cùm divinæ gratiæ sit effectus) filius Dei nominari potest; generatur autem hic filius, quando opere exercemus, quod mente concepimus; in cujus nativitate Angeli quoque cantant, quia *Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Natus hic filius contritionis lavatur lachrymis, & sanctis nutritur meditationibus, cælestis involvitur desiderii fasciis, amorosis stringitur amplexibus, devotionis fovetur affectibus, & in piæ mentis collocatur sinu.

*Quid nobis hic imitandum?*

S. Bonaventura in serm. de 5. festivitat.

*Quomodo filium Dei concipere possimus?*

Lucæ 15.7.

34. Solùm hoc extraneum videri potest, quod in duro debeat collocari præsepio; quod in Virgine quoque summoperè mirandum. Ergóne sanctissima Virgo dilectum tuum tam exiguo prosequeris amore, ut eum subitò à te rejicere velis, & in duro ac vili ponere præsepio? Tam citò charissimis amplexibus, & dulcissimis es satiata osculis? Tanti fortè est ponderis, ut eum in sinu tuo sustinere nequeas, quem novem mensibus in utero gestasti? Non fuit exiguus iste maternus amor, sed magna ipsius erga nos pietas. Reponit eum in præsepio, ut illum amplecteremur brachiis, si enim in sinu retineret, quis inde illum auderet recipere? Reverentiæ hoc fuit symbolum, ut faciliùs illum tamquam in altari positum, adorare posset; obedientiæ quoque indicium, cùm se ab ipso puerulo ad hoc sentiret moveri, qui jam pati desiderabat; edocta fuit, ut nos pariter doceret, qualiter erga ipsum nos gerere debeamus. In quo igitur præsepio Salvatorem nostrum collocabimus? In conscientia, inquit S. Bonaventura; quæ inferiùs propter rerum humanarum contemptum clausa esse debet; & propter cælestis gratiæ desiderium aperta superiùs; *Præsepe* (inquit ipse) *est conscientia, inferiùs clausa per contemptum mundanorum, superiùs aperta per desiderium æter-*

*Quomodo in præsepio adorare.*

*Cur B. Virgo filium in præsepio reposuit?*

S. Bonaventura ubi suprà.

*Quomodo nos illum in præsepio ponere debemus.*

*æternorum.* Dicamus etiam tunc in præſepi poni, cùm peccatoribus pœnitentibus illum pro cibo offerimus; nos dulciſſimis privando amplexibus dum internâ hærentes contemplatione, vitam activam in proximorum ſervitio conſtituimus, ut ipſi quoque eâdem quâ nos cæleſtium fruantur dulcedine gaudiorum. Felix illa anima, quæ hoc modo Nativitatis ſolet celebrare feſtum, certiſſimum quippè pignus amicitiæ divinæ, & æternæ habebit præmium ſalutis.

IN FESTO

# IN FESTO
# S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.
## DISCVRSVS TRIGESIMVS TERTIVS

### *De gloriosa victoria & primatu ipsius inter Martyres.*

### Malum punicum, sive granatum.

*Generationem ejus quis enarrabit?*

*SVMMARIVM DISCVRSVS.*

*CVr Martyres malo-granato & paradiso comparentur, primis quinque numeris.*

*S. Stephano laudes & coronas omnium deberi declarat, num. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*

*Christum in morte imitatum enarrat, num. 13. 14. 15. 16.*

*Lapides ipsi coronam & iter in cælum direxerunt, num. 17. 18.*

*Patrem omnium Martyrum vocari posse, à num 19. ad finem usque prosequitur.*

1. *Malogranata symbolum Martyrum.* Mala punica, sive granata symbolum esse Martyrum, SS. Patrum & Doctorum communis fert opinio. Color ille purpureus quasi sanguine tinctus, effusionem sanguinis Martyrum repræsentat, de qua cantat Ecclesia: *Rubri nam fluido sanguine, laureis ditantur benè fulgidis.* Apertura eorum, vulnera Martyrum indicat: corona in capite, Aureolam quam accipiunt denotat, unde locus ille Cantici: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorũ*, communiter Martyribus applicatur. Cant. 4. 13. *Emissiones* vocantur, quia primi Ecclesiæ nascentis erumpentes flores, & alios Martyrii triumpho præcellentes. Unde S. Paulus considerans quæ Christi amore patiebatur, dicebat: *Spectaculũ facti sumus mundo, & Angelis & hominibus*: rectè ergò *emissiones*, rami videlicet supra muros horto- 1. Cor. 4. 9.

hortorum erumpentes qui à prætereuntibus conspiciuntur. Sed cur *Paradisus?* Hæc vox locum deliciarum, & epilogum omnis gaudii significat, & ordinariè pro cælo empyrio accipitur, ubi Beati in abysso bonorum Dei immersi, facie ad faciem contemplantur eum, à quo omnis lætitia & gaudium promanat.

*Cur martyres iis assimulati?*

2. Sed quid hæc cum tormentis, carceribus, vinculis, flagris, craticulis ferreis, ipsâ denique morte quam Martyres sustinuerunt? Si purgatorio aut inferno comparasset, sicut amorem & dilectionem assimulavit; *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*: hoc ipsis convenire videretur; sed paradiso similem reddere extraneum apparet. Forte significare voluit illos paradisum deliciarum respectu Dei esse, qui magnoperè in ipsis delectabatur? Dicere hoc possemus, cum Sponsa hoc insinuare videatur, invitando quippe dilectum ad hortum malorum punicorum, promittebat se illi daturum lac uberum suorum: *Mane surgamus ad vineas* (dicebat ipsa) *videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi ubera mea.* Quid dicis ô anima sancta? Forte est, infans in fasciis dilectus tuus, quod ipsi velis dare lac uberum tuorum? Non recordaris eum dixisse se habere ubera lacte plena vino meliora: *Meliora sunt ubera tua vino?* Quid ergò tuis uberibus indigebat? Nomine uberum in sacra scriptura intelliguntur deliciæ chariores, propterea alia illa mulier dicebat; *Veni inebriemur uberibus*; ita ut in hoc horto malorum punicorum, (in Societate nempe invictorum martyrum) promittat Ecclesia cælesti sponso maximas delicias; scit enim quantum sibi complaceat in illis, meritò ergò vocatur paradisus. Nec sine ratione dicit, se velle dare lac ex uberibus, sicut enim sponsæ lac, est sanguis sponsi, unde de sanctis dicitur; *Dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni*; sic sponso, sanguis martyrum, lac est, quia lac est sanguis bis coctus, & martyrum sanguis est bis coctus, semel in martyrio, & semel in amore, cùm nullum sit majoris amoris signum, Salvatore attestante, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Per hæc etiam ubera, amor ipse intelligi potest, juxta Hebraicam locutionem.

Cant. 8. 6.

*Quia paradisus sunt respectu Dei.*

Cant. 7. 12.

Cantic. 1.

Proverb. 7. 18.

*Quid per ubera intelligatur?*

Apoc. 7. 14.

Joan. 15. 13.

*Martyres in seipsis sunt paradisus.*

3. Paradisus ergò deliciarum Dei, sunt martyres. Sed ego ulteriùs procedendo affirmare auderem, etiam martyres frui paradisi deliciis, in medio tormentorum. Quis enim nescit eum qui bonum diu optatum & longè absens, jam quasi præsens & securum conspiciens, reputare solet se jam illo frui & gaudere? Sic navigantes post multa pericula, plurimas tempestates superatas, portum videntes, tantâ lætitiâ perfruuntur, ac si jam

*Quia spe retributionis muniti.*

jam terram intrassent, omnesque tribulationes, ac labores superassent. Nos autem in hoc laborioso & tempestuoso mari, periculis, & scopulis pleno, ad portum æternæ salutis properantes, semper in periculo versamur naufragii. Martyres verò in passione sua portum videbant, cælum apertum intuebantur, certam promissionem expectabant; dicere ergò possumus illos tunc paradisi deliciis frui incepisse: non solùm quia *brevi accingendus habetur pro accincto*, verùm etiam quia certa spes fruendi, & coronam certaminis accipiendi, initium erat gaudiorum.

*Et à Deo in passione consolati.*

4. Dicamus liberiùs, tantas fuisse consolationes, quas Deus in medio tormentorum ipsis communicabat, ut dicere possemus illos paradisi deliciis perfruitos: non me falsitatis arguet S. Paulus qui hoc experientiâ probaverat, & maximas tribulationes, in vita pertulerat, unde dicebat: *Abundantiùs omnibus laboravi*; quæ ergò erat ejus opinio? Audite: *Momentaneum* (inquit) *& leve nostræ tribulationis, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Totum quod hîc patimur, levissimum est, & nullius ponderis; sed quid efficit in nobis? *Æternum gloriæ pondus*; ô pulcherrima sententia, causat suprà modum æternæ gloriæ pondus: ubinam? Unusquisque credidisset illum debuisse dicere in cælis, quia ibi expectamus gloriam æternam; quid ergò dicit Apostolus? *Operatur in nobis*, non credatis vos expectaturos ut accipiatis gloriam in cælis, cùm detur in præsenti; *Operatur, & operatur in nobis*; intrà nos hæc gloria est, in anima nostra hanc sentimus, illâ jam fruimur. Sed si intrà nos est, quomodo potest esse æterna? Numquid omnes mortales sumus, & corruptibiles? Ergò quod in nobis est, nobiscum mori non debet. Non est ita, inquit S. Paulus, quia gloria hæc in anima nostra est, & cum illâ perpetuò durat, incipit in hac vitâ, & perseverat in altera vita; si enim hæc quam modò habemus, esset diversa ab illa quam in futura vita expectamus, quomodo hæc esset æterna, si cederet locum alteri gloriæ, quod est contra locutionem, & opinionem omnium sanctorum. Dum ergò Sanctus Paulus inquit hanc esse æternam, signum est esse eandem cum futura gloria, licet hîc incipiat tantùm, ibi verò finiatur. Idcircò optimè S. Laurentius in tormentis dicebat, *Gratias tibi ago Domine quia januas tuas ingredi merui*, non dicit ingrediar, sed *ingredi merui*, id est, jam ingressus sum. Sic de omnibus martyribus dixit Sapiens. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. Si animæ justorum in manu Dei sunt; ergò dicere possumus, in paradiso esse; in manu quippe Dei non est aliud quàm gloria, & divitiæ; hoc apertè demonstrat

1. Corint. 15. 10.

2. Corint. 4. 17.

*Gloria cælestis in martyribus est dum patiuntur.* Ubi suprà.

*Hoc probatur sanctorũ exemplis.*

Surius in vita S. Laurentii.

Sapient. 3. 1.

Proverb. 3. 16. monstrat Sapiens: *Gloria, & divitiæ in sinistra illius, & longitudo dierum in dextera ejus.* Stultis hominibus videbantur mori, sed ipsi revera sunt in pace; non dicit *erunt*, sed *sunt in pace*, in ipsis tormentis, & dum moriuntur perfectâ pace fruuntur; & in scriptura idem est dicere, *sunt in pace*, ac dicere, sunt in omni genere bonorum. Hoc plurimis martyrum exemplis, & dictis probare possemus, cùm alius se in rosis jacere putabat, alius cælos apertos videbat, alius perfundebatur undique lætitiâ, & alia multa quorum Martyrum historiæ plenæ sunt.

*In tormentis perfectâ pace fruuntur.*

5. Alexander Magnus, ut in vita ejus me legisse recordor, dum audiret Darium cum omnibus copiis suis contra se pugnare velle, maximo perfusus gaudio quietissimè obdormivit: experrectus autem, rationem reddidit dicens, se ex repentinâ securitate & lætitiâ quam cœperat, eò quòd omnem Darii fortitudinem debellare debebat, somnum cœpisse. Metuebat enim Alexander ne Persæ dividendo exercitus, victoriam diutiùs retardassent. Nos omnes in hac vita contra principes tenebrarum præliamur, quia *militia est vita hominis super terram*: nunc hâc Job 7. 1. nunc illâ tentatione pressi, nunc persecutionibus, nunc maledictionibus, nunc deliciis, nunc honoribus allecti, numquam securi esse possumus. Martyres è contrà omnes suos opponunt milites, & unicâ vice omnes adhibent vires; sciunt enim, si hâc vice perdant, semper se manere devictos: multò tamen generosiores Alexandro Magno, maximam sentiunt consolationem, & in Domino confisi, dulciter requiescunt. Hoc David in persona omnium pulchrè exprimit, dicens: *Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me*; multos Psal. 3. 1. habuit inimicos, & persecutores, Saulem, Absalonem, Semei &c. Et ad Dominum solitus confugere dicebat: *Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.* Psal. 139. 1. Sed unâ vice considerans omnes inimicos simul, vidensque se ab iis opprimi, dixit: *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus.* Psal. 3. 1. O Domine quomodo me circumdederunt inimici, qui me vident superatum credunt, & dicunt hâc vice non poterit David effugere: quid tunc fecisti ô David? Numquid desperasti, aut exanimis in terram corruisti? *Ego* (inquit) *dormivi, & soporatus sum.* Psal. 3. 6. Quid hoc sibi vult, antè pro uno solo inimico ad Dominum confugisti, & clamabas: *Eripe me Domine ab homine malo*; Psal. 139. 1. modò omnes simul non times? Respondere posset, jam non timeo, quia diabolus omnes vires simul exacuit, & intendit, & ego in virtute Domini mei omnes superare confido. Sic omnes Martyres confidebant, ideò optimè ait Sapiens: *Illi autem sunt in pace.* Sap. 3. 3.

*Martyres in tribulationibus quiescũt.*

*David in tribulationibus quiescebat.*



6. Hæ

*Laudes martyrum S. Stephano tribuenda.*

6. Hæ laudes communes omnibus Martyribus, propriè sancto Stephano Proto-martyri conveniunt; sicut enim dum exercitus integer pugnat, licet unusquisque victoriam consequens, laudem particularem meretur; Duci tamen omnis honor attribuitur. Sic dum exercitus Sanctorum Martyrum nobilissimam victoriam contra mundum, diabolum, & carnem obtinet, licet omnibus in particulari laus pro victoria debeatur; major tamen triumphus, & gloria S. Stephano tribuendus, qui (ut Ecclesia inquit) Dux est & Princeps omnium: *In numero Martyrum inventus est primus*, idcircò plus aliis triumphat in cælis coronatus. Huic primo tamquam triumphatori cæli aperiuntur, ad ipsum recipiendum, processionaliter triumphantes procedunt; non solùm Angeli, verùm etiam monarcha ipse cælestium virtutum, ac potestatum Princeps. Numquid similiter aliis Martyribus aperientur portæ cælorum? Omninò, omnes quippè rectè ad paradisum tendunt, nulla tamen horum fit mentio; quia cùm exercitus ad civitatem aliquam pervenerit, si primò aperiantur portæ, signum est omnes intrare posse, nisi aliter prohibeatur: sic cùm totius martyrum exercitus sit primus S. Stephanus, dum ipsi portæ aperiuntur etiam omnibus aperiri intelliguntur. Quæ fuit ista apertura? S. Joannes in Apocalypsi dicit, vidisse se ostium apertum in cælo: sanctus autem Stephanus nullam mentionem facit portæ, sed solùm dicit: *Video cælos apertos*: fortè ab altera parte cælum apertum fuit? Ego quidem sic existimarem: consuetudo quippè erat, illo tempore quo Stephanus hoc vidit, ut victoribus ex ludis olympicis redeuntibus (ut graves referunt auctores) non daretur communis aditus, sed murus civitatis perfringebatur ut introirent. Ad demonstrandum civitatem à talibus civibus habitatam, non indigere muris pro defensione; vel portam particularem ab aliis non frequentatam fieri debere iis, qui particulariter vicerant, & patriam tali honore affecerant. Vel quia cives ita desiderabãt hominẽ istum gloriosum intra muros suos recipere, ut licet porta nulla fuisset, novam ipsi fecissent, nihili facientes muros pro tali honore effringere.

*Primo martyri cæli aperiuntur.*

Apoc. 4. 1.

Act. 7. 55.

Alexander, ab Alexandro lib. 5. genialium dierum. cap. 8.

*Victoribus olim muri civitatis rumpebantur.*

7. Sanctus Stephanus eodem modò procedit, non victoriosus solùm in ludis olympicis, sed de exercitibus infernalibus triumphans: cùmque cælestem patriam gloriosè ascendere vellet, voluit primò cælestis ille Jerosolymorum Princeps fieri novam apertionem in muris suis, ut hunc primum triumphatorem gloriosè reciperet, idcircò *aperti sunt ei cæli*, ad demonstrandum, absque muris debere habitari cælestem Jerusalem, juxta dictum Zachariæ Pro-

Act. 7. 55.

Zachar. 2. 4. Prophetæ: *Absque muro habitabitur Ierusalem*, propter multitudinem civium, qui exemplum S. Stephani sequuntur. *Aperti sunt cæli*, propter desiderium maximum civium cælestium, qui S. Stephanum in suum consortium recipere gestiebant. Sicuti dum Princeps in domo recipiendus est, non aperiuntur portæ dum præsens est, ut fit pauperibus, sed multo tempore anteà aperiri solent; sic S. Stephano antequam ad cælum ascenderet, subitò ut Angeli ipsum iter arripuisse vident, aperiunt cælum, ipsique monstrant apertum. *Aperti sunt ei cæli*, quia hominibus cælum diu clausum fuit, sed nunquam Angelis; S. Stephanus autem Angelus potiùs videbatur quàm homo, *Intuebantur vultum ejus tamquam vultum Angeli.* Meritò ergò ipsi cælum aperitur. *Aperti sunt ei cæli*: quia nuntium præmiserat, qui indicaret adventum ejus, sicut moris est magnis Principibus; quis fuit iste nuntius? orationes, & opera bona, quæ sunt quasi famuli sequentes hominem justum: unde dixit S. Joannes in Apocalypsi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos*: oratio præcedit viam præparans, ut Sapiens inquit: *Oratio humiliantis penetrat nubes, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat*: numquam desistit oratio, quia fidelis est nuntius, donec impetret quod velit. Hujus diversitatis ratio est, quia alia opera bona, non sunt cives patriæ cælestis, nec umquam in cælo fuerunt, numquam ibi fuit patientia, numquam jejunium, numquam eleëmosyna, numquam pœnitentia; sed oratio cælesti curiæ, ut civis accepta est, cùm enim cælestes illi spiritus continuò laudent Deum, idcircò oratio quæ Deum laudat, sola cælos penetrat; aliæ autem virtutes ut peregrinæ non incedunt sine comite. Si de eleëmosyna Cornelii Centurionis in actibus Apostolorũ dicitur, quod ascenderit in cælum ita accidit, quia oratio præcessit: *Orationes tuæ & eleëmosynæ ascenderunt in conspectu Dei*; primò fit mentio orationis, posteà eleëmosynæ. Sanctus Stephanus ferventissimam orationem pro seipso & inimicis præmisit, nil mirum si ipsi cæli aperiantur & dicat: *Ecce video cælos apertos.*

*Porta diu ante introitum aperta sunt.*

Act. 6. 15.

Act. 7. 55.

Apocal. 14. 13.

Eccli. 35. 21.

*Quia orationum nuntius fuit.*

*Oratio sola penetrat cælos.*

Actor. 10. 4

Actor. Apost. 7. 55

8. Sed si tanto tempore in honorem ipsius portę cæli apertę fuerunt, quis explicare poterit, honorem, & gloriam, quâ receptus est, applausus Angelorum, encomia Archangelorum, amplexus Prophetarum, & Patriarcharum, faustas acclamationes totius curiæ cęlestis, & super omnia coronas & diademata, quę de manu supremi Monarchę & Imperatoris recepit? Non unam Stephanus habuit coronam, sed multas, nec ullam credo in cęlis coronam fuisse quę S. Stephano tributa non fuerit. Coronam merentur Doctores sancti, qui gladio spiritus quod est verbum

*Quo triumpho in cælo exceptus?*

*Omnibus coronis decoratus fuit.*

bum Dei, contrà infideles victoriam obtinuerunt, de quibus intelligi possunt verba illa S. Pauli; *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitia, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Iudex.* Et verba Apocalypsis, ad Episcopum Philadelphiæ; *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* His coronis credere possumus coronatos fuisse illos 24. seniores, per quos communiter intelliguntur Prophetæ, & Patres veteris testamenti. Hæc corona videtur correspondere coronæ civicæ Romanorum, quæ dabatur iis, qui vitam civis defenderant. Quis negare poterit, hanc coronam convenire S. Stephano? Primus ipse Doctor, & Concionator, S. Ecclesiæ fuit, qui egregiè omnes adversarios cum ipso disputare volentes confudit: *Surrexerunt autem quidam disputantes cum Stephano, sed non poterant resistere sapientia, & spiritui qui loquebatur.* Quid ergò fecerunt? Lapidibus eum impetere cœperunt, probantes si sic resistere possent. Cur non potiùs eum gladio percusserunt? Fortè quia sciebant ipsum optimè uti gladio verbi Dei, vinci metuebant. Vel non fuerunt ausi ad ipsum propiùs accedere, quare lapidibus à longè eum impetiverunt? Vel eo quòd viderent sapientiam S. Stephani ingenti fluvio similem, lapidibus illi aggerem constituere volebant, inundantem eloquentiæ impetum reprimere cogitantes? Quidquid tamen sit, hoc tormento multùm illum illustrarunt.

2. ad Tim. 4. 8.

Apoc. 3. 11.

Actor. 6. 9.

*Cur lapidatus fuerit?*

9. Antiquitùs moris erat Mercurium (Deum scientiarum æstimatum) acervo lapidũ honorare, quem ordinariè in viis ponebant, ut itinerantibus eam ostenderet. Unde dicitur in Proverbiis; *Qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem*; id est, honorare stolidum, est quasi idololatrare, aut revereri acervum lapidum, Mercurium dictum. Quod autem proposito nostro inservit est, gentiles putasse acervum lapidum, symbolum sapientiæ esse: fortè quia cùm omnes homines sint ex terra formati, sapiẽtes inter alios sunt sicut saxa terræ comparata, constantiores videlicet, magisque inter se uniti, & aptiores ut alios sustentent. Sed qualiscumque ratio sit, dum lapides symbolum sapientiæ sint, Judæi contrà voluntatem, sapientiam S. Stephani approbant, dum acervum lapidum simul congregantes, ipsum signum cælestis viæ statuunt. Victoriosus ergò fuit S. Stephanus etiam per confessionem inimicorum, propterea meritò ipsi debetur corona Doctorum propter sapientiam, quam Judæi sufferre non poterant. Si autem quæratur, quem civem ipse salvaverit, cùm dicamus hanc coronam Civicæ similem: dicemus illum S. Paulum convertisse, & à morte salvasse, cùm S. Augustinus affirmet, S. Paulum

Proverb. 26. 8.

*Quia sic ejus sapientiam approbant.*

*Civica corona ipsi debetur.*

Paulum oratione S. Stephani conversum fuisse. Si dicas ipsum non rogasse pro conversione inimicorum, sed solummodo ut illis non imputaretur hoc peccatum; Respondeo orationem alicujus pro inimicis rogantis, & particulariter S. Stephani, tam gratam, acceptamque Deo esse ut non solùm obtineat quod petat, verùm etiam plus quàm desiderat. Notat insuper S. Gregorius Nyssenus omnes gentes pro conversione sua multum S. Stephano debere, mors enim illius fuit occasio, cur fideles per varias Regiones dispersi, fidem ubique gentium annuntiare cœperint.

*Corona martyrii ei propria.*

10. Non ergò dubitandum est, S. Stephano coronam Doctorum convenire. Quæ ergò ipsi deerit? Martyrum? Cui hæc dabitur nisi ei qui primus omnium martyrium subiit? Quis coronabitur, nisi cui alii omnes Martyres coronam faciunt? Quis coronabitur, nisi qui nomine, & re coronam meretur? De hâc coronâ dicebat S. Jacobus Apostolus: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: Coronam vitæ illam vocat, quia illis datur, qui vincendo vitæ hujus amorem, mortem pro Domino sustinent; vel corona vitæ dici potest, quia numquam emoritur sed perpetuò durat. Meliùs dicamus juxta phrasim Hebræam, coronam vitæ pro corona viva poni: quare corona viva? Res vitam habentes ut arbores, & herbæ, semper crescunt, semper pullulant: si ergò quispiam coronatus fuisset herbâ, aut ramo semper virenti, & vivo, quis nescit eum semper crescere, & crescendo majorem evadere debere? Talem possumus dicere fuisse coronam S. Stephani, coronam vivam, coronam semper crescentem; quotiescumque enim novi Martyres cælum ingrediuntur, novum germen accrescit coronæ S. Stephani; totum enim hoc in honorem ipsius redundat, quia primus hâc viâ incessit, aliisque eam demonstravit.

Jacob. 1. 12.

*Corona Virginum ei dicatur.*

11. Virginibus corona datur, quæ in periculoso carnis ac sensus conflictu victrices redditæ, Sponsæ Regis cælorum effectæ sunt; de quibus Sapiens loquitur: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, & in perpetuum coronata triumphat.* Hîc autem advertendum, non solùm coronam dari virginibus, sed etiam triumphum; cur potiùs virginibus quàm aliis? Fortè quia in triumphis conducebantur inimici victi, Martyribus autem ac Doctoribus, non est licitum inimicos devictos ad cælum ducere, qui sunt diabolus, & mundus; sed virginibus licitum erit, quæ ad minùs post Resurrectionem universalem, secum ad cælos carnem propriam conducent? Vel quia proprium est triumphantibus, currum triumphalem habere, idque virginibus concessum est; quia virtus

Sapientiæ 4. 1.

*Cur Virgines potius triumphant quàm alii?*

tus illarum proprium corpus, mirabiliter perficit? Quomodocumque hoc sit, probabilissimum est hâc coronâ etiam cingi caput S. Stephani. Si enim Apostoli non ipsum cognovissent amantissimũ esse castitatis, non constituissent provisorem mulierum, ut illis cibum ministraret.

*Coronâ gloriæ decorantur.*

12. Sancti quoque omnes coronam habent auream, quæ est gloria essentialis illorum charitati respondens, de qua dicebat sanctus Petrus: *Cùm apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* (1. Petri 5.4.) Nonne omnes coronæ adferunt gloriam? Ita certè, quia nil sunt aliud quàm signum gloriæ & honoris, materia tamen illorum, non est gloria ipsa, sed vel laurus, vel quercus, aurum, vel argentum: corona tamen Beatorum non erit aliud quàm gloria, quia ex eadem gloria componetur ut cingat caput illorum; idcircò rectè dicebat Psalmista Regius: *Gloriâ & honore coronasti eum*; (Psal. 8.6.) quia gloriosiorem, nobiliorem aut pulchriorem habere non poterunt. Ratione hujus coronæ, omnes Sancti vocantur Reges: *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & regnabimus super terram.* (Apocal. 5. 10.) Hæc corona tantò pretiosior est, quantò major fuerit eorum charitas in terris; quis autem nescit, non solùm magnam, sed admirabilem charitatem S. Stephani in terris fuisse? *Cùm esset plenus Spiritu sancto*, (Act. 7. 55.) inquit Sacer textus, quod tantum est dicere, ac ipsum plenum fuisse igne divini amoris. Videbatur Spiritus sanctus reliquisse cælum, & habitasse in pectore S. Stephani; cùm enim in admirabili illâ visione, vidisset cælum apertum, vidit quidem Filium stantem à dextris Patris, sed Spiritus sancti nullam mentionem fecit: quid hoc sibi vult? Nunquid credebat mysterium sanctissimæ Trinitatis? Quin imò pro eo voluntariè mortem subibat; noluit fortè revelare Genti incredulæ tantum mysterium? paulò antè tamen dixerat: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*: (Actor. 7. 51.) cur ergò nullam ipsius mentionem fecit, cùm illo plenus esset, & os ordinariè id eructat quod cor abundat? Illum adverterant Judæi in verbis ejus, ideò Scriptura dicit: *Non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur*; (Actor. 6. 10.) cùm ergò Stephanus Spiritum sanctum in pectore habebat, non opus erat illum de longè ostendere. Unde accidit ipsum fuisse plenum gratiâ, & fortitudine, quæ dona sunt Spiritus sancti. Nec exiguus honor S. Stephano attribuitur, dum eodem titulo quo paulò ante Christus à S. Joanne decoratur: *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*: (Joan. 1. 14.) ipse decoratus fuit.

*Hæc corona charitati respondet.*

*Cur S. Stephanus non viderit Spiritum sanctum?*

*Quia eum in pectore habebat.*

13. Diversa honoris signa, à Principibus, generosis militibus tribui solent: torques, coronæ, purpuræ, insignia, cruces, præfecturæ, &c. Sed maximum æstimatur donum, si Principes alicui propria

*Maximum donum insignia principis recipere.*

propria arma, aut insignia donet; hoc enim modo demonstrat, se illum non indignum reputare suâ parentelâ, & quasi certâ adoptione in familiam suam adoptare, ac sanguinis regalis participem efficere; sic Christus diversis martyribus diversa insignia suæ passionis dedit, crucem SS. Petro, Andreæ, & Philippo; purpuram S. Bartholomæo; coronas quadraginta Martyribus, aliis alia; sed S. Stephanum ultra alia dona, etiam participem suorum insignium fecit, quia plenum gratiâ, & fortitudine reddidit; licet scutum non tam magnum fuerit, quàm scutum armorum Salvatoris, non enim tantâ gratiâ plenus, ut ipse, aut Mater ejus. Monstravit se etjam non indignum hâc gratiâ, dum ut bonus discipulus, imitatus est magistrum; quin imò ut filius retinuit characterem, desiderii materni sive appetitus quem habuit dum gravida esset; desiderium nempè ignoscendi inimicis, quod Christus in cruce habuit, dum illum quasi parturiit; quia inter durissimos lapides, cor adeò tenerum habuit, ut Christum pro lapidantibus deprecaretur. Hoc testatur S. Augustinus dum illum sic alloquitur: *Videamus si reddis duritiam cordis, lapidibus duris, lapidibus qui te lapidant, lapides enim mittunt lapides, duros duri, qui in lapide legem acceperunt, lapides mittunt.* Inter tot lapides, cùm esset tenerrimi cordis, ad compassionem, & misericordiam flectitur, & obsecrat, ut illis non imputetur hæc culpa.

*Vt verus Christi filius pro lapidantibus orat.*

S. August. quæst. 88. in novum Testam.

14. Notat hîc insuper S. Augustinus, eum pro seipso orasse stando, sed dum pro inimicis, & persecutoribus deprecaretur, genua flexisse, illorúmne salutem magis amabat, quàm propriam? Aut desiderabat potiùs exaudiri pro ipsis, quàm pro amicis suis. Respondet S. Augustinus eum non ignorasse se facilè impetraturum quod pro se desiderabat; sed difficillimum judicasse, ignoscere culpam, incredulis illis & perversis hominibus. Fiducia ergò plenus, pro seipso stans orat, & timens pro illis, genua flectit. Dicamus etiam, non fuisse defectum gratiæ, sed superabundantem affectum, exponendo se pro illis voluntariæ passioni; quandoquidem situs ille genu flectendi, est personæ non se volentis defendere, sed recipientis voluntariã castigationem. Pietatis effectus fuit, quia sanctus Stephanus adeò tenero affectu erga illos afficiebatur, ut se quasi pedibus regere non valens, genua flexerit. Non flectit ergò pro se, ut non videatur metuere, aut cedere tormentis, & morti, contrà quæ invictus erat; sed inclinat, & flectit pro inimicis, quia fortior est morte dilectio.

*Cur pro inimicis orans genuflectit?*

15. Nec solùm genua flectit, sed etiam vocem quantum potest attollit: *Positis genibus, clamavit voce magnâ*; timebat fortè, ne Deus illum non exaudiret, si tam altè

Act. 7. 59.

*Cur altâ voce oraverit pro inimicis.*

Ttt non

non clamasset? Minimè: sed clamat voce magnâ, quia insignem exhibebat actionem precando pro inimicis suis, & conveniens erat, ut vox actioni corresponderet. *Magnâ voce clamavit*, quia Deo plurimùm placebat illa actio, licet enim propter lapidum ictus, & mortis vicinitatem debilis esset, voluit tamen Deus illi dare tantam fortitudinem, ut fortiter clamare posset. *Magnâ voce*, quia tunc eructabat quod à magistro suo didicerat, qui in cruce magnâ voce pro inimicis clamans expiraverat.

*Variæ rationes istius.* *Magnâ voce* dicere possumus, quia procedebat à magno impetu spiritus, sicuti globulus bombardæ ab igne coactus, vi exire cupiens, magnum excitat fragorem. *Magnâ voce*, quia Deus illam per omnes mundi partes audire voluit, ut omnes addiscerent inimicos, & persecutores diligendos. *Magnâ voce*; quia ut lapis in profundam dejectus cavernam, magnum excitat strepitum, sic hæc vox sancti Stephani, ictibus lapidum, quos persecutores illi infligebant, correspondens, mirabilē vocis repercussionem, & quasi Echo effecit contrarium asserens, quàm alii dicebant. *Magnâ voce clamabat*, quia sciebat peccata in cælum clamare, juxta illud: *Clamor Sodomorum venit ad me*, idcircò magnâ voce clamans volebat hunc clamorem superare, ut primò vox ignoscendi cælum penetraret, quàm vox vindictæ. Vocem quoque

*Genes. 18, 20.*

habet sanguis, quâ clamavit in Abel, Scripturâ teste: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ*: Genes. 4. 10. & S. Stephanus non solùm voce oris, verùm etiam sanguinis & vulnerum voce clamabat, idcircò magnâ voce. Quando vox recipitur in aliqua apertione aut caverna montis, aut in aliquem locum, aut angulum reverberatur, major efficitur, ac meliùs auditur; vox S. Stephani fuit in cælo recepta ubi apertio erat, ad quam reverberata tantùm edidit sonum, ut quasi duplicata Echo foret. Vox etiam S. Stephani reduplicatio vocis Christi fuit, quâ pro inimicis deprecatus est, hæc magno clamore insonuit, ergò magna etiam vox S. Stephani fuisse debuit.

*Vox S. Stephani Echo vocis Christi.*

16. Quare tamen S. Stephanus orationi suæ nullam ignorantiæ eorum excusationem adjunxit, ut magister ipsius fecit, dicens: *Non enim sciunt quid faciunt*; fortè morte interveniente impeditus fuit? cùm enim hæc verba dixisset: *Obdormivit in Domino*. Aut quia post mortem, & claram Salvatoris Resurrectionem, non putabat tenebras ignorantiæ reperiri posse? Meliùs dicamus ipsum præ humilitate hoc tacuisse, nec ausum fuisse totam orationem Salvatoris referre, maximè dicendo quòd illud ex ignorantia illorum potiùs quàm ex malitia procedebat; cùm ipse hoc non tam apertè sciret, ut Christus sciebat. Quomodocumque

*Cur non excusavit ignorantiam eorum.* Lucæ 23. 34. Act. 7. 59.

que

que sit, precabatur Deum ut ipsis hoc peccatum ignosceret. Docuit olim Licurgus Spartiatas, ut non armis solùm inimicum læderent, sed etiam voce terrerent, & mos Romanorum erat altissimo clamore inimicum aggredi, ex quo militum clamore, duces augurium victoriæ colligebant; si magna, aut parva futura esset, si perditio, aut ruina subsecutura. Sic S. Stephanus ut validus miles, fortiter lapidum sustinuit ictus, & pro victoriæ signo, vocem cum clamore valido exaltavit quasi triumphum inclamitans.

*Coronam ex lapidibus pretiosis illi imposuerunt.*

17. Sic ergò victoriam gloriosissimam de inimicis reportans, coronam immortalem acquisivit, ex lapidibus pretiosis elaboratã, quam persecutores attulerant, ut vitam ei demerent: prout Salvator dicebat, si homines tacuissent, clamassent lapides; sic de hoc glorioso Martyre dicere possumus, quòd si homines nolint prædicare laudes, & triumphos hujus gloriosissimi Martyris, ipsimet lapides prædicabunt. Hoc Propheta Ezechiel pulchrè expressit, loquens de Rege Tyri: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, quod meliùs de S. Stephano affirmare possumus, nulli quippè lapides pretiosiores fuerunt, quàm qui sanctum Stephanum in morte cooperuerunt; quibus etiam mors ipsius magnifacta est, ita ut dici possit, pretiosa in conspectu Domini, cùm ipsemet Salvator ut illam videret, cælos aperire voluerit. Ut etiam Jacob inter saxa obdormiens, de cælo visitatus fuit, sic S. Stephanus inter lapides obdormiens à Christo visitatus, & consolatus fuit; & dici potest, ex lapidibus illis sibi scalas in cælum usque pertingentes, confecisse.

Lucæ 19.40.

Ezech. 28, 13.

18. Verum quidem est, Deum Jacob apparuisse innixum scalis, vel ut septuaginta verterunt: *Vidi Dominum incumbentem scala*: sed S. Stephano apparuit stans; *Et Iesum stantem*. Ratio hujus rei facilè reddi potest; Deus quippè noster ita homines diligit, ut videatur transformari in illos, & in se sentire omnes passiones illorum: *Cum ipso sum in tribulatione*, inquit Psalmista. Jacob, quo modo dispositus erat? Jacebat in terra, & quiescebat, Deus etiam se monstrabat jacentem, & incumbentem scalæ; Stephanus autem stabat, & se contra inimicos tuebatur, eodem etiam modo illi Christus apparuit. Dicamus etiam Deum Jacob apparuisse tamquam judicem sententiam contra Laban, & Esau ferentem; Stephano autem stans apparuit, tamquam ejus advocatus, qui pro ipso intercedat. Vel dicamus cum sancto Augustino, Christum propriam causam defendisse: *In S. Stephano*, inquit ipse, *Salvatoris causa vim patiebatur, ideò sedente judice Deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret, omnis enim qui causam dicit, stet necesse est; at quia causa ejus bona est, ad dexteram judicis*

Genes. 28. 13.

Actor. 7. 55.

*Cur Iacob Deum innixum scalis viderit, Stephanus verò stantem?*

Psalm. 90. 15.

S. August. quæst. 88. in novum Testamẽtum;

*Quia pro defensione stabat.*

*cis stabat*. Dicamus quoque, stare Christi, effectum fuisse orationis sancti Stephani; sicuti dum Terpander musicus submissè citharam sonabat, Alexander Magnus mensæ assidens subitò surgebat, & arma apprehendebat: sic ad sonum dulcissimæ musicæ ex oratione sancti Stephani provenientis, Christus, qui paradisi delitiis fruebatur subitò surrexit, & arma apprehendit ad defensionem ejus.

S. Amrof. epist. 81. Dicamus tandem cum S. Ambrosio, quòd stabat promptus, & sollicitus, cum corona in manu, ut quàm primùm fuisset pugna finita, pugnatorem coronaret: *Stabat* (inquit ipse) *sollicitus ut Martyrem suum coronaret*. Idcircò Stephanus, videns Christum expectantem, dicebat: *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Act. 7. 59.

*Plurimi Martyres S. Stephanum secuti.*

19. Quis exprimere poterit numerum Martyrum, quos sanctus Stephanus secum per easdem scalas attraxit? *Generationem ejus quis enarrabit?* Isaiæ 53. 8. Malum punicum plenum est rubicundis granis è quibus unumquodque aptum est semen, ut alia ejusdem speciei producat; & unaquæque gutta sanguinis Proto-martyris Stephani, vocari potest semen Martyrum, qui in maxima quantitate posteà secuti sunt. In Scriptura sacra primi artium inventores, vocati sunt Patres; sic Jubal vocatur: *Pater canentium cytharâ & organo*. Genes. 4. 20. Et Jabel: *Pater habitantium in tentoriis, atque pastorum*. Sic sanctus Stephanus qui primus sanguinem pro Christo sparsit, Pater Martyrum dici potest, quia ipsius exemplum omnes secuti sunt. Fuit quasi Abel, charissimus filius secundi Adami, & primus qui à sceleratissimo Caino (populo nempè Hebræo) pro fide Christi occisus fuit. De illo textus Hebræus scribit: *Vox sanguinum fratris tui Abel, clamat ad me de terra*, Gen. 4. 10. ubi nostra versio habet, *vox sanguinis*. Quasi dicere vellet Deus, non solùm reus es istius sanguinis fratris tui, sed omnium qui ab eo nati fuissent per omnes generationes. Sic occisores S. Stephani dici possunt occisores omnium martyrum, qui S. Stephanum patrem agnoscunt, quia non solùm patrem occiderunt, sed etiam suo exemplo alios docuerunt ut vitam fidelibus adimerent.

*Iudæi in S. Stephano omnes Martyres occiderunt.*

20. Si ergò martyres possunt vocari filii S. Stephani, quis sufficienter gloriam ejus explicare poterit? Cùm tres fratres in ludis olympicis tres nobilissimas victorias, & coronas adepti fuissent, continuò ad patrem concurrerunt, illasque tres coronas capiti ejus imposuerunt, hoc facto demonstrantes, in ipsum omnem hanc gloriam redundare. S. Stephanus caput est omnium martyrum, & Pater: infinitæ ergò coronæ quas ipsi promeruerunt, capiti ejus imponendæ sunt, ac omnis honor, & gloria martyribus debita, ipsi soli tanquam patri debetur.

*Qualis gloria sancti Stephani?*

*S. Stephanus gloriosus in filiis.*

betur. Tam gloriosum est habere filios virtute præditos, ut Sapiens neminem laudari velit in vita, sed post mortem, eventum filiorum expectari jubet: *Antè mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir*: & alibi: *filius sapiens lætificat Patrem.* Quanta ergò erit laus, & gloria S. Stephani, qui filiorum innumerabilium sapientum, & gloriosorum pater est? Disputatum semel est in mensa Cambysis, quis gloriosior evasisset, Cambyses, aut pater ejus Cyrus, dicentibus aliis, adulando potiùs quàm verè dicendo, ipsum esse gloriosiorem; Crœsus ipsis sapientior, Cyrum prætulit; nō propter aliam rationem, quàm quia ipse nondum filium produxisset, sicut pater ejus; quæ ratio in S. Stephano approbari potest, qui Pater est tantorum laude dignissimorum filiorum.

Eccli. 11. 30.

Proverb. 10. 1.

*Meritò S. Stephano hoc dictum tribuitur.*

Isaiæ 53. 8.

21. Meritò ergò ipsi verba illa Isaiæ Prophetæ attribuimus; *Generationem ejus quis enarrabit?* Quæ de Christo Salvatore nostro dicta fuerunt. Advertendum autem est, hæc verba duplicem sensum habere posse, unum passivum, activum alterum; passivus est, quis enarrare poterit generationem, quâ Christus generatus fuit. In quo sensu hanc vocem accepit Evangelista Matthæus dum dixit: *Liber generationis Iesu Christi.* Activus sensus est, quis poterit enumerare filios quos Christus produxit, & hìc conformior est textui, quia loquendo ibi de morte ejus, narrat fructus inde provenientes, qui fuerunt infiniti filii, unde vocatur, *Pater futuri sæculi*: & hoc quod primò Isaias dixerat; *Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium*, replicavit postea clariùs; *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*; quod alio modo Salvator noster dixit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* In hoc secundo sensu illa verba S. Stephano applicuimus, qui moriens evasit (ut ita dicam) pater tantorum filiorum, quot martyres ipsum secuti fuerunt; inter alios autem dicere possumus, ipsum suis precibus S. Paulum impetrasse, qui morti ejus cooperatus fuerat.

Matt. 1. 1.

Isaiæ 9. 6.

Isaiæ 53. 8.

Ibid. 10.

Joann. 12. 24.

*Pater omnium martyrum dici potest.*

22. *Generationem ergò ejus quis enarrabit*, tam ratione multitudinis, quàm respectu dignitatis, & & gloriæ filiorum? Nec sine fundamento in scriptura sacra applicatur hoc dictum malogranato, quia eidem assimulatur Crux in Canticis, his verbis: *Sub arbore malo suscitavi te*, per quam arborem, patres communiter intelligunt, Crucem; & licet textus noster latinus non explicet quæ arbor fuisset, declaratur tamen in Hebræo, juxtà sensum Lirani qui super hunc locum scribens, dicit propriè illam interpretari Malogranatum: si enim hæc est symbolum amoris, ut explicuimus, quis

Cant. 8. 5.

*Per malogranatum Crux intelligitur.*

negare poterit, optimè in ipsa figurari Crucem, quæ est signum clarissimum divini amoris? Si innumerabilia sunt grana, quæ ex malo-granato proveniunt, etiam innumerabiles per crucem salvati sunt, unde dixit Liranus: *Dicitur autem hic sancta Crux malo-granatum, quæ est arbor fructifera, ad designandum fructum Crucis, qui est innumerabilis.* Si ergò Crux est arbor malo-granatorum, benè dici potest, Christus esse malum-granatum, & primus fructus qui ex hac arbore pependit; & si hoc præ multitudine granorum aperitur; sic Christo latus lanceâ apertum fuit, ut inde tot filii ipsius & semina qui nos sumus, procederent. Contigit ipsi sicut matri in partu morienti, cui statim venter aperitur, ut partus salvetur. Sic Christo morienti in partu, ut alteri Racheli subitò lanceâ latus apertum fuit; indeque Ecclesia sancta Catholica, magna, videlicet multitudo fidelium processit. Quod optimè in malo-granato figuratur, quod aperitur ut grana conserventur integra, & maturescant, indeque bona, & integra educantur tamquam filii ex sinu matris. Ex quibus S. Stephanus, qui insuper tot filiorum Pater est, & tot malo-granatorum semen fuit.

Liranus in Cantica.

*Christus malum-granatum dici potest.*

Joann. 19. 34.

IN FESTO

# IN FESTO S. IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

## DISCURSUS TRIGESIMUS QUARTUS.

*De sublimi gratiâ & privilegio particulari ejusdem.*

### Tubus opticus, quô à longè prospicimus.

*Oculorum uno.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

*Tubum opticum ejusq; usum describit octo primis numeris.*

*Sanctum Ioannem meliùs quàm alii mysteria fidei declarasse docet num.* 9. 10. 11.

*Privilegia sancti Joannis à Christo exhibita enarrat, num.* 12. 13. 14. 15.

*Quomodo divina mysteria cognoscere & intelligere possimus ostendit, num.* 16. 17. 18. 19. 20.

*Fide & contemplatione hoc fieri declarat, num.* 21. 22. 23. 24. 25. 26.

*Sanctum Joannem in divinâ gratiâ & beneficiis omnes ferè superasse describit, num.* 27. 28. 29. 30. 31.

1\. NOstram hanc ætatem nec ingeniorum excellentiâ, nec conceptuū subtilitate, nec judicii maturitate, nec hominum in quovis scientiarum genere versatorum eminentiâ, cedere antiquis, multis possemus ostendere argumentis. Hoc maximè in omnibus variarum scientiarum libris tam perfectè, & subtiliter impressis, in tantis hisce temporibus, editis inventionibus, omnem antiquorum sapientiam excedentes clarè patet. Ut autem librorum impressionem, tormentorum bellicorum inventionem, magnetis usum, ac novi omittamus navigationem mundi, veteribus planè ignotam; non infimum obtinet locum, licet inventione posterior Tubus opticus,

*Nostra ætas non cedit aliis in subtili inventione.*

*Tubus opticus insigne instrumentū.*

cus, per quem longissimè quæque dissita, quasi propè intuemur, & occultissima secreta cælestia mirabili prorsùs modo patefacta sunt. Stellæ hactenus non visæ repertæ, motus antè non observati cogniti, & non solùm Lunæ, verùm etiam Solis observatæ maculæ; diversæque aliæ cælorum proprietates ad hæc usque tempora absconditæ, hoc instruméto mirabiliter sût detectæ. Suprà quæ acuto discurrens ingenio D. Angelus Grillus dicit; *Fabulata est antiquitas gigantes montes imposuisse montibus, ut stellas contingere possent, & secreta perscrutari cælestia; sed nostra hac atas non montes, sed vitra superposuit vitris, ut secreta stellarum, & Luna cursum considerare posset.*

*Ptolomei instrumentum utrùm verum?*

Referunt aliqui Ptolomeum sexcentis milliaribus distantes naves, vidisse portum intrantes; non oculorum perspicacitate, sed virtute crystalli: quod non solùm mihi suspectum, verùm etiam falsum apparet, cùm naturalis rotunditas maris, in tantum extendere visum non permittat. Nec credendum est, tam præclaram prospiciendi inventionem subitò fuisse perditam, cùm Astrologi ad cælestes indagandas constellationes hoc instruméto uti potuissent; maximè si dicamus nostro instrumento simile extitisse.

Fortun. Licet. l. 6. de novis astris c. 6.

2. Fortius majoris antiquitatis argumentum illud esse posset, quod celebris ille Philosophus Fortunatus Licetus adfert, se in libro quodam vetusto in Monasterio Sceurensi conservato, vidisse imaginem Astrologi cujusdam depictam, hoc instrumento Stellas contemplantis: cui testimonium perhibere videtur Cisatus, sed necdum devictus cedo; quo modo enim in manu istius Astrologi vitra in instrumento posita discerni potuerunt? Si enim ut nostra instrumenta vitra non habebat, non fuit ipsi simile, nec per consequens antiquitate excedens; arundo quippè perforata aut fistula esse poterat, ut visivam virtutem magis haberet unitam. Quidquid tamen de hac instrumenti nobilissimâ inventione sit, curiosissimum certè esse, profiteamur necesse est; cùm altissima cæli penetret secreta, & maculas (ut alter momus) in pulcherrimis solet reperire aspectibus. Sed quare hæc perspicilia tantam habent intuendi virtutem, ut res longissimè dissitas, nobis præsentes exhibeant? Ad hoc quidam respondent, visivam virtutem, perspiciliis istis roborari, unde occasionem arripiunt hoc nobilissimum celebrandi instrumentum, quòd soli nimirum visui aliquo modo deficienti subsidium afferre possimus, non autem reliquis sensibus. Hoc tamen si philosophicè magis discutiatur, nullo præ aliis sensibus gaudere privilegio probabitur, nec perspiciliis ipsius augeri virtutem, quod primâ reflexione videbitur extraneum, probatum tamen ut fuerit, verissimum esse reperietur.

Cisatus lib. de cometis cap. 7.

*Per hoc instrumentum longè dissita propè videntur.*

*Vtrùm hoc solùm sit privilegium visus?*

3. Mo-

3. Modus ergò quò visio fieri solet, est considerandus, qui non fit (ut aliqui arbitrantur) ex oculis radios emittendo, illosque in objectum dirigendo; sed è contra ex ipso objecto imagines aut radios quosdam à Philosophis species intentionales nuncupatos, ad ipsum oculum dirigi. Perspicilia ergò quæ visum non tangunt, nullam ipsi possunt conferre virtutem, sed species ad oculum emissas, clariores reddere; sicut enim experientiâ docemur solares radios in concavum reflexos speculum, taliter uniri ita ut ignem ex seipsis producere possint; pari modo species in perspiciliis unitæ, majori virtute oculum attingere solent, ac efficere ut videat, quæ priùs conspicere nequibat; cùmque hæc perspicilia nimis sint acuta, facilè visum offendunt.

*Quomodo perspicilia res videri faciant.*

4. Hinc facilè conjicere poterimus, hoc non esse oculi privilegium, sicut enim perspiciliis virtus corroboratur objecti, & clariùs exhibetur oculo, sic modus reperiri posset, aliorum sensuum confortandi objecta, ut species istorum faciliùs ad sensus emitti possint, quod clariùs in auditu patebit, certis enim tubis, aut cornibus auribus adhibitis ita in illis restringuntur species, ut qui anteà illas percipere non posset, isto adhibito remedio, clariùs percipiat.

*Auditus similiter adjuvari potest.*

5. Simile quid aliis accidit sensibus, non enim modi desunt, ita accommodandi objecta, ut majori virtute sensus excitent, illorumque quodammodò soporem superent: odori namque major vis igne tribuitur, in frigore magis restringuntur species, eas per canales, & meatus subterraneos ducendo, ut Vicentiæ in Italia reperiuntur meatus ex specubus sub terrâ ad vicinas habitationes conducti; quos æstatis tempore, non modò à nimio calore temperatas, verùm etiam frigidissimas reddunt. Hieme autem sufficienti replent calore: majori profectò admiratione quàm tubus opticus cælos intuetur: non enim canales isti recti sunt, ut tubus iste, sed circumducti extolluntur, & deprimuntur ut cuique placet. In omnibus denique sensibus virtus objecti magis unita, illos monere potest. Verùm quidem est, cùm oculus & auditus magis spiritualis sit, ac objectum non per se concurrat, sed mediante specie; ad aliorum verò sensuum operationem ipsa cōcurrere solet substantia objecti, sic major ibi admiratio est, & causa occultior.

*Meatus subterranei calorem vel frigus adducentes.*

6. Dubium tamen unicum circa tubum nostrum opticum occurrit solvendum; cur nimirum vitra ipsius uno ab altero ita distent: & cur meliùs tubus longior repræsentet objecta, quàm brevior? Hic enim illa non videtur congruere ratio, quòd virtus unita sit fortior, cum vitris istis restringatur virtus, & non tubo inter-

*Cur tubus longior melior?*

medio. Respondeo nihilominùs tubum ipsum suâ efficere longitudine ut meliùs videamus. Primò, quia longiùs aliquantulum ab oculo corroboratæ species, majori ipsum afficiunt virtute, sicut lancea cùm longior sit fuso, magis vulnerat. Secundò, cùm duo hæc vitra ab invicem multùm distent, unum alterius non impedit officium; sed secundum species à primo qualificatas quasi naturales recipit: hæc etiam distantia efficit, ne visio in plura distrahatur objecta, sed unum attentiùs intueatur. Si enim duo perspicilia oculis anteponamus, magis ab istis corroboratæ erunt species, non unum tamen demonstrabunt objectum, sed plura oculo exhibebunt; in Tubo autem cum sit restrictior visus, unum solùm considerat objectum: ideo admirandum non est, si visio in unum restricta objectum clarior evadat.

7. Ab his ergò considerationibus, ad novas quas in cælo reperit inventiones transeamus, videamusque quàm mirabiliter hoc operetur instrumentum, quod meritò oculi magister, & terræ cælique perspicacissimus vocatur indagator; quo medio res longissimè dissitæ nobis propiùs exhibentur. Luna hucusque perfectâ putabatur corporis rotunditate, licet non semper talis appareat, propter varios diversosque aspectus, & luminis reflexiones: nisi dum plena est; hoc ergò instrumento in eo montes & valles sicut in terra apparuere, tantæ altitudinis, ut quatuor Italicis miliaribus corpus ipsum lunæ excedant. Quod magnâ Dei actum est providentiâ, ut nimirum solis lumen melius ad terram deflecteret, si enim perfectè sphærica fuisset, in tam diversas effunderet lumen partes, quòd minima ipsius particula vix nobis contingeret.

*Per hoc instrumentum nobis incognita innotuerunt.*

*Lunæ defectus observati.*

8. In ipsis quoque stellis, & firmamento, multa de novo reperta sunt tam circà planetas quàm alibi, quarum nullus antea cognitionem habuit; nam lactea via, aliud in cælis non est, quàm multitudo stellarum simul unitarum, quæ cum ob nimiam distantiam clarè videri non possint, splendorem istum efficiunt. Non ergò ut multi affirmant, solummodo sunt 1022. stellæ; sed prout Deus dixit ad Abraham innumerabiles, quas credo à magno illo Patriarcha cognitas fuisse, vel quia perspicaciori quàm nos excellebat visu, vel quia hoc ei Deus videre concesserat. Qui novam desiderat inventionem stellarum alios auctores, & Astrologos noviter scribentes, videre poterit; Nobis hic magis contemplandum est illud quod Astrologus, & Propheta Joannes prædixit: qui divino illustratus lumine, fidei tubo, & contemplationis oculo, altissima penetravit mysteria, & secreta perscrutatus est cælestia in Evangelio & Apocalypsi.

*Stellæ perfectiùs cognitæ.*

*S. Joannes secreta cælestia perscrutatus.*

9. Hæc

*Differentia inter S. Ioannem & alios Evangelistas.* 9. Hæc autem videtur esse differentia inter illum, & alios Evangelistas, quæ inter Astrologos tubo optico; & alios naturali visu utentes esse solet. Alii quippè circa mysteria humanitatis Salvatoris nostri versari videntur; sed S. Joannes instar Aquilæ, cælos ipsos transcendens, nobis altissima exhibet divinitatis mysteria. Sicuti ergò ad Aquilæ conspectum cætera silent animalia; sic ad sancti Joannis præsentiam nullus audet hæreticorum obloqui. Hoc pulchrè testatur S. Basilius, dicens: *Universum simul mendacium suppressum silentio est, quemadmodum Aquilâ aliunde advolante, ac desuper conspectâ, futili garrulitate loquacium avium; quàm ocyssimè silentium inditur.* *Cur S. Ioannes ultimus omnium scripserit?* Non garrulis solùm, & loquacibus, verùm etiam vera dicentibus, S. Joannes imposuisse videtur silentium; postquam enim S. Matthæus scripsisset Evangelium, alii subsecuti sunt, SS. Marcus & Lucas; sed cùm scripsisset S. Joannes, nullus ampliùs illa attingere ausus fuit. Pari modo de Prophetia actum est, nullus enim post eum Propheta exstitit aut Prophetias ulteriùs scribere ausus fuit. Scripturæ quoque Sacræ finem imposuisse videtur, ipsius enim Propheticus liber ultimò omnium quasi sigillo sacram Scripturam claudit, & sicut de celeberrimo pictore Apelle refertur, neminem ejus picturas attingere ausum fuisse, sic de S. Joanne dicere possumus, neminem ipsius opera vel in minimo imitari aut explicare potuisse.

*Longè remota nobis præsentia exhibuit.* 10. De ipso verè affirmari potest, quod de tubo optico in Emblemate posito quidam exposuit, *remotissima propè.* Res enim in fine mundi eventuras Antichristi adventum, persecutionem fidelium, mortuorum resurrectionem, judiciumque finale ita nobis exhibuit, ac si præsentia essent. In principio quoque operis sui, dicit se scripturum brevi futura, *quæ oportet fieri citò*, *Apoc. 1. 1.* licet multa istorum post annorum millia eventura erant; sed hic Prophetarum mos est, qui de rebus futuris, ut de præsentibus loquuntur; uti medicus infirmum visitans incurabilem, de illo dicit, jam mortuus est, brevì videlicet eum mori necesse est. Quod S. Augustinus affirmat: *Ea quæ ventura prophetantur, secundùm tempus futura sunt, secundùm verò scientiam prophetantium jam pro factis habenda.* *S. August. sup. Psal. 3. in illa verba ego dormivi &c* Apud Deum quoque futura sunt præsentia. *Prophetæ futura ut præsentia annuntiant.* Cùm Prophetæ ergò divino lumine illustrati loquantur, quid mirum si de futuris, ut de præsentibus agant? Respectu æternitatis, quodlibet longissimum tempus, brevissimum videtur momentum, finiti enim ad infinitum, nulla est proportio, idcircò licet multi debeant anni elabi, antequam prædicta verificentur, Prophetis tamen æternitatem respicientibus præsentia videntur. Id non ignorabat Psalmista, dum diceret:

Psal. 89. 4. diceret: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.* Nostræ denique voluntatis beneficio hæc fieri possunt, ut dum nobis viciniora putamus, faciliùs ea apprehendentes majorem vim habeant voluntatem monendi: nam dum longissimè abesse cogitamus faciliùs negligimus, nec umquam fore præsentia suspicamur.

*Apocalypsis S. Ioannis mysteriis plena.*

11. Si quis in particulari mysteria à S. Ioanne revelata desiderat cognoscere, Apocalypsim ejus pervolvat, altissimis mysteriis plenam. Reperiet illic ad modum septem planetarum, septem Episcopos per septem stellas figuratos, quorum aliqui communi hominum opinione sanctissimi, & perfectè Sphærici, à S. Joanne reperti vallibus, & montibus pleni, plurimis videlicet imperfectionibus referti: aliis novæ additæ stellæ antea incognitæ, virtutes nempe à nemine consideratæ. Videbit maculas in sole, quia Christus apparuit indutus veste tinctâ sanguine, & stellas non lucentes, variosque motus, & descensus habentes. Ibi denique considerabit numerum stellarum, electorum videlicet ad æternam gloriam, non tam esse exiguum ut plurimi arbitrantur, sed infinitum, de quibus dicit: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Nec oculus solùm intellectualis S. Ioannis beatus fuit, & privilegiô donatus, sed omnes animæ ipsius potentiæ cælesti sunt ditatæ favore, juxtaque altissimam divinarum contemplationem, ferventissimus pariter fuit amor, fortissima constantia, & sagacissima prudentia. Quòd autem non solus fuerit beatus oculus, ipsemet testatur dicens: *Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audivimus & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.*

Apoc. 7. 9.

*Omnes sensus S. Ioannis beati fuerunt.*

1. Epist. Joann. 1.

*Christus ei omnia revelabat.*

12. Tanto quoque eum Christus amplectebatur amore, ut nihil umquam ipsi denegare potuerit. Aliis discipulis noluit revelare quis eum traditurus esset, tum quia Iudam confundere noluit, ut ipsi fortè pœnitentiæ tribueret spatium; tum etiam quia alterius noluit revelare peccata; rogatus tamen à S. Ioanne celare non potuit, sed pane quem Iudæ porrexit ipsi aperuit. In Apocalypsi quoque desiderans Ioannes ut liber ille signatus aperiretur, ideoque amarè fleret quia nemo dignus ad hoc reperiebatur; non potuit ulteriùs divinus sustinere amor mœrorem dilecti discipuli, sed statim illi transmisit Angelum qui diceret: *Ne fleveris vicit Leo de tribu Iuda, Radix David aperire librum, & solvere signacula ejus.* Apoc. 5. 5. Solummodo videtur passus repulsam, dum sedem à dextris vel sinistris in Regno Christi peteret: sed ita non accidit, nam plus tunc accepit quàm umquam petierat. Volebat ad dextram vel sinistram sedere, & Christus eum suprà pectus

*S. Ioannes in petitione numquam passus repulsam.*

ctus suum recumbere concessit; voluit à latere sedere Christi regnantis, & eum in sinu admisit convivantis, quantum hoc fuerit privilegium optimè intellexit sponsa illa cælestis, quæ dilectum non in throno videre cupiebat Regali, sed recumbentem in convivio; *Indica mihi* (dicebat illa) *quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*: quia (inquit S. Bernardus) *parum videtur sponsa videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari.*

Cant. 1.6.

S. Bernar. serm. 5. de verb. Isaiæ.

*Magnum privilegium, recumbere in sinu Christi.*

13. Summum reputabat Moyses favorem, se multas post preces posteriora Dei videre potuisse; quantò magis Joannes se felicem reputare poterat? Vidit Moyses à longè, Joannes propè tetigit, vidit Moyses posteriora transeuntis, Joannes vidit & tenuit sinum recumbentis. Quis umquam enarrare poterit, quãtas gratias, quanta beneficia, quanta privilegia inde hauserit S. Joannes? Rarum liberalitatis Crœsi exemplum refert Herodotus, quod amico cuidam Alcmeon nomine, thesauros aperire jussit, & pro una vice concesserit, ut inde tantum acciperet auri, quantum efferre poterat; ipse autem amplum sibi fieri curans tunicam, & ocreas satis largas, in Regios ingressus thesauros sinũ, manicas, ocreas, os quoque tanto replevit auro, ut vix pro eodem cognosci poterat; quem Rex ita onustum videns, gaudio, risuque repletus est. Majorem tamen Christus S. Joanni liberalitatem ostendit, ad secretum namque Salvatoris admissus pectus, celestes illi aperuit thesauros, & ut se omnibus repleret gratiis concessit; nec unicâ solùm vice, sed quoties volebat, gratias inde referret. Quæ divitiæ non aggravabant sicut Crœsi, sed magis exonerabant, & ad alias recipiendas capacem reddebant. Ipsúmne se his implevisse dubitas? Quin imò in tantum accepit, ut non vestimenta solùm, sed manus, aures, & os impleverit, unde dicebat: *Quod vidimus, quod audivimus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostra contractaverunt de verbo vitæ.* Plures ergò cælestes habuit divitias quàm imaginari possimus?

Herod. lib. 6. cap. 9.

*Liberalitas Crœsi.*

*Major liberalitas Christi.*

1. Joan. 1.

14. Nec solùm hæc fuit gratia S. Joanni concessa, dum Salvator hîc in terris degebat, verùm etiam post ipsius in cælum ascensum: ipsi enim cælum apertum monstratum est, & dictum ut illuc intraret: *Ecce ostium apertum in cælo, & vox prima quam audivi dicens, ascende huc.* Patriarchis & Prophetis cælum aliquando legimus apertum; sic Jacob in visione dicebat: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*: Ezechiel quoque ait: *Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei*, sed nullum eò intrasse legimus nisi S. Joannem; ita ut alii veluti peregrini habiti fuerint, Joannes verò ut amicus charissimus. Si mendicus quispiam nostras pulsat fores ipsi porta vel fenestra aperitur;

*Cælum ipsi apertum ut intraret.*

Apoc. 4.1.

Gen. 28.17.

Ezech. 1.1.

*Aliis prophetis non ita.*

peritur; sed datâ eleëmosynâ statim dimittitur; si autem amicus pulset charissimus, non solùm aperitur porta, verùm in optimum introducitur cubiculum. Sic Patriarchis accidit, & Prophetis, qui divino illustrati lumine, portas cælorum pulsabant, quæ ipsis sæpè aperiebantur, & aliquâ revelatione concesâ iterum dimittebantur; sed S. Joannes ut Regis amicus aliter excipitur, cùm ei non solùm porta aperiatur cælestis, sed etiam introducatur, nec ullum ipsi secretum abscondatur.

*Sine adjutorio cælum conscendere dignus fuit.*

15. Ampliùs quoque ipsi quàm Patriarchæ Jacob tribuitur, hic enim scalam ad cælos videbat pertingentem, & Angelos Dei ascendentes & descendentes: sed S. Joannes adjutorio aut scalis non indiget, sed nullâ interpositâ morâ cælos ingreditur. Quomodò autem sine scalis ascendere potuit? Fortè quia Aquila erat volare poterat? Vel scalæ ipsi erant brachia & pectus dilecti sui magistri, ut sponsa refertur ascendisse: *Innixa super dilectum suum?* Vel nulla fit scalarum mentio, ut sciamus S. Joannem ducere vitam adeò cælestem ut uno solo indigeret passu, quô cælum intrare posset; nam sic immediatè per Deum ascendebat, ut nullo creato indigeret adjutorio.

Cant. 8. 5.

*Qualiter tubo optico uti possumus ad secreta cælestia.*

16. Sed numquid uti poterimus tubo aliquo optico, quô cælestia perlustrare poterimus? Certissimè ita: accipiamus primò fidei perspicilia, de quibus ait Apostolus: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*; cui duo adjungamus vitra unum contemptus terrenorum, alterum contemplationis cælestium: hæc duo vitra in uno ponentur tubo fidei, ut visus circa alia non divagetur objecta, dum enim terrenis relictis negotiis, soli Deo vacabimus, facilè mysticum efficiemus tubum, per quem secreta cælestia, & alta divinitatis mysteria cognoscere poterimus. In his S. Evangelista Joannes adjuvare nos poterit, ex cujus scriptis, & ea quæ credere, & ea quæ contemplari circa cælestia debemus, haurire poterimus. Ex Evangelio intellectus fide divinâ illustrabitur, ex Apocalypsi ad contemplationem elevabitur cælestium. Alii quidem Evangelistæ mysteria tractant fidei nostræ, sed in terra cum Christo incarnato hærere videntur. Sanctus verò Joannes Aquilæ similis, ad contemplationé evolat divinitatis, ita ut de ipso verificari possit, quod Ezechiel Propheta se vidisse testatur, Aquilam nimirum magnarum alarum, montem ascendisse Libani, & inde medullam accepisse Cedri; S Joannes quippè Aquilæ comparatus, ad cælestia mente conscendit, & inde nobis æterni verbi cognitionem quod instar medullæ in sinu erat Patris, suis protulit scriptis.

1. Corint. 13. 12.

*S Ioannes ut Aquila ad divinitatem Christi evolavit.*

17. Alii Evangelistæ extrinseca Salvatoris dividebant vestimenta,

menta, actiones nimirum descri-bebant æternas, miracula, & ope-ra coram populo patrata; sed san-ctus Evangelista Joannes intrin-seca Christi vestimenta, & tuni-cam describebat inconsutilem, divinitatem videlicet ejus, & ope-ra coram Patre cælesti patrata, mortalibus ignota. Famosæ illi mulieri (de qua in Apocalysi fit mentio) duæ fuerunt datæ alæ A-quilæ, ut se ab infernali liberaret dracone, quibus elata in desertum evolavit, ibique à venenosis ejus dentibus libera mansit. Cur po-tiùs Aquilæ fuerunt datæ alæ, quàm columbæ, quales David re-quirebat, cùm fugæ mentio fiat, quæ generositati Aquilæ inconve-niens videtur? Fortè quia in spi-rituali bello quale hoc erat, gene-rosius, & pro obtinenda victoria, securiùs est fugere, quàm prælia-ri? Benè quidem, sed proposito nostro magis inservit quòd illi fuerunt datæ alæ doctrinæ, & contemplationis, his enim se con-tra omnes hæreticorum insidias & infidelitatis errores, optimè de-fendere potest. Unam ex his alis Evangelium ipsius dicere possu-mus, alteram Apocalypsim, in illa demonstrando quæ credere, & in hac quid sperare, & amare debea-mus; vel per unam repræsentari cognitionem, per alteram amo-rem.

Apocal. 12. 14.

*Cur mulieri in Apocalypsi alæ datæ Aquilæ?*

18. Juxta nostri denique Em-blematis dictum, necesse est ut unum tantùm admoveamus ocu-lum. Hoc autem dictum (*oculorum uno*) ex sacris accepimus Canticis, ubi Sponsus dilectæ ait Sponsæ: *Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa in uno oculorum.* Supra quem locum multas adducunt expositores con-siderationes, & diversimodè hanc oculi unitatem intelligunt, quo-modò cor Dei vulnerari possit, de quo particulariter agunt Michaël Gislerius, & Ludovicus de Ponte. Sed proposito nostro (ut mihi vi-detur) inservire magis potest, ut claudamus curiositatis oculum, & aperiamus oculum rectæ intentio-nis, quod etiam (ni fallor) Sapiens edocere videtur dum dicit: *In sim-plicitate cordis quærite illum:* sicut e-nim Deus cor amat simplex, nullâ astutiâ, aut duplicitate affectum; ita oculo simplici Deus, non du-plici aspici vult. Hic autem est o-culus simplex, qui solum Deum aspiciens in ipso non curiosè per-scrutatur secreta, sed credit sim-pliciter ea, quæ à majestate divi-na credenda proponuntur. Ideò ajebat Salvator, secreta cælestia sapientibus abscondita, sed reve-lata simplicibus; alibi quoque tan-ti simplicem oculum facit, ut di-cat; *Si oculus tuus fuerit simplex, to-tum corpus tuum lucidum erit.*

*Uno oculo cælestia intuenda.*

Cant. 4. 9.

Gislerius lib. 7. in Cantica.

Sapient. 1. 1.

Mat. 11. 25.

Lucæ 11. 34.

19. Pulcherrima fuit sigilli in-ventio, cujus beneficio insignita epistola per multorum transit in-cognita manus, & ad illum per-venit integra, ad quem à Domi-no destinatur. Sicut enim olim virginibus cingulum virginitatis erat,

*Optima sigillorum inventio.*

erat, quod primâ nuptiarum nocte à sponso solvebatur; sic epistolæ sigillum, virginitatis ejus symbolum est, eo enim rupto aut violato, apertam fuisse epistolam indicat. Nec hominibus solum sigillum usui venit, verùm etiam Deo uti placuit; in Apocalypsi siquidem legimus; fuisse à S. Joanne librum conspectum septem sigillis clausum, & signatum. Inter divina autem & humana sigilla, pulcherrima hîc denotanda differentia; humana ita stringere sigillata, ut iis integris signatum aperiri non possit: è contrà divina sigilla solvi non possunt nisi primum legatur & aperiatur epistola. Hoc idem attestatur Evangelista in Apocalypsi dum in dextra Dei librum vidit, septem clausum sigillis, & Angelum clamantem; *Quis est dignus aperire librum & solvere signacula ejus?* Primò, inquit, aperire, & postea solvere sigilla. Ut autem non putemus hoc casu factum, unus ex senioribus idem dixit eodem ordine: *Vicit Leo de tribu Iuda aperire librũ & solvere septẽ signacula ejus?* Ita ut clarè appareat hoc ordine factum fuisse: ac paulò pòst enarrare incipit, quomodo sigilla aperta sunt: *Et vidi* (inquit) *quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis.*

*Differentia inter humana & divina sigilla.*

Apoc. 5. 2.

Ibid. 5.

Apocal. 6. 1.

20. Quomodo poterat aperiri liber manentibus sigillis clausis? Si aperiri poterat sine sigillis, ad quid sigilla? Sic in rebus fidei procedendum est, sigilla sunt fidei nostræ difficultates, & mysteriorum secreta, ut S. Bernardus notat: sigillum est mors Salvatoris, quæ ad credendum est difficilis; sigillum sepultura; sigillum panis & vini species quæ præsentiam corporis & sanguinis abscondunt; sigillum omnia fidei nostræ mysteria, ad credendum difficilia. Si aliquis hæc solvere vellet sigilla, antequam crederet mysteria, in vanum laboraret, & deciperetur. Si primò vellet solvere hunc librum, & posteà legere, nam legendo sigillum solvet. In mundo primò librum aperire debemus & posteà legere, non enim Philosopho cuiquam credam, nisi suas adducat rationes, & solvat contrarias; sed in rebus divinis contrarium accidit, primò quidem credere oportet, posteà difficultatem solvere. Quod sine metaphora à Propheta Isaia dicitur (juxta septuaginta duorum interpretationem) *Si non credideritis non intelligetis:* & S. Paulus hoc ipsum docebat: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat ut sit sapiens:* quasi diceret, si quis credat se perspicacem habere visum, oculos claudat ut benè videat. Ut rectè accidit iis qui per tubum opticum intuentur, primò enim unum oculum claudere debent, antequam aliò res longè dissitas intueri possint.

*Sigilla sunt fidei mysteria.*

S. Bernard. 1. de pasch. & serm. 14. ex parvis.

*Primò ea credenda quàm solvenda.*

Isaiæ 7. 9.

1. Corint. 3. 18.

21. Optimè ergò nostro congruit proposito dictum illud sponsi in Canticis: *Vulnerasti cor meum in uno*

*Dictum emblematis rectè proposito congruit.*

Cant. 4. 9.

*uno oculorum tuorũ*, nec minus illud sequens: *In uno crine colli tui*. Sicut enim oculus fidei est symbolum, sic crinis contemplationis est indicium; in crinibus nempe cogitationes figurari non est insolitum. Pulchrè quoque dicit, hunc crinem in collo esse, non in capite; collum quippè est symbolum gustus; unde dictum fuit; *Guttur illius suavißimum*: contemplatio quoque non tam ad cognitionem, quàm ad gustum divinitatis, ordinata est. Unde Propheta Regius populum invitabat dicens: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus*: S. quoque Bernardus Monacho cuidam ostendebat quomodo legere deberet: *Si ad legendum accedas non tam quæras scientiam, quàm saporem, quia in ipsa lectione poteris contemplari, & orare*. Fides ergò nos cognoscere docet quid sit Deus, contemplatio qualis sit; fides unitatem explicat essentiæ, trinitatem personarum, infinitatem perfectionum & immensitatem ipsius: contemplatio autem suavitatem amoris, dulcedinem societatis, amabilitatem præsentiæ, cordis nobilitatem, & vultus pulchritudinem indicat. Ab illa introducta est anima in occultos divinitatis thesauros, ubi admiratione plena, cum Psalmista inquit, *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*: ab hac verò in cellaria Regis inducitur, ubi divino ebria amore, cum sponsa cælesti dicit: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*.

Cant. 5.16. Psal. 33. 9. S. Bernard. in speculo Monach. *Fides docet quid sit Deus, contemplatio qualis sit*. Psal. 50. 8. Cant. 2. 4.

22. Hæ duæ cognitionis species, assimulari videntur duabus petitionibus, quas de Christo in Evangelio factas lego; una est dum civitatem intraret Ierosolymitanam, ubi populus clamare incipiebat, *quis est hic?* Altera, dum qui simul in navi cum Salvatore erant, maxima exortâ tempestate, ac subitò sedatâ clamabant; *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Si ergò quæras *quis est hic*? Fides te docebit; si *qualis est hic*: contemplatio hoc indicabit. fides substantiam demonstrat, contemplatio dulcedinem, & saporem ostendit. Sed huic interrogationi responsio data est à populo dicente: *Hic est Iesus &c.* pari modo dum quis fidei nostræ vult intelligere mysteria, inveniet qui illa edoceat; sed interrogationi, *qualis est hic?* nõ datur responsio, quia hoc non docetur in scholis, sed in oratione; non auditu percipitur, ut fides, sed gustu; cui necesse est, ut cibus adsit, nec sufficit ab alio dentibus masticari ideò perspicilia contemplationis, adinstar secundi vitri sunt in tubo optico, supponunt quippe primum fidei vitrum; si enim sine illa quis hac in re proficere vellet, se deceptum reperiret; & maximo errandi se exponeret periculo. Oculus quoque tubo illo subtili uti debet, solitariâ nempe vitâ, & sensuũ mortificatione; unde nec S. Joanni quidem fuerunt

*Fides substantiam, contemplatio qualitatem indicat*. Mat. 21.11. Mat. 8. 27. Mat. 21.11. Mat. 8.27. *Contemplatio supponit fidem & solitudinem*.

runt fidei revelata mysteria, in civitate commoranti, sed in solitaria insula Pathmos degenti. Qui enim divinis vult frui consolationibus, ut se à mundo separet necesse est, & desertum intret spirituale, ubi solummodo cum divina agat majestate, & cogitet se unum habere oculum, ut Deum videat, & unum crinem per quem omnes suas cogitationes ad solius Dei contemplationem reducat.

*Cur vulnerationem cordis fidei potiùs, quàm amori tribuamus?*

23. Dicet fortè quispiam, quomodo cordis divini vulnerationem, fidei potiùs quàm amori tribuimus? An sola fides pulchram reddere potest animam, ita ut supremus Monarcha illam intimo diligat amore? Facilis ad hæc est responsio, cùm dicimus fidei oculum vulnerare cor Dei, de fide intelligimus vivâ, quæ charitati unita est; vel etiam hæc prærogativa fidei attribuitur, quia nostræ principium justificationis est, ut cum S. Augustino docet Concilium Tridentinum. Dicamus quoque omnes concurrere virtutes ad divini cordis vulnerationem, hæc autem victoria fidei potiùs tribuitur, quia sic divinæ placuit majestati. Pulcherrimus est modus quo Reges, aut Principes in aliquo conflictu se solos reperientes, à militibus undique cinctos, & à suis derelictos, dedere se cogitant; sed infimæ sortis respuentes militem, honoratiorem eligunt, cui se tradant. Hoc egit Perseus Macedoniæ Rex, qui à Romano devictus exercitu alteri se dedere noluit, quàm Scipioni Nasicæ, (Plutarcho referente) quod fieri solet, non quia ille solus meretur victoriam, sed quia persona est excellentior, cui se inimicus committere desiderat.

S. August. de prędest. sanctor.

Plutarch. in vita Pauli Æmilii.

*Christus in passione spiritum patri reddere voluit.*

24. Hunc modum cæli Rex in sua observasse passione videtur. Cùm enim morti vicinus se armatis cinctum videret militibus, & undique repletum doloribus; nulli tamen suum reddere volebat spiritum, nisi æterno patri dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Quod in inimicorum contingere dicimus conflictu, in amantiũ quoq; concertatione locũ habere videtur: licet enim fervens amans omnes consideret suæ dilectæ pulchritudines, quæ instar exercitus ipsum stringunt, & concutiunt; fateri tamen solet se à speciali victum pulchritudine, ut ab oculis, à crinibus, aut gratiâ singulari. Hunc modum tenuisse videtur Rex cælorum, licet enim omnes dilectæ suæ laudasset excellentias, & dixisset: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te;* illamque exercitui comparasset armato; *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Voluit tamen uni oculo, & uni crini victoriam tribuere; *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.* Per oculum autem benè intelligi fidem colligere possumus ex eo, quòd Salvator noster omnes gratias ab ipso precibus impetratas

Lucæ 23. 46.

Cant. 4. 7.

Cant. 6. 3.

Cant. 4. 9.

*Fide omnia à Deo impetramus.*

tratas

tratas fidei tribuebat. Sic Chananeę mulieri dicebat: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*: & Magdalenæ; *Fides tua te salvam fecit*: Centurioni quoque, *Non inveni tantam fidem in Israël.* Non quia in his aliæ non resplendebant virtutes, humilitas, charitas, spes, prudentia, quibus Salvator plurimùm delectabatur; sed cùm alicui istorum cedere deberet, fidem potiùs elegit, utpotè quæ aliarum virtutum princeps est & fundamentum.

Mat. 15. 28.

Mat. 8. 10.

*Vera fides aliis virtutibus unita.*

25. Nil ergò mirum si veram habens fidem, cæteras quoque possideat virtutes: sed mirandum summoperè est, fidem habentem veram, sine operibus bonis, & virtutibus esse. Non enim admirabatur Christus virtutes Centurionis, sed solam ipsius fidem; positâ quippè illâ, alias quoque sequi virtutes necesse est. Qui fertilem, ac fructiferum possidet agrum, quid mirum si fructibus abundet? Fides optimus est ager, qui si à nobis benè colatur, abundantissimos producet fructus. Idcircò ab Apostolo dictum fuit: *Iustus autem ex fide vivit*: non quia sola sufficit fides; sed quia ex fructibus vivit fidei. Quid ergò mirum habentem veram fidem, operibus quoque bonis abundare? Admirabile certè foret, si virtutibus esset spoliatus: sicut, teste S. Augustino: *Difficile est ut malè vivat, qui benè credit*: sic firmiter credere cælum esse benè viventibus promissum, infernum autem maleficis, & velle nihilominùs malè agere, valdè difficile est: credere Deum intueri cuncta, atque omnia rigorosè judicare, plurima tamen accumulare scelera difficile est.

Rom. 1. 18.

S. August. serm. 237. de tempore c.

*Qui firmiter credit non potest malè vivere.*

26. Non consideratis quantæ sit difficultatis, aliquem coërcere in carcere? Sæpissimè nec custodiæ, nec compedes ferrei, nec vincula manuum, nec muri fortissimi nec portę ferreæ sufficiunt, ut captivus teneatur ne effugiat. Sed quid prodest bonam habere fidem si opera desint? Hoc est incarceratam tenere fidem, ut Apostolus ait: *Veritatem Dei in injustitia detinent*, qui fidem quam acceperunt operibus manifestare verentur, illamque ita in intellectu concludunt, ut nullo modo ad voluntatem transire permittant, ne ad bona opera exequẽda progrediatur. Diabolus omnibus utitur modis, ut illam coërceat: custodiam iniquorum adhibet, vinculis indomitarum stringit passionum, compedibus vincit depravatæ consuetudinis, muris malorum cingit exemplorum, & ferreâ obstinationis concludit portâ. Non sic operatus est S. Evangelista Joannes; sed fidem bonis sociando operibus, non illam intellectu conclusit, sed omni libertate, & Dominio ditavit, & voluntatem suam illam in omnibus exequi permisit. Cùm ergò in Dei cognitione omnes præcelleret, in cæteris pariter virtutibus præ omnibus

Ad Rom. 1. 18.

*S. Ioannes fidem & opera habuit.*

nibus enituit, & dignus fuit, qui dilectus vocaretur discipulus, & filius adoptivus Reginæ Angelorum, præ cæterisque Apostolis majori est affectus privilegio. Aquila quoque erat, non modò fixis contemplationis oculis æternum intuens Solem, verùm etiam ferventibus operationis alis supra cælos seipsum efferens; novi Testamenti unicus Propheta; naturæ divinæ præco celeberrimus, & Evangelista; Orientalis Regionis Apostolus; ad pedes Crucis Christi martyr affectuosissimus; Virgo ad Matris virginum electus custodiam, plenus denique gratiâ ut nomen ejus indicat.

*Omnibus virtutibus repletus fuit.*

27. Quomodo plenus esse non debebat gratiâ, qui in omnis gratiæ fonte se plenè immerserat, dum supra Salvatoris sui pectus in cæna recubuit? Verum quidem est, ut quis bonitatis alicujus fontis particeps fiat, non sufficere ut sese in eum immergat, sed dispositiones requirit necessarias, ut aqua vim suam in eo exercere possit, si enim in aquam aliquem dimittas lapidem, vel ceream candelam, illam extrahes sicut dimisisti, cùm aqua solùm exteriùs illam attigerit: si verò spongiam immittas, ab omni parte aquis repletam extrahes. Eodem modo iis qui Salvatori nostro appropinquant, accidit: aliqui sunt instar lapidis aut candelæ, divinæ nempe incapaces gratiæ, quibus nihil proficit si propè vel longè à Domino distent; tales erant turbæ quæ Salvatorem in via comitabantur, & tangebant, de quibus dicebant Apostoli: *Vides turbam comprimentem te & dicis quis me tetigit?* Quia Apostoli non intelligebant licet turbæ Christum comprimerent corporaliter, spiritualiter illum non attingere, sicque absque participatione gratiæ ipsius recedere. Una tamen mulier fidei agitata affectu, dicebat intra se: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus salva ero:* quô actu sanitatem consecuta est.

*Diversimodè Christo appropinquamus.*

*Marci 5. 31.*

*Mat. 9. 21.*

28. Sanctus Joannes quomodo Salvatori unitus fuit? Ut spongia aquis plena, undique aperto ore aquam recipiens, ut notat S. Gregorius Nyssenus: *Verbi amavit ubera, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, & veluti quandam spongiam, cor suum apposuit fonti.* Imperator Vespasianus ministros aliquos spongias vocabat, quia illis ad fugendum inopum sanguinem libenter utebatur. Rex verò cælorum liberalissimus, similem adinvenit modum, non ut aliis suum auferat, sed ut proprium largiatur: spongiam voluit S. Joannem esse; non ut subditorum exhauriret sanguinem, indeque ditesceret, Sed ut inebriatus pretiosissimo sanguine, nobis miseris illum effunderet. Hoc pulcherrimè demonstrat S. Gregorius Nyssenus, dicens: *Ex ineffabili quadam traditione repletus Christi mysteriis, nobis quoque exhibet mammillam à verbo impletam,*

*S. Joannes instar spongia gratiam hausit.*

S. Gregor. Nyss. in c. 1. Cantic.

S. Gregor. Nyssenus ubi suprà.

*tam, nosq; implet bonis quæ ei à fonte sunt indita*: ita ut primorum (ut ita dicam) Christianorum nutricius, & quasi mediator inter Deum, & hominem vocari possit.

*Magnum S. Ioannis privilegium.*

29. Nec prætereundum videtur, quòd sicut summum reputatur S. Joannis privilegium, ipsum in sinu requievisse Salvatoris; sic etiam magnifieri debet, Christum in ipsius sinu requievisse, sic inter alios affirmat S. Ambrosius: *Ioannis Evangelistæ sinum ut in eo accumberet libenter elegit; nam Christi sinus erat in Ioanne Evangelista fides, in Deo Patre divinitas, in Maria Virgine virginitas.* Videte qualibus associatur comitibus S. Joannes hoc cælesti favore: Patri nempè & Matri ipsius Salvatoris; Patri, qui inter Sanctissimæ Trinitatis personas primum obtinet locum; Matri, quæ inter omnes creaturas est dignissima; conveniens ergò erat, ut inter omnes discipulos fuisset dilectissimus. Solent hujus mundi Principes multa habere palatia, unum in civitate præcipua, aliud in villis, & locis amœnis, ubi æstivos fugiendo calores, umbrosis in sylvis delectari solent; aliud ad hiemales declinandas tempestates; in hoc, tempore pacis quiescunt; in illo, bellorum tempore sese abscondere possunt. Licet quoque omnia magnificentiâ non sint æqualia, nullum tamen est, quod non eorum excellentiâ dignum sit. Pari modo cælorum Rex multas habet mansiones, dignissima tamen, sinus est æterni Patris, ubi plus quàm alibi se gloriosum demonstrat; alia deliciarum loca sunt, ut sinus maternus. Nec sinum dedignatur S. Evangelistæ Joannis, qui licet aliis non possit adæquari, ibi tamen suas invenit oblectationes, ita ut verè dici possit cælestis paradisi Monarchæ vera requies, indeque summa ejus nobilitas colligi potest: nam in sinu magistri sui requiescens, omnes inde prærogativas & gratias abundè recepit, ita ut omnes sibi æquales hoc privilegio longè superet, nec cum eo de primatu contendere possint. Ipsum ergò diligamus & honoremus cum cælesti Sponsa, dicentes: *Exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum*; amorum videlicet & gratiarum, quæ nobis ab uberibus Salvatoris hausisti.

*S.Ambros. serm. 17. in octav. Epiphaniæ.*

*Principes mundi diversa habent palatia.*

*Christus similiter multas habet mansiones.*

*S. Ioannes gratiâ abundavit?*

Cant. 1. 3.

30. Si tamen uberibus istis frui velimus, inquit S. Gregorius Nyssenus: debemus esse de numero animarum istarum, de quibus paulò antè dictum est: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis,* non infantes aut vetulæ; *Quia amor nō attingit eos qui sunt adhuc infantes, sed nec eos qui extremâ confecti sunt senectute; idcircò neque mente simus infantes, ob vanitati conjunctam juventutem, neque corrugamur propter peccatum, quod in vetustate desinit in interitum.* Si ergò animæ nostræ sint adolescentulæ propter puritatem, & ferventem amorem; dignæ erunt, quæ fruantur uberibus Sancti Joannis, cælestis

*Quomodo gratiâ illâ utendum.*

Cant. 1. 2.

S. Gregor. Nyss. homilia in Cant.

*Qua anima gratiâ S. Ioannis dignat*

lestis doctrinæ lacte, & divino amore plenis; idcircò in sacris Epithalamiis sequitur: *Recti diligũt te*, vel prout legit S. Gregorius: *Quia te dilexit rectitudo: hic est discipulus quem diligebat Iesus, Iesus autẽ est rectitudo*: diligendo ergò S. Joannem, Christum quoque diligemus, cui per amorem S. Joannes copulatus est.

Cant. 1. 3.

*S. Ioannes plus quam homo.*

31. Sanctum autem Ioannem plus esse quàm hominem egregiè probat Origenes: Cùm enim S. Paulus in paradisum raptus esset, dicit se audivisse multa quæ non licet homini loqui, sed eccè Ioannes noster in cælum quoque raptus fuit, & eadem audivit mysteria; quod enim magis absconditum, quàm sanctissimæ Trinitatis mysterium? Illud tamen manifestare ausus fuit, indeque maximum auditum est tonitru: *In principio erat verbum.* Quomodo ergò illud verificatur Apostoli, de rebus cælestibus non licere homini loqui? Respondet Origenes, Ioannem plus esse quàm hominem, quin imò certo loquendi modo poterat dici Deus, idcircò non ipsi prohibitum est talia eloqui. *Quomodo ergò* (inquit ille) *illud Pauli, audivi arcana verba quæ non licet homini loqui? Non ergò Ioannes erat homo, sed plus quàm homo, quando & seipsum, & omnia quæ sunt superavit; non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi sicut Deus*: Quid amplius dici potest? Abstineat ergò calamus, sileat quoque lingua, ad tantas laudes S. Ioannis Evangelistæ enarrandas insufficiens.

*De rebus cælestibus ei dicere licuit.*

Origenes in Joann.

IN FESTO

# IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

## DISCVRSVS TRIGESIMVS QVINTVS.

### *De Prærogativâ castitatis & martyrii eorumdem.*

### Pulegium.

### *In die frigoris.*

SVMMARIVM DISCVRSVS.

*Cur infantibus hoc emblema tribuimus, num.* 1. 2.

*Laus & prærogativa martirii, num.* 3. 4. 5.

*Quam coronam & honorem in cælis meruerint? num.* 6.

*Excellentia virginitatis. num.* 7. 8. 9.

*Tempus martirii describitur, num.* 10. 11. 12.

*Cur in Nativitate Christi luctus, num.* 13. 14. 15.

*Dolorem & merita matrum refert, num.* 16. 17.

1. Nahum 3. 13. *Quomodo hoc infantibus applicatum?*

PRopheta Nahum ruinam civitatis Ninive describẽs, inter alia ipsius mala, dixit: *Parvuli tui, quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris, Sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum, ubi fuerint.* Juxta litteram dicere volebat, communem plebem militum, quæ ad custodiam civitatis instar Locustarum in muris commorabatur, & excubabat: in adventu hostium, non restitisse, sed ad modum Locustarum aufugisse. Quæ verba infantibus ab Herode crudeliter occisis applicari commodè poterunt: *Parvuli tui,* eccè proprium eorum nomen, *quasi Locustæ Locustarum*, minores nempè Locustæ, qui sic nominantur, vel propter multitudinem illorum, vel quia instar Locustarum ubique persecutionem passi sunt. *Quare infantes sunt instar Locustarum?* Uti etiam per Prophetam Davidem de seipso Salvator loquitur: *Excussus sum sicut Locustæ.* Nascente Salvatore, *Sol ortus est, & avolaverunt* ex hoc mundo ad cælum; non dicuntur fugisse, sed volasse, quia mors illorum volatus fuit, & elevatio Psalm. 108, 23.

vatio ad æternam beatitudinem. Quod tamen proposito nostro magis inservit, est dictum illud, *In die frigoris*, quod de nullo die potiùs affirmari potest, quàm de brevissimo anni, & brumali die: qui naturaliter est frigidissimus, cùm Sol lõgissimè absit à nostro Zenit sive puncto nostri hemisphærii. In hoc die Pulegium floret. Pariter dici possunt hi infantes in frigidissimo mundi tẽpore fuisse nati, cùm tunc magis quàm umquam refrigescebat charitas, & maximè dominabatur iniquitas. De quibus rectè inquit S. Augustinus: *Iure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quædam persecutionis pruina decoxit.* Et rectè frigoris tempore, in media scilicet hyeme, ipsorum festivitas ab Ecclesia celebratur.

*Nahum 3. 17.*

*Cur hoc dictum Emblemati applicatum.*

*S. August. serm. 10. de Sanctis in append. 17.*

2. Dicet aliquis, quomodo Pulegio hi infantes assimulantur, quandoquidem Pulegium effloreat in die brumali, quando aridum, & quasi ad senectutem redactum est; hi autem infantes effloruerunt in ætate tenerrima? Respondeo, in omni ætate quâ homo moritur, aridus & senex dici potest juxta illud Prophetæ: *Fiant sicuti fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit*; priùs enim quàm quis moritur, exaruit, & senex vocari potest, quia ad ultimum ætatis suæ pervenit terminum. Sanctus Joannes in cælo neminem vidit juvenem, sed omnes senes. Quod sanè mirandum est, quia ipsemet Christus dixit, parvulorum esse Regnum cælorum; imò ipsos senes debere rejuvenescere, ut illud intrare possint. Quomodo ergò S. Ioannes nullos vidit juvenes, sed senes? Dicerem ego, quia non pervenitur ad cælum, nisi per mortem, ultima namque ætas coronatur; judicatur quippè homo in illo statu, in quo reperitur, & quia ultima hominis ætas est senectus, idcircò omnes in cælo quasi senes apparent. Possumus etiam dicere, quod in floribus Pulegii significantur infantes, & innocentes Martyres, in herba verò sicca repræsentetur synagoga, quæ jam ad ultimum redacta erat, & frigida devotione, ac arida virtutibus, insignes hos flores innocentes Martyres produxit.

*Cur Pullegio assimulati.*

*Psalm. 128. 6.*

*Quomodo S. Ioannes in cælo vidit senes, & nullos juvenes.*

3. Quomodocumque hoc sit, maxima horum Sanctorum laus est, vocari non solùm Martyres, verùm etiam Martyrum flores, ut illos Ecclesia nominat: *Salvete flores Martyrum.* Maxima profectò dignitas est, Martyrem esse, Sancti quippè in cælo coronam essentialem gloriæ habent, de qua dicitur: *Erit Dominus corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Sed ultra hanc tres aliæ coronæ dantur, una propriè est virginum, altera Doctorum; tertia Martyrum, & hæc secundùm opinionem Doctorum excellentior est omnibus, quia propter victoriam mortis

*Maxima dignitas horum Martyrum.*

*Isaiæ 28. 5.*

mortis donatur, quæ omnium terribilissima est, & clarissimum signum perfectæ charitatis, cùm *majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hinc est quòd sicut virginitas & prædicatio verbi Dei, possunt impediri aliquo peccato ne perfectè coronentur quia virgo superba aut inobediens, & impia excludetur ex Regno cælorum, & prædicator reprobus, aut vanè gloriosus perdet gloriam suam, licet totum mundum convertat: Martyrium tamen vinci non potest ullo peccato, quinimò omnia peccata perfectè remittit; nec solùm peccata, verùm etiam pœnas peccatis debitas. Virgines multæ reperiuntur in inferno, Doctores etiam ibi sunt, & prædicatores; sed nullus Martyrum reperiri potest. Idcircò in Canonizatione aliorum sanctorum multæ præmittuntur examinationes, plurimi processus, & investigationes de vita eorum, & miraculis; ut tamen Martyr aliquis honoretur pro sancto, sufficit probare ipsum pro fide Christi, & amore Dei mortem subiisse. Sicut etiam in baptismo omnia remittuntur peccata, & pœnæ ipsis debitæ, eodem modo in martyrio.

*Joan. 15. 13.*

*Martyrium omnia peccata remittit.*

*Cælum aperit.*

4. Duabus vicibus legimus apertum fuisse cælum, primò quando Christus baptizatus est, ut significaretur baptismum habere vim aperiendi cælũ, etiam maximo peccatori; secundò in glorioso martyrio S. Stephani ad demonstrandum martyrium eandem habere vim quàm baptismus, & martyres confidere posse, se rectè ad cælum volaturos. Hac tam laudabili, & gloriosâ coronâ, se decoratos vident innocentes martyres. Dicet aliquis, martyrium numquid actus virtutis est? Virtus numquid præsupponit voluntatem? Hi autem infantes cùm occisi fuerunt, quis nescit illos necdum habuisse liberum voluntatis usum? Ergò nullam habuerunt virtutem, nec consequenter martyrium. Adjungamus Deum potiùs acceptare bonam voluntatem sine opere, quàm opus sine voluntate, quia bono corde, & spiritu pascitur: sed sola voluntas non sufficit ad martyrium, alioquin omnes sancti essent martyres, ergò multò minùs opus sine voluntate. Propter has rationes, aliqui dixerunt innocentes non fuisse verè martyres, nec omnes salvos esse, sed tantum illos qui circumcisi erant, & de his celebrari festũ.

*Quomodo infantes possunt dici martyres?*

5. Hæc opinio non falsa solummodo, sed erronea est, contra sensum universalis Ecclesiæ, & sanctorum patrum, qui illos omnes tamquam martyres reverentur, & honorant. Nec rationes in contrarium alicujus sunt mométi. Quod enim dicebatur non habuisse actum voluntaris, refutari potest dicendo usum rationis miraculosè illis acceleratum fuisse, quod tamen sine fundamento diceretur,

*Falsa opinio infantes non fuisse martyres.*

*Ad martyrium non requiritur usus rationis.*

ideò concedimus eos non habuisse usum rationis, & tamen verè fuisse martyres; quia pro Christo verè occisi fuerunt; sicut enim ad baptismum aquæ recipiendum, non requiritur usus rationis, ita nec ad baptismum sanguinis, ut est martyrium. S. Bernardus insigniter hoc probat, dicens: *Herodes sine aliquo ipsorum merito illos occidit, & tu dubitabis, quòd sine aliquo merito Christus illos coronaverit? Magis dubitabis quòd crudelior Herodes fuerit Rex terræ, quàm Christus cælorum Rex misericors. Quod plus voluerit vitam ipsis auferre, quia cum Christo nati erant; quàm Christus illos voluerit ab æterna morte liberare quia pro ipso mortui erant?* Martyres ergò fuerunt hi nobilissimi infantes, imò præcipui martyrum. Quem enim militum à Rege plus honorari dicemus, illum qui in aliena patria pro Rege fortiter pugnat, vel qui Rege præsente, & in mortis periculo constituto ipsum sua morte defendit? Procul dubio secundus. Sic alii martyres fortiter quidem mortem pro Christi honore subierunt; sed innocentes propriam ipsius personam suo sanguine defenderunt.

S. Bernard. serm. de innocent.

*Veri martyres fuerunt.*

6. Romani antiqui diversas coronas generosis militibus distribuere solebant, Muralem, obsidionalem, navalem &c. Sed dignissima omnium fuit corona civica, quæ dabatur ob defensionem vitæ unius civis. Similiter omnibus martyribus in cælis sunt coronæ paratæ; sed civica videtur propriè convenire his martyribus, qui morte propriâ vitam Christi civis sui defenderunt. Nobiliori quoque coronâ digni sunt, quantò enim nobilior est persona regis, personâ civis, tantò nobilior corona esse debet istius, qui non solùm vitam civis communis, sed ipsius Regis salvavit. Adjungamus insuper, titulum illum quo innocentes occisi fuerunt, multò digniorem esse quàm aliorum martyrum, ipsi enim ut Christiani occisi sunt, & de hoc titulo summè gloriabantur, unde S. Petrus Apostolus fidelibus scribens, dixit: *Nemo vestrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut adulter, aut alienorum appetitor, si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Gloria vobis erit si non pro vitiis vestris, sed pro Christo patiamini. Quia S. Augustino teste; *Martyrem facit, non pœna, sed causa.* Si ergò honorificum est pati, ut Christianus, quid non erit, pati loco Christi, vel ut Christus? Nullus profectò dignior reperiri potest titulus, quinimò gentibus rectè tribui potest; Herodes quippè illos occidendo, putabat se Christum occidere, cumque in particulari quis illorum esset nesciret, omnes occidit; quia de omnibus sibi metuebat, ut de Christo. Meritò ergò vocati sunt flores martyrum, non solùm quia primi pro Christo mortem subierunt; verùm etiam quia maximo privile-

*Corona civica infantibus debetur.*

*Major gloria illis tribuenda.*

1. Petri 4. 15.

*Quia Christum morte sua liberarunt.*

*Digniores aliis martyribus.* privilegio decorati fuerunt. Aliis martyribus sanguis proprius pro ablutione inservit, de quibus refert S. Joannes; *Dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni*; quia ex sanguine Agni recipiunt virtutem; imò sanguis ipsorum dici potest sanguis Agni sicut enim caput vocat sanguinem suum illum, qui ex aliquo membro ipsius funditur, sicut martyrum sanguis (cùm sint omnes membra Christi, quorum ipse est caput) potest dici sanguis Agni, in quo se martyres lavabant, & mundabant. Innocentibus autem hic sanguis pro ablutione necessarius non erat, nisi fortè aliquibus pro macula originali; sed pro ornamento inserviebat.

Apocal. 7. 14.

*Flores martyrum & virginitatis fuerunt.* 7. Flores denique pulcherrimi fuerunt hi martyres, quia omnes fuêre virgines. Et meritò virginitas flos vocatur, nec scio utrum unico verbo majorem ipsi laudem attribuere possemus; quid enim inter creaturas irrationales, pulchrius, nobilius, aut ornatius flore reperiri potest? Non sunt in mundum introducti pro necessitate, ut fructus; sed ab amore, & gratiis pro hortorum ornamento & terræ pulchritudine allati. *Laus floris.* Flos, superbia est camporum, risus pratorum, delitiæ naturæ, divitiæ primi veris, terræ operimentum opere phrygio elaboratum, imago stellarum, oculi oblectatio, confortatio cordis, tabula quam cælestis pictor Penicillo suo pulcherrimè delineat, ornati scyphi roris cælestis, thesaurarii Apum, lætitia mundi, pulchritudo universi. Huic necesse est, ut cedat Salomon cum omni gloria sua; quia *nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuit sicut unum ex istis*, dixit increata sapientia; quis audebit se ipsis comparare? Est ergò sicut flos inter omnes virtutes, puritas virginalis; non ex naturæ necessitate introducta, quia à Deo non præcipitur, sed filia gratiæ, & cælestis amoris, ornamentum pretiosissimum naturæ humanæ, fimbria deaurata quâ Ecclesia Catholica mirabiliter ornatur, delitiæ Regis universi orbis, naturæ Angelicæ imago, fructus paradisi, gemma terram exornans & æqualem cælo reddens, spirituum beatorum lætitia, pompa Evangelicæ doctrinæ, gloria Christianismi, Monile omne pretium excedens, pulchritudo incomparabilis, thesaurus sine pondere, & mensura, omnes divitias, omnia Regna, cunctaque pretiosa superans, quia *omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, teste Sapiente. Constituas ab una parte omnes mundi thesauros, omnes Regum divitias, omnes Regnorum delitias; ab alia verò parte castitatem solam, quasi nihilum in conspectu ejus reputabuntur; *Continentis* quippè *animæ nulla est ponderatio*, ajebat ille qui Sapientiâ suâ omnia mundi negotia perlustraverat.

Mat. 6. 29.

*Nil pretiosius virginitate.*

Eccli. 26. 20.

8. Clariorem fortè probationem

*Probatur exemplo ex S. Scriptura.* nem desideras? Attende: præcepit Deus in veteri lege, quòd si mulier in captivitatem redacta & facta mancipium, suâ pulchritudine, & gratioso conversandi modo, cor Domini sui ad se convertisset, licere præmissâ aliquâ ceremoniâ, ipsam in sponsam accipere: sed tali conditione, ut si temporis successu amor ille in odium verteretur, (ut sæpiùs accidere solet) non permitteretur ipsam, ut servam tractare, aut vendere ut mancipium, sed si dare illi vellet libellum repudii (ut illo tempore moris erat) liberam & immunem dimittere deberet. Hoc tamen non adeò videtur mirandum, quàm ratio à sacro textu hujus rei assignata; quæ autem hæc ratio? Fortè quia rationi consonum non est, ut quæ ex vilitate servæ in dignitatem sponsæ est elevata & unum corpus cum sponso effecta, iterum venundetur ut mancipium; vel quia, quod semel donavit, recipere non potest, idcircò cùm illam reddiderit liberam, non potest denuò captivam efficere? Sic humana judicasset sapientia, sed Deus omninò contrarium judicavit; *Nec vendere poteris pecuniâ, nec opprimere per potentiam, quia humiliasti eam.* Non quia eam exaltasti, sed quia eam humiliasti: non quia eam tuis nuptiis honorasti, sed quia honorem ejus abstulisti; non quia illam fecisti divitem, aut exaltasti, ut Sponsa tua esset; sed quia illam afflixisti, & pretiosa ejus abstulisti. Quàm hoc admirabile! ergóne mulier ex serva Domina facta humiliatur? Ex mancipio Sponsa effecta despecta est? Ex vilissimis domus ministeriis ad supremam dignitatem evecta, dicetur afflicta, & contempta? Quin imò, inquit Deus, *Quia humiliasti eam*: quia abstulisti pretium castitatis, privasti eam flore virginitatis, qui compensari non potest maximo mundi pretio. Multò quippè dignior, multò nobilior, multò honoratior, est mulier serva, afflicta, despecta, sed virgo; quàm quævis Domina, vel Regina mundi hoc pulcherrimo virginitatis ornamento privata.

Deuteron. 21. 14.

Deuteron. 21. 14.

Ubi suprà.

*In cælis maximè honorata virginitas.*

9. Parum dixi, non solùm in hâc valle miseriæ, sed suprà in cælo empireo, in eminentissimo loco collocata, & admirata manet sanctissima virginitas. Quod non ego sed ille probet discipulus Christi, qui ratione virginitatis, præ omnibus dilectus fuit: raptus in Spiritu, & elevatus supra omnes cælos, vidit res omnem humanam fidem excedentes; inter alias autem refert, se vidisse Agnum suprà montem stantem, nobilissimo virginum comitatu associatum: *Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, hi sequuntur Agnum quocumque ierit, virgines enim sunt.* Hæc verba sancta Ecclesia cantat in laudem horum sanctissimorum Innocentium; quales prærogativæ, quales excellentiæ?

Apocal. 14. 1.

Quas

*Quomodo virgines supra montem visa?*

Quas si omnes enarrare vellem, tempus mihi potiùs quàm materia deficeret: solummodò unam præ omnibus explicare sufficiet. Consideremus has virgines suprà montem visas esse: in cælo ergò montes reperiuntur? Fortè minùs altum est cælum, & montibus elevari indiget? Quæ altitudo cælos superat? *Altitudinem cœli quis dimensus est?* inquit Sapiens; vel in pulcherrimo illo loco sunt terra, & lapides quibus montes componuntur? Numquid cælestis illa Jerusalem fabricata ex auro & lapidibus pretiosis, ut S. Joannes refert? Quomodo ergò montes apparent? Occurrit mihi, quod Josephus Antiochenus narrat, & approbatur à Diodoro Siculo, Nabuchodonosorem Babyloniæ Regem uxorem habuisse, filiam ex Regione Medorum ubi excelsi sunt montes & colles; ut illa ergò patriam suam ampliùs non desideraret, colles, & montes amœnissimos intra civitatem amplissimam extruxit, qui vocati sunt horti pensiles, videlicet in aëre suspensi. Quid aliud est virginitas quàm amœnissimus hortus, ad modum montis in aëre sublevatus? Hæc est habitatio virginum, hæc patria ipsorum propria; quid ergò mirum foret, si illarum sponsus, ut ipsis placeret, collocasset in cælo montes? Meliùs dicamus, vidisse S. Joannem montes in cælo, non quantum ad materiam, sed quantum ad formam, & altitudinem, licet enim cæli sint altissimi, altior, & magis elevatus est thronus virginum, ita ut illam proportionem quam habent montes respectu alterius terræ, in cælo habeat thronus virginitatis, respectu aliorum, & demissa videantur alia cæli loca, respectu altitudinis virginitatis. Hic ergò locus est sanctorum Innocentium; Inter hos flores, etiam ipsi suavissimum spirant odorem, in hoc amœnissimo horto odoratas explicant frondes, & cum beatissimis Spiritibus sequuntur Agnum sine macula.

Eccli. 1. 2.

*Vtrum in cælo sint montes?*

Josephus Antioch. lib. 1. contra Appion. Diodorus Siculus lib. 2.

*Thronus virginitatis ut mons elevatus.*

*Descriptio temporis.*

10. Quid de tempore quo hi flores primò erumpere & odorem spirare cœperunt referam? Mirabilis certè naturæ industria quæ in hoc mundi theatro oculis & intellectui rem adeò mirandam exposuit; tempus inquam, quô nihil mirabilius excogitari possit, quod eodem momento nascitur, fit præsens, moritur & disparet. Tempus adeò mirabile ut semper fugiat, & numquam discedat; omnia devoret, & ab omnibus devoretur; seipsum consumat, & iterum parturiat: partes habeat infinitas, sed numquam conjunctas: ex futuris tantùm, & præteritis componatur, & semper fit præsens: omnia ejus membra, aut mortua sint aut nondum nata, & semper vivat; filius sit cæli, sed regnet in terris; detegat omnia, & iterum cooperiat; senectute sit confectum, sed numquam emoriatur,

*Quàm illud admirabile?*

riatur; minimam habeat entitatem, & vires, nullus tamen ipsum retinere, aut propellere posſit: eodem ſemper incedat paſsu, modò tamen piger, & claudus, modò velociſsimus, & rapidiſsimus appareat: cognoſcatur ab omnibus, & nullus ejus naturam explicare poſsit. O admiranda, ô ſtupenda! Sed magis propoſito noſtro inſervit, quòd cùm in ſe nullius ſit valoris, & pretii, ab ipſo tamen æſtimatio plurimarum rerum dependet. Nullum habet valorem, quia cùm nihil ſit tam vile & abjectum, quin aliquem emptorem, aut venditorem habeat, ſolùm qui tempus vendit furatur, qui emit decipitur, qui cum tempore negotiatur uſurarius eſt, qui promittit eſt mendax, qui donat inſipiens, qui acceptat deridetur; quia tempus non eſt æſtimabile, nec vendibile, nec materia alicujus contractus eſſe poteſt. Quis tamen credet, illud eſſe unicum, quod dat, & aufert pretium uniuſcujuſque rei? Etenim abſque illius condimento cibi omnes inſipidi, voluptate carent, Angelici concentus ſunt abſque delectatione, doctæ ſententiæ ſine gratia, arma ſine fortitudine, conſilia ſine prudentia, medicamenta ſine virtute, & propter ipſum aliquando guttulæ aquæ theſauris Regum, & Regnorum opibus præferuntur.

*Tempus nullo pretio æſtimabile, omnibus dat pretium.*

11. Hoc maximè in fructibus, & floribus patet; fructus enim præcoces privilegium habentes temporis, quis neſcit in quanto ſint pretio? In vaſe ponuntur argenteo, velis operiuntur byſſinis, Principibus offeruntur, iiſque mille oſcula, mille amplexus, quaſi chariſſimis filiis infiguntur. Sed dum ordinario tempore in abundantia proveniunt, in vilibus ponuntur corbibus, minimo venduntur pretio, in plateis diſperſi animalibus in cibum dantur. Nec ab his flores differunt, quantumvis enim pulchra ſit, & magnifiat Roſa, quantumvis variis depictus coloribus flos emineat, dum primi veris tempore maxima eorum abundantia eſt, ab omnibus vilipenſi in terra ſparguntur, ab hominibus conteruntur, & à brutis vix ſemel aſpiciuntur. Sed è contra Roſa in autumno, aut hyeme florens, & odorem longè diffundens, in pretio habetur, unuſquiſque eam laudibus effert, hic admiratur purpureum colorem, ille obſtupeſcit odorem, his verſibus inſolitum deſcribit adventum; ille ſinum implere gaudet, hic eam dilectæ offerre cupit, ille viſu ejus delectari deſiderat.

*Fructus præcoces pretioſiores.*

*Flores extra tempus magni fiunt.*

12. Quale fuit tempus quo in mundo (vel ut meliùs dicam) in cælo pullularunt hi pulcherrimi flores? *In die frigoris* habet dictum noſtri emblematis; quod S. Auguſtinus affirmat, dicens: *Iure, dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentis Eccleſiæ gemmas, quædam perſecutionis pruina decoxit.* Tempore extraor-

*In quo tempore hi infantes occiſi?*

Nahum 3. 17.

S. Auguſt. ſerm. 10. de ſanctis in append. 71.

extraordinario naſcuntur, & in media hyeme, ex frigida Hebræorum ſynagoga, hi nobiliſſimi flores pullularunt. In die brumali, quando Sol longiſſimè à nobis abeſt, & ſe vertere, ac quaſi de novo renaſci incipit, ideò hoc tempore incipitur annus. Tale fuit tempus in quo hi flores pullularunt, non ſolùm quia probabile eſt, illo tempore anni mortem illorum accidiſſe; ſed magis quia tunc in cælo renaſci cœperunt, quando verus juſtitiæ Sol carnem noſtram accipiendo, nobis magis appropinquare & in terris renaſci incipiebat, ut feliciſſimum ver, & novum adduceret ſæculum.

*Cur in nativitate Salvatoris luctus?*

13. Sed eccè novum quid admirandum; naſcitur Salvator, & moriuntur infantes, in adventu ejus lamentationes, planctus, & mors ſuccedunt; hæccine ſunt gaudia toties ab Angelis & Prophetis promiſſa? Eſtne hic effectus admirabilis pacis, & lætitiæ, quam mundo cauſare debebat? O quàm malè videntur facta correſpondere promiſſis. *Vocabitur Princeps pacis*, dixit Iſaias, & hîc non video niſi bellum, & crudeliſsimas occiſiones: *Habitabit Lupus cum Agno*, de tempore Meſsiæ prædictum fuit; & jam plus quàm umquam video teneros Agnos dilaniari, & lacerari à ferocibus lupis. *Stillabunt montes dulcedinem, omnes colles culti erunt*, prædixit Amos de hoc tempore, erit videlicet ætas aurea, ex montibus fluent rivuli lactis, & mellis; & hic non video niſi flumina ſanguinis, & ſi eſt lac non ex montibus fluit, ſed ex uberibus matrum, quæ volentes teneros defendere partus, ubera contorquent, & lac profundunt. *Evangelizo vobis gaudium magnum*, dixit Angelus; & hîc loco gaudii, aliud non video quàm planctum; loco cantus audio lamentationes, & ululatus. *Natus eſt vobis hodiè Salvator*, dictum fuit ad paſtores, & loco ſalutis jam video mortem, & tribulationes: an ſolis paſtoribus ſalutem promittit, & non aliis? Quid dicemus ad hæc? Falſas eſſe Prophetias, vana promiſſa? Non, *quia cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*. Deficient potiùs cæli, quàm Dei promiſſa.

Iſaiæ 9. 6.

Iſaiæ 11. 6.

*Cum ſit promiſſum gaudium?*

Amos 9.13.

Lucæ 2.10.

Ibid.

Marci 13. 31.

*Spiritualiter illud gaudium intelligendum.*

14. Maximam ergò admirationem adduxit tempus occiſionis infantm; quod ſi quis conſideret, videbit in eo providentiam divinam mirabiliter elucere. Primò, ut homines crederent, promiſſa Salvatoris non corporaliter, ſed ſpiritualiter eſſe accipienda, qui vix natus, occiſione corporum ſalvat animas multorum infantum. Venerat pacem adferre, ſed illam quæ patientiâ acquiritur, ideò conveniens fuit, ut patientiæ indicium exhiberet occidendo infantes. Venerat ut bonus paſtor, qui transferret pecora ad meliora paſcua, ſed intelligitur ſpiritualiter de miſeria hujus vitæ, ad felicitatem ſupernam. Se volebat oſtendere verum Moyſen, qui vene-

venerat liberare populum à servitute diabolicâ, figurata in veteri servitute Ægyptiaca; ideò ut figura responderet figurato, sicut Pharao plurimos infantes occidi curarat, dum Moyses nascebatur, qui miraculosè evasit: sic Herodes Christo nascente crudeliter occidit plurimos infantes, Christo mirabiliter evadente.

*Occisione infantum desiderium & adventus Christi innotuit.*

15. Desiderabat summoperè Salvator sanguinem pro nobis effundere, sed quia hora constituta nondum advenerat, gaudet ad minùs effusione aliorum, qui pro ipso æterno Patri illum offerunt. Sicut infirmus maximè sitibundus, dum bibere non potest, alterius bibitione, & copiosæ aquæ in cubiculo effusione lætatur. Maximus erat puritatis amator Christus, quam mũdum edocere venerat, ideò castarum animarum copiosũ exercitũ eligere oportebat. Ne autem quis adventus sui ignorantiam prætendere posset, permisit Herodem inauditâ crudelitate procedere, ut cùm hoc factum toti mundo innotesceret, simul omnes occasionẽ istius agnoscentes, Nativitatem Christi cognoscerent. Hi ergò infantes fuerunt campanæ quæ toti mundo adventum Salvatoris annuntiarent; figurati per campanulas quæ olim in fimbria vestis summi Sacerdotis pendentes ipsius adventum populo indicabant.

*Quem dolorem matres sustinuerunt?*

16. Quid de matribus horum innocentium dicemus, quæ sine culpa privabantur charissimis pignoribus? Quem dolorem, quæ tormenta putamus illas sustinuisse, dum ante oculos videbant proprios partus à pectore avulsos, inauditâ crudelitate ad terram dejici, evaginato gladio transfigi, pedibus conculcari, nec permitti, ut afflictis & penè mortuis consolationẽ aliquam adferre possent. Qualiter exclamare debebat infelix illa, quæ diu sterilis, tandem desideratum pignus adepta, in quo totam spem & amorem posuerat, nunc crudeliter tractari, ac in partes scindi videbat? quas voces in cælum efferre debebat alia, quæ charissimas proles unâ vice sibi auferri videns, dum singulis pietatis officio obsequi vellet, cùm nulla adimplere poterat? Quod Deus permiserit vitam his infantibus auferre, non adeò admirandum, quia fuit illis occasio summi boni S. Augustino dicente: *Numquam Herodes parvulis tantùm prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio.* Liberati fuerunt à miseriis præsentis vitæ, & in æternæ salutis portu feliciter collocati, digni facti coronâ martyrii; & flos virginitatis illis conservatus fuit. Optimè paucos illos dies vel annos in perpetuam æternitatem mutarunt. Sed de afflictis matribus quę pœnas & tormenta Martyrum sentiebant, nec tamen martyres efficiebantur, quid dicemus? Quæ in hâc vitâ omni sunt solatio privatæ, & perpetuis calamitatibus afflictæ,

*Infantibus hæc occisio profuit.*

S. August. serm. 3. hujus diei.

*Utrum matres nihil meruerint.*

afflictæ, nec tamen de altera securæ? Quomodo salvabimus justitiam, aut ad minùs misericordiam, & providentiam clementissimi Dei nostri?

17. Respondet aliqui meritò has mulieres ita afflictas fuisse in pœnam peccati sui, quòd matre Dei hospitio suscipere noluerant, dum gravida veniret Bethlehem, unde coacta fuit filium in stabulo parturire. Melius tamen dicamus, voluisse Christum ab unaquaque accipi pro filio, sicque permisit ut filii eorum occiderentur; sicut præscinduntur rami omnes ab arbore, cui volumus nobiliorem inserere ramum. Nec hæ matres dolere poterant, dicere enim illis potuisset, ut Elcana uxori suæ Annæ
1. Reg. 1. 9. dicebat, *Numquid non ego melior tibi sum quàm decem filii?* Adjungamus insuper maximum illis beneficium præstitum, dum pro Rege cælorum & Salvatore hoc paterentur; sicque ejus adventum, & hujus vitæ calamitates cognoscentes, ad futuram aspirare poterant. Credendum etiam est Deum illos particulari gratiâ prævenisse, ut hoc patienter sufferre possent, propterea in cælo maxima præmia promeritas fuisse. Denique si omnis occasio deficeret, scimus quàm libenter matres patiantur ut filii exaltentur, & honorentur. Unde dixit Agrippina se non curare si à filio occideretur, modò regnaret. Debebant ergò consolari afflictæ matres, dum filii in cælum perpetuò regnaturi ascenderent.

*Credendum illas maximè meruisse.*



# IN FESTIS BB. VIRGINIS MARIÆ.

## DISCURSUS TRIGESIMUS SEXTUS.

*De excellentiâ amoris & humilitatis ejusdem.*

Nubes à Sole illuminata

*Quia respexit.*

*SUMMARIUM DISCURSUS.*

*Hoc emblema Beatæ Virgini rectè convenire probat primis sex numeris.*

*Excellentiâ suâ omnes creaturas superare, ostendit num.* 7. 8. 9. 10. 11. 12.

*Amore divino, & gratiâ ultrà omnes ditatam fuisse declarat, num* 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

*Summam ejus humilitatem indicat à num.* 20. *usque ad finem.*

1. *In nube & Sole duæ excellentiæ B.V. repræsentatæ.* DUo nobis in hoc emblemate mirabilia demonstrantur, unum per naturam (Sol videlicet) alterum per accidens, nempè nubes; quæ à Sole illuminata splendorem Solis induens, instar Solis spectandam se mortalibus offert. In his duobus duæ præcipuæ beatissimæ Virginis excellentiæ mirabiliter exhibentur; summa altitudo, & profundissima humilitas; altitudo quâ cælos transcendit, humilitas quâ abyssos penetrat: cui rectè convenire possunt verba illa Job: *Excelsior cælo est quid facies? profundior inferno & unde cognosces?* Job 11, 8. Quasi diceret, ex omni parte incomprehensibilis est hæc beatissima Virgo. Si dignitatem aspicias, omnes cælestes potestates superat; quia *quem cæli capere non poterant, suo gremio contulit.* Si humilitatem consideres, ultra infernū descendit: quia infra infernum est nihil, & ipsa se nihil æstimat, unde dicebat: *Quia respexit nihilitatem ancillæ suæ*, Lucæ 1. 48. ut aliqui ex Græco vertunt, loco *humilitatem.* Quæ duo extrema maximè contraria, mirabiliter in hâc sanctisma Virgine conjunguntur: non enim adeò *Summa dignitas & profunda humilitas simul in B.V.*

fuisset

fuisset exaltata, nisi supra profundissimam humilitatem fuisset fundata. Nec sublimitas esset admirabilis, nisi humilitas esset incomparabilis. Ideò hæc duo in nube & Sole rectè figuravimus. Nubes non obscura & lucis inimica, sed lucida & clara, ac Solis æmula, & quasi per amorem in Solem transformata. Talis fuit beatissima Virgo, de qua in sensu mystico dicere possumus;

3. Reg. 18. 44. *Eccè nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari*: nubes levissima virtute Solis in altum elata; gratiâ nempè divinâ ex mari peccatorum, & humanarum miseriarum abysso tam altè elevata, ut Angeli admirantes dicant: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Nubes cælesti pluviâ gravida; de qua Propheta David præcinebat: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*: transformatrix amaritudinum, & miseriarum, in rorem melle dulciorem; *Mel & lac sub lingua tua*: umbraculum ab æstu, *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens*: thronus sublimis Dei: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.*

*In nube illuminata bene præfigurantur.*

Cant. 6. 9.

Psal. 67. 10.

Cant. 4. 11.

Cant. 8. 10.

Eccli. 24. 12.

1. Nubes per humilitatem adeò exigua, ut vestigio pedis assimuletur: de se quippe tam submissè sentiebat, ut dignam se duceret pedibus omnium conculcari. Nubes, de qua Isaias Propheta dicebat: *Ascendet Dominus super nubem levem & ingredietur Ægyptum*: quasi diceret, adeò celeriter iter suum

Isaiæ 19. 1.

peraget, ut nube levissimâ à vento portatâ tamquàm curru utetur. Hæc fuit beatiss. Virgo quæ facillimè aurâ spiritus Sancti ad quævis directa fuit: levissima, quia licet cælesti rore gravida, de qua dicebat Propheta: *Nubes pluant justum*; nullum tamen pondus sensit, quia Virgo permansit, affirmante S. Ambrosio: *Virgo erat nullis oneribus gravata conjugii*: levis; quia nullo peccato gravata: levis, quia sicut nubecula, non obscurat solem, sed moderatur ejus lucem & calorem; ita beatiss. Virgo non impedivit, sed moderata est lucem æterni verbi, nobisque illud visibile exhibuit; furorem divinum contrà genus humanum concitatum placans, & seipsam illuminans. Uti denique illa semper optimam partem elegit: ita optimum quodque illi tributum fuit dicente Prophetâ: *Adipe frumenti satiat te*: quapropter non absolutè vocatur Cedrus, sed *Cedrus Libani*, non solùm Cypressus dicta, sed *Cypressus in monte Sion*: ut rosa quoque à cæteris distinguitur, quia plantata in Jericho; si Platanus dicitur; notatur quòd juxtà aquam sit: idcircò non dicitur absolutè nubes, sed ut privilegium denotetur nubes levis. *Ascendit* igitur *Dominus super nubem levem*, quando brachiis sanctiss. Virginis in Ægyptum delatus fuit.

*Nubes illuminata B. V.*

Isaiæ 35. 8.

S. Ambros. in exhort. ad Virgin.

*B. V. optima semper habuit.*

Psal. 147. 14.

Eccli. 24. 17.

Isaiæ 19. 1.

3. Ad emblema nostrum revertentes, videbimus nubem speculum solis factam, quod optimè

*Nubes fit speculum solis.*

Sap. 7. 26. Reginæ cælorum attribui potest, de qua meritò sapientia æterna dixit: *Candor est enim lucis æternæ & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Non absolutè dicitur speculum, omnes quippè creaturæ dicuntur speculum Dei
1. Corinth 13. 12. Apostolo teste: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*; sed *speculum si-*
Sap. 7. 26. *ne macula, & imago bonitatis illius.* Creaturæ siquidem irrationales sunt speculum repræsentantes vestigium aliquod Dei, sed non imago: rationales autem sunt imago, sed non sine macula, cùm nemo liber sit à peccatis: Angelici spiritus nobis sunt ignoti, ita ut sola beatiss. Virgo dici possit perfe-
*B. V. speculum sine macula.* ctissima imago Dei, in qua bonitas & majestas infinitam, irabiliter resplendent. Speculum particulariter dici potest in Incarnatione, sicut enim radius solis vitrum penetrat absque læsione ejusdem; ita verbum divinum, uterum beatæ Virginis penetravit, absque læsione virginitatis. Speculum ab anteriori parte lucidum & clarum, à posteriori verò densum, & obscurum; ita beata virgo propter virginitatem splendida, & apta recipere cælestem splendorem, propter humilitatem autem obscura & quasi sibi ipsi ignota; ideò
Lucæ 1. 35. dixit illi Angelus: *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altißimi obumbrabit tibi. Superveniet* quasi radius cælestis solis, *abumbrabit*, quia præ humilitate non cognoscetur mater Dei, sed quasi ignota latebit. Speculum perfectè imagines rerum exhibet; & beata Virgo perfectè imaginem æterni verbi exhibuit.

4. Optimè ergò de ipsa verificari potest; *Pulchra ut luna, electa ut sol*, electa ex aliis creaturis ut dignior, sicut sol ex omnibus astris electus, ut præsit diei & resplen- *B. V pulchra ut luna, electa ut sol.*
deat, de quo dicit Sapiens; *Vas admirabile opus excelsi*; quod certè admirandum videtur, cur tali nomine solem appellet, cùm potuisset variis encomiis extollere; vas quippè recludit, & cooperit omnia, & sol discooperit, & detegit; vas ordinariè continet res liquidas, sol nil retinere potest; vas concavum est ut aptius retineat omnia, sol sphæricâ figurâ præditus ex quo cuncta facillimè decidunt. Quod si quis objiciat per vas intelligi instrumentum in lingua Hebræa, nec hoc soli convenit, qui nullum instrumentum dici potest, cùm sit causa efficiens, & Princeps causarum secundarum. Rectè tamen dicitur vas, ut intelligamus auctorem naturæ in ipso ut in vase omnem lucem reposuisse. Hoc metaphoricè beatiss. Virgini applicantes, quàm mirabiliter suæ excellentiæ convenit! Quod ut intelligamus, annotanda est differentia personæ divitis & potentis, & personæ privatæ ac pauperis; hæc eodem vase seu instrumento ad diversa utitur, eodem cultro scindendo panem, ligna &c. eodem vase bibendo vinum, lac,

Eccli. 43. 2. *Cur sol, vas dicatur?*

lac, vel aquam: illa cùm multa habeat instrumenta, & vasa, unumquodque suo officio est deputatum. Pari modo huic mundo pauperi & miserabili accidit, qui sæpissimè vasis & personis indiget, cui pretiosa dona committat, unde videmus dignitates mundanas personis immeritis, & indignis datas. Vellet Rex aut Princeps aliquis vas aliquod capax, & solidum, cui secreta sua & pretiosa committere posset, sed non inveniens, committit illa aulico cuidam domestico; hic tamen quandoque reperitur insufficiens, & vas incapax ut omnia retineat, ideò redundat, & effunditur liquor ille pretiosus, secreta nimirum deteguntur, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, aliquando etiam scatet rimis ut dixit quidam *plenus rimarum sum, hac atque illac effluo.*

*Mundus indiget vasis.*

*Persona secreta vix reperitur.*

Mat. 12. 34.

5. Deus noster Rex Regum, & potentissimus Princeps, imò vasorum fictor ut se monstravit per Jeremiam Prophetam, plurimis abundat vasis, ac juxta liquorem quem ponere desiderat, format vasa. Hoc clarè patuit in S. Paulo ad quem cùm Ananiam mitteret, dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum*: quasi diceret, hunc elegi tamquam vas pretiosum, in quo nomen meum reponere volo. Quale vas fuit beatissima Virgo Maria? Vas continens Deũ immensum; (*Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti:*) & liquorem pretiosissimum de quo dictum; *Oleum effusum nomen tuum*; cogita ergò quàm excellens & ornatum fuerit? Hoc vas non solùm magnitudine, verùm etiam firmitate cælum superat; citiùs quippè cæli machina dissolvetur, quàm cælestia secreta ex hoc vase effluent. Hoc apertè monstratum est, quando Joseph advertit sponsam suam gravidam effectam, ignorans unde ei hoc accidisset, voluit occultè dimittere illam; nec puto hoc latuisse beatissimam Virginem, sed quid effecit? Quando mulieres honestæ sentiunt famam suam vel in minimum lædi, omnibus modis se defendere cupiunt, testes honestatis adhibent, lacrymas spargunt, juramenta multiplicant; nihil horum beatissima Virgo, ne verbo quidem se excusans, sed in silentio rem Deo commisit. Quid tamen agis sanctissima Virgo? Annon æstimas proprium honorem & famam? Non times à marito derelinqui? Ad minùs vitæ periculum metue, si enim viderint homines te à sponso derelictam; suspicabuntur adulteram, sicque periculum incurres ne lapideris; honorem parentum suspice, qui magno afficientur dolore per separationem sponsi: moveat te afflictio sponsi tui Joseph, qui cogitans se debere te derelinquere summè torquetur. Super omnia tamen Matrem Dei te cogita, ita ut diffamari non possis, nisi Deus pariter diffametur. Quàm efficacia motiva.

Jerem. 18. 6.

*Deus vasis abundat.*

Actor. 9. 15.

*Quale vas B. V.*

Cant. 1. 2.

*Vas firmiter continens omnia.*

*Maximè celat secretum.*

motiva, ut ſecreta cæleſtia ſponſo ſuo aperiret, & ſeipſam ab imminenti diffamationis periculo eriperet; hæc tamen in corde ſanctiſſimæ Virginis nihil efficere potuerunt, ſed in Deo confiſa, honorem potiùs tacendo, quàm humilitatem loquendo perdere volebat: teſte S. Bonaventura: *Potiùs volebat reputari vilis, quàm propalare de ſe aliquid, quod ad jactantiam putaretur pertinere*: potiùs à terreno ſponſo derelinqui, quàm ſponſo cæleſti infideliter ſervire; animam potiùs à corpore ſeparari cupiebat, quàm ſecretum à corde. Mirabile ſilentium, meliùs humilitatem & capacitatem cordis ejus explicans, quàm eloquentiſſima lingua. Non potuit cælum diutiùs cælare hoc ſecretum, ſed quaſi ſe diſrumpens, Angelum Joſepho miſit, qui illud aperiret, diceretque: *Ioſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt.*

S. Bonav. medit. de vita Chriſti cap. 7.

Matt. 1. 20.

*Maria vas continens liquorem pretioſiſſimum.*

6. Vas fuit Maria continens in ſe liquorem pretioſiſſimum, & theſaurum infinitum abſque minimâ effuſione ejus, non ſolùm vas capaciſſimum, verùm etiam maximè ornatum. Lucillus Senator Romanus divitiis abundans, cùm vellet ſervos ſuos parare convivium magnificentiâ ſuâ dignum, dicere ſolebat; hodiè cenandum in Apolline, in cubiculo nempè Solis. Unde poſteà derivatum proverbium: *cenare in Apolline*, quaſi diceremus lautiſſimo convivio frui. Cùm enim convivium loco correſpondere debeat, & hic ſit Solis habitaculū, convenit pariter convivium debere eſſe lautiſſimum. Quòd ſi Gentilis tanti faciebat cubiculum in quo Solis imago magnificè depicta erat: quanti putamus Deum feciſſe Solis æterni habitaculum, quod fuit beatiſſima Virgo? Aliud probationis argumentum excellentię beatiſſimę Virginis adducere non oportet, quàm dicere, ipſam eſſe veri & æterni Solis, ac Dei omnipotentis habitaculum; indeque colligemus eam maximis favoribus & ſingularibus divinæ gratiæ donis decoratam fuiſſe. Simile argumentum effeciſſe videtur Propheta David, idcircò poſtquam dixerat: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*; deduxit tres mirabiles Solis excellentias; pulchritudinem quâ ſponſo aſſimulatur: *Et ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*, velocitatem motus, & virtutem coloris, ratione quarum giganti aſſimulatur: *Exultavit ut gigas*. Hæ excellentiæ in beatiſſimâ Virgine fuerunt maximæ; quia pulcherrima, in viâ virtutis velociſſima, & amore divino ſummè inflammata. De quibus & ſingulis, non dico diſcurſus, verùm etiam libros integros componere liceret; nos tamen has excellentias ſummis dilibantes labris, tranſcurrendo potiùs attingemus, quàm proſequendo deſcribemus: profitentes nos tantæ materiæ omninò impares.

*Maria veri ſolis habitaculum.*

Pſal. 18. 6.

Ibid.

*Tres excellentiæ ſolis in B. Virg.*

7. Ad

*Pulcherrima fuit omnium creaturarum.*

7. Ad pulchritudinem quod attinet, quis ignorat illam omnes puras creaturas Angelicas & humanas superare? Dum Princeps relinquendo nobiles personas, pauperi cuidam puellæ nubere desiderat, oportet illum amore pulchritudinis ejus, quâ omnes excellit hoc agere: Sic cælorum Rex volens sponsam eligere, quæ fuisset mater filii sui, licet in cælesti patriâ multas haberet pulcherrimas creaturas, nullam tamen ex iis eligere cupiebat, sed ex hac miseriarum valle pauperem virginem, peccatoris filiam assumere voluit. Argumentari ergò possumus, hanc omnes Angelicos spiritus pulchritudine superare: cùm enim hujus conjugii nuntium cælestibus spiritibus innotuisset, quidam indignè ferentes humanam naturam illis prædominaturam, rebellare statuerũt; inter quos primus Lucifer qui cęteros ab obedientiâ supremi illorum monarchæ avocans, cum ipsis cælo ejectus fuit. Quando porrò advenit tempus sponsalia celebrandi, misit Deus unum ex præcipuis ipsi obedientibus Angelis, qui hoc negotium exequeretur, & videret si pulchritudo sponsæ meritò omnes superaret: adveniens igitur Nazareth, & cubiculum Virginis ingressus, pulchritudine tali obstupefactus exclamare cœpit: *Ave gratiâ plena Dominus tecum*: libentissimè Domina te accipio in patronam & Reginam cęlorum, cùm videam te tantâ excellentiâ cunctos præcellere, & à Domino meo nobis omnibus prælatam, teque tali titulo revereor & saluto.

*Exemplo probatur.*

*Lucæ 1. 28.*

*Ratione B. V. Angeli cedere debent hominibus.*

8. Ratione hujus pulchritudinis, Angeli non solùm beatissimæ Virgini, verùm etiam toti generi humano cedere debent. Ut hoc probemus, revocanda est in memoriam mirabilis Angeli cum Jacobo Patriarcha luctatio, quæ omnes meritò in admirationem sui rapit; quomodo homo mortalis potuerit prævalere Angelo, qui purus est spiritus, & tantam habet fortitudinem, ut solus cælorum machinam movere possit absque ulla defatigatione aut molestiâ. Nec minor admiratio, quòd adveniente aurorâ, Angelus cessit homini victoriam, & quasi perterritus dixerit: *Dimitte me jam enim ascendit aurora.* Hæc admiranda, occasionem dederunt sacræ Scripturæ expositoribus varia mysteria indagandi: quidam dixerunt Jacob figuram gessisse populi Hebræi, Angelum verò Christi, qui in Passione quasi victus mortem oppetiit; in Resurrectionis autem aurorâ, ultrà teneri non potuit. Alii putaverunt Jacob præfigurasse animam orantem, quæ vi quasi obtinet quæ desiderat, Angelum autem fuisse Angelum custodem fratris sui Esau, & per hoc significasse Jacobum non debere timere fratrem; aliique varia exposuerunt. Inter quos si mihi liceret dicere quid sentiam, dicerem Angelicam

*Gen. 32. 26.*

gelicam

*Angelica & humana natura simul de excellentia contenderunt.*

gelicam & humanam naturam simul de pulchritudinis excellentiâ contendisse. In cujus favorem Angelus suas adducens rationes dicebat; se immortalem esse, nulli corruptioni aut calamitati obnoxium, in operationibus perfectissimum in nobiliori loco & statu priùs creatum quàm hominem, Dei omnipotentis aulicum & assistentem deputatum; hominem verò ut rusticum, & abjectum, culturæ terræ destinatum, mortalem, multis miseriis obnoxiũ, &c. Contrà hæc se homo ut poterat defendebat; dicens sui causâ mundum cum omnibus divitiis & universâ pulchritudine fundatum esse, ipsum esse mirabile vinculum inter corpus & animam, unde parvus mundus dici poterat, & quantum ad animam immortalem esse, ac Angelum ejus servitio deputatum. Subjungebat Angelus hoc magis indicare miseriam ejus, cui sublevandæ, totus mundus necessarius esset; ipsum à Deo illi datum, non ut serviret; sed ut illum suis documentis instrueret, contra pericula defenderet, & ab omni malo liberaret; licet quoque anima ejus esset immortalis, in corpore tamẽ mortali, sine quo in statu imperfecto & quasi violento erat, & per hoc se longè excedere.

*Videtur Angelus excellentior.*

*Ratione B. Virg. homo superior.*

9. His rationibus humana natura quasi victa cedebat, quando tandem in favorem hominis apparuit pulchra illa Aurora consurgens, de qua obstupescens Angelus dicebat: *Dimitte me jam enim ascendit Aurora.* Quid times Angele? Lucem sufferre non potes, cujus Aurora nuncia? Certè non; quid ergò recedis? Non recedo, inquit, sed ampliùs contendere nolo, quia apparente Aurorâ devictus cedo. Qualis fuit hæc Aurora quæ homini victoriam tribuit? Illa de qua Angeli admirati dixerunt: *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens*: huic Auroræ cedit Angelus, quia in tota sua natura talem excellentiam reperire non poterat. Cur illi Auroræ titulum, & non potiùs solis aut lunæ tribuit? Ut sciamus Angelum non solùm supremę beatiss. Virginis pulchritudini quæ solis nomine vocatur; verùm etiam infimæ Auroræ nomine nuncupatæ, cedere debere? Non solùm excellentiæ Dei matris, verùm etiam gratiæ conceptæ Virginis; quando instar Auroræ à tenebris ad lucem vitæ processit. Huic pulchritudini non solùm Angeli cedunt, verùm etiam ut prodigium admirantur, ideò S. Joannes de illa in Apocalypsi dicit: *Signum magnum apparuit in cælo.* Quid hoc sibi vult, S. Joannes tot admiranda in cælo viderat, animalia loquentia antè Deum, sedem Dei arcu cælesti cinctam, & in ea sedentem similem aspectui lapidis Jaspidis, & Sardinis, innumeram multitudinem coronis aureis circumstantem, cęlestem Jerusalem auro & lapide pretioso

*Gen. 32. 26.*

*Cant. 6. 9.*

*B. Virgo Aurora consurgens.*

*Apocal. 12. 1.*

pretioso ornatam, de his omnibus non admirans, solùm visâ muliere sole amictâ admirabundus dicebat: *Signum magnum apparuit in cælo.*

Ubi suprà.

10. Nec sine ratione signum magnum & miraculum appellatur beatiss. Virgo, quia à S. Ignatio martyre *prodigium cæleste* & à S. Joanne Chrysostomo *magnum miraculum* dicitur: & S. Joannes Damascenus; *miraculum omnium miraculorum maximè novum*, alludendo ad locum Jeremiæ. *Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum*; imò *miraculorum officinam* dixit: quasi omnium miraculorum fontem; quod ex illo Isaiæ colligi videtur. Quãdo Deus Regi Achab miraculorum thesaurum aperuisset, dixissetque ut peteret quod vellet: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà*, & ipse hoc recusasset, dixit illi Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Eccè Virgo concipiet &c.* Ex hoc dicto sic argumentor; Deus tantum dat quantum promittit; imò donum quasi semper excedit promissionem: cùm ergò obtulerit Achab miraculum aliquod eligere ex toto mundo, & nihil aliud dederit quàm Virginem fœcundam, confiteri debemus illam esse miraculum omnium miraculorum maximum, quod in cælo vel in terra fieri posset. Quis ergò non summoperè obstupescet considerans hoc ingens miraculum?

*B.V. signum magnum in cælo.*

Chrysost. serm. de B. V. Damascen. orat. de nativit. B. V. Jerem. 31. 22.

Isaiæ 7. 11.

*B.V. miraculorum maximum.*

Hoc videtur significari in loco illo Cantici ordinariè beatæ Virgini tributo: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis:* ubi verbum Hebraicum correspondens verbo *cum propugnaculis*, exponitur à doctissimis Hebræis, *ad suspendendum erat*, ut in ea nempè appenderentur gladii, & arma, quod beatiss. Virgini rectè convenit, quæ à Deo creata est ut pacem inter omnes componat. Inter cælum & terram, inter Deũ & hominem, inter virum & mulierem; ita ut aliæ turres fabricatæ sint ut in eis arma contrà inimicos exponantur, hæc autem ut arma auferantur & recondantur, & pax universalis habeatur.

Cant. 6. 9.

11. Meritò ergò S. Joannes dicit: *Signum magnum apparuit in cælo*, nec parum est dicere *in cælo*, quòd enim inter rusticos quis æstimetur doctus, non adeò mirandum; sed quòd inter Philosophos, & Doctores præcellat, magis mirum est. Pari modo aliquem hîc in terris in valle miseriarum & calamitatum æstimari sanctum, non tanti faciendum; sed in cælis inter agmina Angelorum ubi nil deforme, mulierem reperiri, quæ omnes sanctitate excedat, & in sui admirationem rapiat, hoc summoperè mirandum; talis fuit beatiss. Virgo, ideò *Signum magnum apparuit in cælo*. Si de nocte extraordinarii quid & dignum visu in aula principis repræsentetur, omnes lumine accenso concurrunt, ut clariùs videant;

Apoc. 12. 1. *Inter omnes excellit.*

Ibidem.

deant; ita apparente in cælo hâc pulcherrimâ Virgine, cælestia lumina simul concurrerunt; duodecim primæ stellæ in capite, luna sub pedibus, sol circumquaque eam illuminando & ornando, ut ab omnibus conspiciatur, & admiretur. Licet quoque sol & luna numquam simul reperiantur, quia majus lumen offuscat minus; voluit tamen Deus hic simul videri, ut beatiss. Virginem epilogum universæ pulchritudinis in aliis objectis repugnantis, fuisse cognoscamus: ideò virginitas & fœcunditas, filiatio, & maternitas, de ea respectu ejusdem verificari possunt, ut meritò dicatur *Virgo mater*.

*Fervore divino maximè accensa.*

12. Quid de velocitate & fervore ejus in spiritualibus referam? Omnem certè excedit admirationem; si enim reperiretur homo qui unico passu tantum conficere posset iter, quantum alius integro die, quis explicare posset velocitatem ejusdem, quantum uno die absolveret iter? Minor tamen est hæc similitudo quàm ut velocitatem beatiss. Virginis explicemus; doctrinâ igitur Theologicâ idipsum perscrutemur. Singuli amoris divini actus merentur novam gratiam tantò majorē, quantò ferventiores sunt actus, ita ut si quis producat 100. actus amoris divini non adeò ferventes, & alius unicum ferventissimum qui adæquaretur istis centum, tantum gratiæ reciperet pro uno, quantum alius pro centum. Notandum quoque fervorem actus correspondere quantitati gratiæ habitualis, vel actualis, cùm enim sit actus suprà naturalis, necessariò à principio supernaturali dependet. Verum quidem est non omnes æqualiter cooperari gratiæ datæ, nam unus cum minore gratia producet quandoque ferventiorem amoris actum, quàm alius cum majore gratia; hoc tamen fit ex tepiditate vel fervore operantis. Ex his duobus principiis optimè concluditur beatiss. Virginem plus gratiæ & meriti acquisivisse unico actu, quàm quivis sanctus, non solùm in uno die, verùm etiam toto vitæ decursu. Quantum ad ejus gratiam, communis fert opinio, fuisse majorem gratiam beatæ Virgini in conceptionis instanti datam, quàm ullus habuerit sanctus in fine vitæ. Ad hoc probandum adducere possumus locum Isaiæ: *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium*: summitas videlicet montis domus Dei; id est beata Virgo, quæ est domus Dei, excedet omnes alios montes. Quantum ad ejus actus, non dubium est quin fuerint perfectissimi; nec defuit illa gratiæ divinæ, conformes ergò fuerunt isti actus gratiæ datæ; si igitur prima gratia B. Virginis excessit gratias quas alii sancti in toto vitæ decursu receperunt, pariter dicere debemus primum actum amoris divini beatiss. Virginis huic gratiæ correspōdentem,

*Meritum operis adæquatur fervori actionis.*

*Et quantitati gratiæ.*

*B. V. in conceptione plus gratiæ habuit, quàm ullus sanctus in tota vita.*

Isaiæ 2. 2.

tem, excessisse omnes actus alicujus sancti in tota vita elicitos, tantumque illam promeruisse unico actu, quantum alius sanctus promeruerit omnibus simul.

*Probatur exemplo Angelorum.*

13. Nec hoc alicui extraneum videri debet, si cum Theologis consideremus tempus quo Angeli meruerunt gloriam cælestem, fuisse brevissimum, ita ut aliqui velint solùm fuisse unicum instans sive momentum; hoc tamen actu ita meruerunt, ut quidam ex illis (nempè Seraphim) talem gloriæ gradum acquisiverint, qualem nullus umquam sanctus quantumvis diu piè ac sanctè vixerit, (ut probabiliter creditur) adipisci potuerit. Quid ergò mirum ut quod de servis Dei verificari potest, nos de beata Virgine Matre Dei, quæ omnes Angelicos choros supergressa asseramus? Si principium tale, qualis erit progressio; etenim secundus actus primum in gratia superans, in merito quoque superare debuit; & tertius secundum, & quartus tertium, sicque consequenter usque in finem vitæ crescente gratiâ, actus perfectior produci debebat; ipsa quippè gratiæ divinæ cooperabatur, necumquam desistebat etiam dormiendo, actum amoris Dei producere, ut multi arbitrantur. Quis comprehendere poterit cumulum gratiæ in tota vita acquisitæ; quàm longis passibus alios sanctos omnesque Angelos præcedere debuit: ne Angelicus quidem intellectus hoc assequi valeret, iste solùm comprehendere posset, qui præmiare debuit. Hac consideratione non tantùm beatiss. Virginis infinita merita, verùm etiam in exhaustum divinæ gratiæ pelagus, & immensam Dei liberalitatem cognoscere poterimus; qui non modò paratus est satisfacere meritis jam acquisitis, verùm etsi beatiss. Virgo millibus annis vixisset, & omni momento multiplicasset gratiam & merita, non tamen infinitus Dei thesaurus exhaustus fuisset. Ex hac consideratione colligit P. Suarez merita beatæ Virginis excedere omnium Angelorum & sanctorum Dei merita simul unita.

*Si principiū tale, qualis erit progressus?*

*Gratia Dei infinita.*

*Amor B. V. ferventissimus.*

14. Hinc colligere licet quantus ignis amoris divini pectus B. Virginis inflammaverit, cùm amor respondeat gratiæ & meritis. Ut tamen aliquid singulare de B. Virgine dicamus; ponderemus locum Cantici, ubi in persona cælestis hujus sponsæ dicitur: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem*: cùm hîc tamen fiat mentio cellarii infimi loci totius domus, nihil vile de B. Virgine præsumendum, quia juxta dictum S. Dionysii Areopagitæ, res excellentiores meliùs similitudinibus infimis exhibentur, ut major videatur disparitas. Per vinum ergò quod inebriat & sensus perturbat, amorem divinum accipere debemus. Unde mirabilis subitò apparet disparitas inter reliquos Cant. 2. 4.

quos Sanctos & B. Virginem; illis dicitur: *Bibite amici & inebriamini charissimi*, hæc verò introducitur in cellam vinariam; illis datur vinum cum mensura in vasis determinatis, hæc in cellarium ducitur, ut eligat, & bibat quantum, & quale placuerit; illi vinum intra viscera recipiunt, hæc à vino in cellario recipitur; quô intelligitur tantam fuisse abundantiam divini amoris, ut cor humanum capere non posse videretur; ideò introducta dicitur in cellam vinariam, ubi virorum maxima copia. Nec minùs verba sequentia hoc explicare videntur: *Ordinavit in me charitatem*, in quibus tot sunt mysteria quot verba: In primis enim verbũ *ordinavit* communiter de militibus intelligitur, qui dicuntur ordinari, & disponi bono ordine; sed hoc quid ad amorem pertinet, quid armis & vulneribus, cum osculis & amplexibus: nil tamen novi adferimus, si dicamus amorem arma habere, quibus amantes oppugnat, hâc enim similitudine vim & potentiam ostendimus amoris, ut animam & cor amantis vincat; unde dixit Poëta: *Militat omnis amans, & habet sua castra cupido.* Vis tamen amoris mundani, in nullo amori divino comparari potest; sicut enim mundani per facem aut ignẽ accensum, suum amorem effingunt; ita sacra Scriptura per exercitus armatos amorem divinum repræsentat.

Cant. 5. 1.

*Differentia B. V. & aliorum sanctorum.*

Cant. 2. 4.

*Quis sensus hujus loci?*

Ovidius de amore.

15. Ex illo ergò amore fuit exercitus formatus in B. Virgine; *In me*, inquit, ubi *me* potest accipi vel ut terminus ad quem, vel ut locus in quo, ut terminus pronomen *me* accipiendum est in accusativo; ut locus ponitur in ablativo casu; si ponatur *me* in accusativo, sensus erit, Deum ordinasse omnia amoris sui arma ut cor B. Virginis penetret, & subjiciat sibi: Hoc videtur explicari in persona B. Virginis: *Ab æterno ordinata sum*, omnia quippè opera sua videtur Deus ordinasse ad honorem B. Virginis, & amorem ejusdem sibi conciliandum: ideò à S. Bernardo vocata fuit *negotium sæculorum*: *Meritò ad illam*, inquit, *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur & nati natorum, & qui nascentur ab illis.* Ex quo discursu licet potiùs videatur colligi amor Dei versus B. Virginem, quàm B. Virginis versus Deum, valet tamen utraque consequentia; si enim tanto amoris incendio inflammaverit Deus cor B. Virginis, quis dubitare poterit quin pari amore correspondent? Non enim ex istis fuit, qui sentiunt quidem amoris divini flammam. Sed illam fovere negligunt: cor habuit tenerrimum, nõ lapideum, & speculi instar purum, ita ut Solis divini radios facillimè reflectere posset. Proportionatum ergò fuit divino amori, si enim Deus contra

*Exercitus amoris in B. V. ordinatus.*

Proverb. 8. 23.

S. Bernard. serm. 2. de pœn.

*B. V. pari amore respondit.*

contra illam ordinaverat exercitum amoris, illa vicissim tali amore correspondebat: ideò *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cant. 6. 3.

*Duæ mirabiles excellentiæ in B. Virg.*

16. Pronomen *me* accipi potest in ablativo, ita ut sensus sit ipsam esse locum castrorum, in quo Deus amoris exercitum, sive virtutum omnium, & gratiarum cumulum in aliis Sanctis repertum coadunavit, & simul disposuit. Unde duæ mirabiles excellentiæ in B. Virgine resplendent: prima, illam fuisse compendium omnium gratiarum quas Deus creaturis suis communicavit, habuit quippè puritatem Angelicam, charitatem Seraphim, sapientiam Cherubim, fortitudinem thronorum, zelum Apostolorum, constantiam Martyrum, patientiam Confessorum, & Virginum, ac omnium Sanctorum ardentem amorem. Meritò à S. Joanne Damasceno vocata *pelagus*, *& abyssus gratiarum* & in persona ejus Sapiens dicit: *In me gratia omnis viæ & veritatis*. Secunda excellentia est, inter puras creaturas nullam reperiri, quæ magis possit corda mortalium amore divino inflammare, quàm B. Virgo Maria, in qua Deus omnes thesauros gratiarum reposuit; ex quo argumentari licet, maximâ fuisse amoris divini flammam, quandoquidem alios tanto amore accendere poterat.

*1. Compendium omnium gratiarum.*

Eccli. 24. 25.

*2. Cunctos inflammare potest amore.*

17. Potest denique verbum *ordinavit* in propria significatione accipi, & licet videatur hoc contrarium amori, quia ordinare supponit distinctionem personarum, ut una sit superior, altera inferior, amor autem æqualitatem, optimè tamen convenire possunt; cùm enim amor diversa respiciat objecta, oportet ordinem aliquem & modum inter ipsa constituere, ita ut unum plus ametur alio: quia Charitatem ordinatam esse, est quasi dicere unumquodque objectum amatum esse juxta meritorum exigentiam. Si ergò tali modo charitas in B. Virgine ordinata fuerit, quis non videat illam versus Deum fuisse immensam, cùm merita ipsius immensa & quasi infinita fuerint; in amoris ergò excellētiâ omnes puras creaturas excedere debuit. Si denique textum Hebraicum considerare velimus, clariùs in eo videbimus hunc amorem expressum, dicit enim: *Introduxit me Rex in domum vini, & vexillum ejus super me amor*: sicut enim vexillum in altiori parte civitatis vel propugnaculi constituitur, ita Deus amoris sui magnitudinem extollere volens, vexillum amoris in altiori parte, & supra omnes creaturas efferens, in B. Virgine illud collocavit. Cùm enim inter omnes sui exercitus milites, nullum majori amoris privilegio decoratum invenisset, huic vexillum, & præeminentiam amoris conferre voluit. In tantùm ergò amor B. Virginis omnes creaturas superavit, quantum vexillum Imperatoris in exercitu omnes

*Charitas quomodo ordinata?*

*In amore cunctos præcellit.*

Cant. 2. 4.

*B. V. fert vexillum amoris.*

omnes præcellit; & sicut ad hoc omnes milites respiciunt, sic ad B. Virginem omnes fideles oculos suos dirigunt. Quantus ergò amor ipsius, & quanto privilegio omnes superat.

*Illustrat totum mundum.*

18. Concludamus ergò beatissimam Virginem per has & alias prærogativas, verum esse Solem, & lucem totum mundum illuminantem. S. Epiphanius dicit Christum in Cruce vocasse Matrem suam *mulierem*, quia prævidebat periculum imminens illam colendi pro Dea propter excellentiam naturæ: & S. Dionysius Areopagita confitebatur, nisi illum fides Catholica aliter docuisset, videndo ejus excellentiam, pro Dea certissimè adorasset. Talis ergò fuit excellentia hujus sanctissimæ Virginis, ut per gratiam obtineret prærogativas, quas filius ejus per naturam habebat: sicut enim ille verus erat Sol illuminans omnem hominem; ita illa amictâ Sole, speculum Solis facta, omne lumen in se recepit, & quasi alter Sol effulsit.

S. Epiph. lib. contra hæreses.

*Dea videbatur in terris.*

*Maxima excellentia, summa humilitas conjuncta.*

19. Major tamen hic admiratio consurgit, si consideremus illam tot excellentiis & donis non se præ aliis extulisse, sed humillimam & vilissimam creaturam reputasse. Id clarè patuit, dum Mater Dei electa & ab Angelo salutata, non virtutes commemorat aut excellentias naturæ refert, sed humilitatem commendat; *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*, unde hoc dictum emblemati apposuimus *quia respexit*. Mater erat Dei, & ancillam se vocat, Virgo erat omnium virtutum genere ornatissima, & nullarum facit mentionem, nisi solius humilitatis, & vilitatis suæ; hoc enim indicat verbum Græcum Τὺν ταπέινωσιν, quod propriè vilitatem significat: erat singulari favore præ omnibus electa, & ipsa magni facit à Deo respici *quia respexit*. Sicut enim tota nubis pulchritudo ex eo provenit, quòd à Sole respiciatur, & illuminetur, sic illa totam pulchritudinem, & excellentiam suam benigno Dei aspectui tribuebat: quasi diceret: Sol illustrans vallem humilem, aut paludem, inde vapores extrahit, qui posteà elevati in nubem transeunt, & fiunt speculum Solis, vel accensi Stellis similes redduntur; sic majestati divinæ placuit humilitatem meam respicere, eamque elevando sibi speculum formare, & igne sui amoris accendere; ex quo *Beatam me dicent omnes generationes*. Quo facto meo judicio allusisse videtur ad locum Ecclesiastici, ubi dicitur: *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus: & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum.* Quæ omnia rectè beatæ Virgini applicari possunt; quia Dei oculus respexit illam, & erexit eam ab humilitate, & multi hono-

Lucæ. 1. 48.

*Ideò à Deo exaltata.*

Lucæ 1. 48.

Eccli. 11. 12.

Ubi suprà. honoraverunt Deum: *Eccè enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; eccè qualiter vapor iste vilissimus elevatus, & speculum Solis factus, ut Sol resplendet.

*B. V. in omnibus humillima.* 20. Hîc meritò notandum, quàm longè beata Virgo abfuerit ab omni superbia, & elatione; quod huic tempori rectè contrarium, modò enim si quis dignitatem adeptus fuerit, titulos subitò mutat, familiam auget, superbiâ intumescit: non sic humillima virgo, licet enim prævideret se Matrem Dei futuram, non ideò titulos mutare cœpit, sed ancillam se nominat, imò jam Mater Dei effecta, humilior apparuit, vocat enim se humilem ancillam, & humilitatem suam, occasionem exaltationis dicit: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ*, quasi diceret, anteà ancillam Dei me reputabam, nunc verò ex vilioribus ancillis me esse puto; in seipsa verificando, quod de Luna Sapiens inquit: *Luminare quod minuitur in consummatione*: videlicet dum plena est, minui incipit; pari modo illa se divino lumine & gratiâ plenam reperiens, minui & humiliari cœpit, unde magis posteà excrevit & exaltata est. Ea siquidem est humilitatis natura, ut ex seipsa nihil apparens, alicui tamen subjecto addita illud subitò extollit; ideò à plerisque comparata *nullo* sive o in numero, illud enim ex seipso nihil efficit, adjunctum tamen alicui numero, mirabiliter crescere facit, v.g. si numero 3. adjungam o fit 30. si alterum adjungam fit 300. & alterum 3000 facit. Pari modo humilitas reliquis virtutibus adjuncta, mirabiliter illas extollit, & ornat, efficitque ut Deus illas pluris faciat: sicut enim Deus in principio fundavit terram super nihilum, dicente Prophetâ Job: *Qui appendit terram super nihilum*: Pari modo in renovatione mundi jam labentis, super nihilum omnia constituit: *Quia respexit nihilitatem Ancillæ suæ*. Verè mirabilis humilitas, quæ super omnes elata virtutes firma consistit: non sicut homines, dignitates, honores, & favores sectando, se periculo ruinæ exposuit, sed in solida fundata humilitate, firma semper permansit.

(Lucæ 1.48. — Eccli. 43.7. — *Humilitas summè exaltatur.* — Job 26. 7. — Ubi suprà.)

*S. Paulo stimulus datus ne superbiret.* 21. Sanctus Paulus ad tertium cælum raptus remedio indiguit ne superbiret, ideò dicebat: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus sathanæ, qui me colaphizet*. Attamen beatissima Virgo licet majori privilegio, & excellentiori gratiâ fuisset decorata, nullo tamen remedio indiguit, sed propriâ humilitate se conservabat: quinimò sicut S. Paulus Angelum satanæ habuit qui illum cõtinuò vexabat, sic è contra B. Virgo Angelos habuit sibi continuò ministrantes, & excellentiam ejus prædicantes. Licet enim laus humana magnam habeat vim homines extollendi in superbia, ideò dictum: *Ante mortem ne laudes hominẽ quemquam*. Tamen

(2. Corint. 12. 7. — Eccli. 11. 30.)

*B.V. non indiguit hoc remedio.* Tamen beatissima Virgo adeò in humilitate erat fundata, ut nec laus Angelica, multò minùs humana, eam ab humilitatis proposito removere posset: sicut enim homines laudari gaudent, illa è contra tristabatur in laudibus. Refert Alexander ab Alexandro puteum aquatilem reperiri in Achaia adeò mirabilem, ut flante Austro subitò commoveatur, & undas concitet, flantibus verò aliis ventis quiescat. Huic meritò beatissima Virgo comparari potest, quæ ob insignem humilitatem puteus profundissimus nuncupari potest, qui flante vento Boreali (persecutionis nimirum sæviente procellâ) immobilis persistebat, teste S. Joanne Evangelista: *Stabat juxta crucem*; flante verò Austro vento suavi adulationis & laudis, tota conturbata manebat; ideò illam laudante Angelo, *Ave gratiâ plena Dominus tecum, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Et hæc fortè una ex causis est, cur Evangelistæ adeò parcè laudarunt beatam Virginem, ne illi occasionem præberent se conturbandi. Si homines vituperentur, vel non pro meritis laudentur, subitò conqueruntur, vindicare volunt, & injuriis alium lacescunt; non ita beatissima Virgo, sed laudata se humiliat, & vilitate suâ splendorem virtutum offuscare nititur; ita accidit dum Angelus illi felix hoc nuntium attulit: *Eccè concipies & paries Filium &c.* Statim ne superbiret humilitatem suam opposuit: *Eccè Ancilla Domini.* Videtur inter ipsos contentio aliqua fuisse, Angelus Virgini summam dignitatem jam adipiscendam exhibere cupit dicens: *Eccè concipies &c.* quasi diceret, considera benè sanctissima Virgo, quanta dignitas recludatur in hoc verbo promissionis, *Eccè concipies & paries filium*: è contra Angelo exhibet considerandam vilitatem suam, & eodem utitur loquendi modo: *Eccè Ancilla Domini*: vero etenim humili non sufficit cognoscere humilitatem propriam, sed cupit eam ab aliis cognosci.

Libro genialium dierum.

*Laudata non extollitur sed turbatur.*

Lucæ 1.28.

Lucæ 1.31.

*Cum majori gratiâ humilior facta.* 21. Sed quid mirum humilitatem Virginis cum eloquentia Angelica contendisse, si etiam cum potentia & liberalitate Dei contenderit: cùm enim proprium sit Deo humilibus dare gratiam teste Principe Apostolorũ: *Deus humilibus dat gratiam*; quantò majorem gratiam sanctissima Virgo recipiebat, tantò magis se humiliabat; Deus ergò non differebat illi dare gratiam, illa non desistebat se humiliare; sicque simul in tantum contenderunt, ut Deus resolverit de cælis descendere, ut eam omninò repleret, dicente S. Paulo: *Descendit ut impleret omnia.* Majori quoque curâ attendisse videtur, quomodo sponsam suam novâ gratiâ dotaret; ideò de persona ejus hæc verba protulit: *Soror nostra parva est ubera non habet, quid faciemus*

1. Petri 5. 6.

Ad Ephes. 4.10.

Cant. 8.8.

Deus continuò gratiâ adauxit.

*ciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.* In qua Scripturâ, duæ præcipuæ conditiones sponsæ exhibentur, quæ illam omni gratiâ & merito dignam censent: una est humilitas, quia *parva est*, videlicet in oculis propriis præ humilitate; altera est virginitas, quia *ubera non habet*: si ergò illam omnibus virtutibus modò ornari decet, quid faciendum dum per incarnationem divinam Mater Dei constituenda est; quod juxta phrasim Hebræam intelligitur illis verbis; *In die qua alloquenda est*: & septuaginta duo interpretes meliùs id proposito nostro explicant, dicentes: *Quando verbum fiet in ea*: quasi dicerent, quando hoc verbum quod ex seipso æternum est, ratione humanitatis quam in ventre beatissimæ Virginis assumet, fiet in tempore homo (quod in incarnatione factum est) qualem gratiam ipsi concedemus? quibus thesauris ditabimus? quibus gemmis ornabimus? Mirum tamen cuiquam hoc videri posset: ergóne Deus tamdiu deliberavit quid ageret? An inveniri possunt merita thesauros Dei excedentia? Certè non, infinitâ quippè sapientiâ cuncta comprehendit, & gratiarum ejus, ac thesaurorum non est finis: voluit tamen hoc modo loquendi uti, ut ostenderet merita beatissimæ Virginis omnem humanam cogitationem superare, omnesque alii thesauri (divino excepto) in comparatione meritorum ejus nihili faciendi.

Qualem gratiam in incarnatione habuit.

FINIS.

# INDEX
## LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ ab Auctore in hoc tomo explicantur, aut aliis sententiis, & discursibus exornantur, suis numeris & ordine accuratè digestus.

*Littera* d. *discursum*, p. *paginam*, n. *numerum paragraphicum indicat.*

### Ex libro Genesis.



### Ex libro Exodi.



### Ex Deuteronomio.



22.10.

22. 10. *Non arabis simul in bove & asino.* d.24.p.368.n.27.

23. 18. *Non offeres mercedem prostibuli nec pretium canis.* d.18.p.271.n.8.

Cap. Vers. Ex libro Judicum.

13. 5. *Ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum.* d.21. p. 326. n.33.

Cap. Vers. Ex libro 1. Regum.

2. 25. *Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor, & animam meam faciet.* d.4.p.58.n.16. & p.62.n.27. & seq.

5. 10. *Adduxerunt ad nos arcam Dei ut interficiat nos.* d. 4. p.62.n.26.

10. 6. *Mutaberis in virum alium.* d.16. p.244.n.6.

17. 40. *Tulit baculum suum quem semper habebat in manibus.* d.27.p.411. n.19.

Cap. Vers. Ex libro 2. Regum.

2. 14. *Extinguere quærunt scintillã meam.* d.3.p.41.n.13.

12. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum.* d.22.p.336.n.23.

19. 41. *Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda.* d.2.p.27.n.17.

23. 8. *Ipse tamquam tenerrimus ligni vermiculus in cathedra sedens.* d. 29. p. 450.n.33.

23. 16. *Numquid sanguinem virorum istorum bibam?* d. 31. p. 479. n. 25.

Cap. Vers. Ex libro 3. Regum.

18. 44. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* d.36. p.547.n.1.2.

19. 11. *Non in Spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus.* d.12.p.190.n.29.

Cap. Vers. Ex libro 1. Esdræ.

9. 3. *Scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barba, & sedi mœrens.* d. 27. p.409. n.13. & seq.

Cap. Vers. Ex libro Judith.

16 23. *Porrò Iudith universa vasa bellica &c. obtulit in anathema oblivionis.* d.22.p.333.n.17.

Cap. Vers. Ex libro Esther.

5. 12. *Regina quoque Ester nullum alium ad convivium vocavit præter me.* d.8.p.120.n 24.

Cap. Vers. Ex libro Job.

1. 14. *Boves arabant & asinæ pascebantur juxta eas.* d.24.p.370.n.29.

7. 1. *Militia est vita hominis super terram.* d.33.p.507.n.5.

9. 30. *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ.* d.18.p.278.n.19.

11. 8. *Excelsior cælo est quid facies &c.* d.36.p.546.n.1.

14. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis.* d.32.p.494.n.21.

22. 6. *Nudos spoliasti vestibus.* d. 21. p. 321.n.19.

38. 35. *Numquid mittes fulgura & ibunt, & revertentia dicent tibi ecce adsumus.* d. 19. p.293. n.3.

39. 26. *Numquid per sapientiam tuam plumescit Accipiter expandens alas suas ad austrum.* d.31. p.469. n.3.

41. 15. *Cor ejus indurabitur quasi lapis.* d.16. p.246. n.8.

Psal. Vers. Ex libro Psalmorum.

2. 9. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.* d.13. p.266. n.2.

3. 1. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me &c.* d. 20. p. 311. n.35.



Digitized by Google

Ex libro Sapientiæ.



Ex libro Ecclesiastici.

Cap. Verf. Ex Evangelio S. Marci.



Cap. Verf. Ex Evangelio S. Lucæ.

*vobis.* d. 32. p. 497. n. 26.
15. 17. *Hæc mando vobis ut diligatis invicem.* d. 25. p. 384. n. 34.
19. 19. *Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam.* d. 1. p. 12. n. 17.
19. 34. *Vnus militū lanceâ latus ejus aperuit.* d. 1. p. 8. n. 11. & d. 31. p. 476. n. 17.
20. 27. *Noli esse incredulus sed fidelis.* d. 31. p. 473. n. 12.
20. 28. *Quia vidisti me Thoma credidisti.* d. 31. p. 473. n. 11.
20. 29. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* d. 31. p. 475. n. 15.
21. 19. *Dixit Iesus Petro sequere me.* d. 6. p. 93. n. 32.

Cap. Verſ. Ex actibus Apoſtolorum.

1. 11. *Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cælum* d. 11. p. 164. n. 19.
1. 21. *Oportet ex his viris qui congregati sunt nobiscum in omni tempore.* d. 4. p. 56. n. 10. & p. 60. n. 23.
1. 24. *Ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus. &c.* d. 4. p. 57. n. 15.
4. 3. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* d. 12. p. 192. n. 34.
6. 9. *Nō poterant resistere sapiētiæ & spiritui qui loquebatur.* d. 33. p. 510. n. 8
7. 55. *Cùm esset plenus Spiritu sancto.* d. 33. p. 512. n. 12.
7. 55. *Video cælos apertos & Iesum stantem à dextris Dei.* d. 33. p. 515. n. 18. & p. 508. n. 6. & seq.
7. 59. *Positis genibus clamavit voce magnâ.* d. 33. p. 513. n. 15.
9. 6. *Domine quid me vis facere.* d. 3. p. 42. n. 16. & seq.
9. 7. *Stabant stupefacti, audientes quidem vocem &c.* d. 3 p. 44. n. 20. & seq.
10. 14. *Quod Deus purificavit tu commune ne dixeris.* d. 22. p. 339. n. 29.
17. 18. *Quidam autē Epicurei & Stoici disserebant cum eo.* d. 28. p. 426. n. 16.
17. 18. *Non longè abest ab unoquoque nostrûm in ipso vivimus &c.* d. 14. p. 227. n. 28.

Cap. Verſ. Ex Epiſtola ad Romanos.

1. 18. *Iustus autem ex fide vivit.* d. 34. p. 531. n. 25.
1. 18. *Veritatem Dei in injustitiâ detinet.* d. 34. p. 531. n. 26.
9. 28. *Verbum abbreviatum faciet Dominus.* d. 14. p. 221. n. 19.

Cap. Verſ. Ex Epiſtola 1. ad Corinthios.

1. 18. *Si quis inter vos videtur sapiēs in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.* d. 8. p. 117. n. 18. & d. 34. p. 528. n. 20.
2. 4. *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis.* d. 29. p. 444. n. 15.
7. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* d. 18. p. 267. n. 2.
7. 14. *Sanctificatur vir infidelis, per mulierem fidelem.* d. 5. p. 68. n. 4.
9. 24. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit braviū &c.* d. 26. p. 391. n. 10.
11. 29. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* d. 1. p. 13. n. 20.
13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* d. 13. p. 199. n. 7. & d. 34. p. 526. n. 16.
15. 10. *Abundantiùs omnibus laboravi.* d. 24. p. 366. n. 24.
15. 18. *Novissimè autem omniū tamquam abortivo.* d. 3. p. 49. n. 31.
15. 155. *Vbi est mors stimulus tuus, ubi est mors victoria tua.* d. 6. p. 94. n. 33.

Cap. Verſ. Ex Epiſtola 2. ad Corinthios.

2. 25. *Christi bonus odor sumus &c.* d. 2. p. 21.

SERIES

# SERIES ALPHABETICA
## RERUM OMNIUM AC CONCEPTUUM

In hoc opere contentorum, suis titulis & numeris singula adeò accuratè digesta, ut facillimè etiam minima reperiri possint.

*Littera* d. *discursum*, p. *paginam*, n. *numerum paragraphicum indicat.*

# A

In morte Deus haberi voluit. *d.* 23. *p.* 355. *n.* 33.
Persarum victor, à deliciis & moribus eorum devictus. *d.* 25. *p.* 338. *n.* 17.
In Persiâ solus regnare voluit. *d.* 25. *p.* 382. *n.* 27.
Corvi ipsi iter monstrarunt. *d.* 26. *p.* 363. *n.* 3.
Ejus mira liberalitas erga milites. *d.* 30. *p.* 463. *n.* 27.
Maximè gavisus dum omnem exercitum Darii oppugnare posset. *d.* 33. *p.* 507. *n.* 5.
Dum Terpander cytharam pulsaret è mensa surgebat. *d.* 33. *p.* 516. *n.* 18.

*Ambire, Ambitio.*

Hujus sæculi ambitio. *d.* 4. *p.* 60. *n.* 21.
Multi ambiunt dignitates propter lucra, probatur exemplis *d.* 4. *p.* 60. *n.* 22
Prælatus non debet esse ambitiosus. *d.* 4. *p.* 6. *n* 24.
Ambitio maximè detestãda. Ibid. *n.* 5.
Tempore tribulationis nullus ambiebat dignitates. *d.* 4. *p.* 62. *n.* 26.
Ambitiosi similes vaporibus à Sole attractis. *d.* 19. *p.* 290. *n.* 18.

*Amans.*

Mille modis amorem indicare novit. *d.* 14. *p.* 217. *n.* 13. & seq.
Zelotypus variis modis exquirit amorem dilectæ. *d.* 14. *p.* 227. *n.* 28.
Semper amatæ adesse cupit. Ibid. *n.* 29.

*Amor.*

Magi solo amore incitati Christum quærunt. *d* 2. *p.* 34. *n.* 29.
Amor omnia vincit. *d.* 2. *p.* 35. *n.* 30. & *d.* 24. *p.* 366. *n.* 21.
Quis summus amoris gradus. *d.* 2. *p.* 35. *n.* 30.
Amor mille modis frui amata desiderat. *d.* 14. *p.* 217. *n.* 13. & seq.
Spiritus sanctus amor est, & duo genera amoris producit. *d.* 12 *p.* 193. *n.* 37
Amor non quærit quæ sua sunt. *d.* 17. *p.* 258. *n.* 1.
Amoris symbolum myrtus. *d.* 23. *p.* 350. *n.* 22.
Amor ex speciali pulchritudine dilectæ procedit. *d.* 34. *p.* 530. *n.* 24.

*Amor divinus.*

Mirabiles inventiones amoris divini. *d.* 14. *p.* 217. *n.* 7. & seq.
Amor divinus imitatur amorem mundanum. *d.* 14. *p.* 217. *n.* 13.
Quantus excessus amoris divini in B. Virgine. *d.* 36. *p.* 555. *n.* 14.
Exercitus amoris divini in B. Virgine ordinatus. Ibid. *n.* 15.
B. Virgo pari amore correspondit. Ibid.
Cunctos amore divino inflammare potest. *d.* 36. *p.* 557. *n.* 16.
Amor divinus benè ordinatus. Ibid.
In amore divino B. Virgo omnes præcellit, ideò fert vexillum amoris. *d.* 36. *p.* 557. *n.* 17.

*Anastasius Imperator.*

Qualiter à fulmine occisus. *d.* 19. *p.* 286. *n.* 7.

*S. Andreas.*

Crucem semper amavit, & adoptavit. *d.* 29. *p.* 441. *n.* 11.
Cur tam hilariter crucem amplexus. *d.* 29. *p.* 442. *n.* 12.
Amore Crucis captus fuit. Ibid.
Cur non contulerit secum retia. *d.* 29. *p.* 443. *n.* 13.
Ex puro corde ad Deum conversus. *d.* 29. *p.* 444. *n.* 16.
Etiam desideria habendi reliquit *d.* 29. *p.* 445. *n.* 19.
Quam pulchritudinem in Cruce attendebat. Ibid. *n* 20.
Christus ut magnes S. Andream attraxit. *d.* 29. *p.* 446. *n.* 21.
Crucem ut currum triumphalẽ ascendit. *d.* 29. *p.* 446. *n.* 22. 23.
Sanctus Andreas Christo comparatus. *d.* 29. *p.* 447. *n.* 25.
Cur Christus crucem timuit, & sanctus Andreas hilariter suscepit. Ibid. *n.* 26 & seq.
Christus infirmitatem Sancti Andreæ assumpsit, & ei suam virtutem tribuit. *d.* 29. *p.* 449. *n.* 30.
Virtute Christi non timuit mortem. *d.* 29. *p.* 450. *n.* 32.
Cur sanctus Andreas de Cruce deponi noluit

noluit, & tres de pueri fornace ignis subitò exierunt. d. 19. p. 452. n. 37.

*Angelus.*

Cur in somno S. Josepho apparuit. d. 5. p. 71. n. 8.
Aliqui sunt assistentes, aliqui ministrantes. d. 5. p. 77. n. 17. & d. 17. p. 259. n. 9.
Angelorum lætitia in Resurrectione. d. 6. p. 85. n. 16. & seq.
Omnes Angeli Christo occurrerunt. d. 6. p. 87. n. 18.
Cur Angeli in sepulchro sederint. d. 6. p. 87. n. 20.
Angeli post Resurrectionem hominum socii. d. 6. p. 88. n. 20.
Angelorum velocitas in obediendo. d. 9. p. 132. n. 18.
Angelorum admiratio in Ascensione unde orta. d. 11. p. 164. n. 19.
Noluit Christus ab Angelis portari sed associari. d. 11. p. 165. n. 21.
Quanta Angelorum lætitia in Ascensione. d. 11. p. 170. n. 30.
Angeli quomodo cognoscant mysteria cælestia. d. 17. p. 259. n. 9.
Sanctus Paulus Angelorum magister. d. 17. p. 262. n. 13.
S. Maria Magdalena septies ab Angelis in cælum delata. d. 18. p. 280. n. 23.
S. Laurentius in tormentis inter Angelos versabatur. d. 20. p. 311. n. 35.
Utrùm oculis corporeis viderit Angelum. Ibid. n. 36.
Omnes boni Angeli contra luciferum præliati. d. 23. p. 343. n. 35.
Supremi Angeli extraordinariè mittuntur. d. 23. p. 344. n. 5.
Angeli antiquitùs duobus capitibus pingebantur. d. 23. p. 345. n. 5.
Ab Ezechiele quatuor faciebus figurati. Ibid.
Per aquas supra cælos Angeli intelliguntur. d. 23. p. 347. n. 12.
Cur Angelus inter myrtera apparuit, & Deus inter spinas. d. 23. p. 350. n. 19.
Angeli animabus devotis assistere gaudent. Ibid. n. 21.
Angeli promptissimi ad defensionem nostram. d. 23. p. 152. n. 26.
Pro nobis diabolos impugnant. Ibid. n. 27.
Angeli sunt equitatus Dei. d. 26. p. 391. n. 8.
Angeli avibus similes. d. 28. p. 423. n. 8.
Virginitas similis Angelis. d. 28. p. 423. n. 8
Angeli aves liberæ. Ibid.
Cur Angeli corpus S. Catharinæ in Sinai monte sepelierunt. d. 28. p. 432. n. 29. & seq.
Cur Angelus in forma gigantis apparuit. d. 30. p. 461. n. 20.
Angelus admiratur Christi Nativitatem. d. 32. p. 495. n. 22.
Quomodo Angeli pacem annuntiant in Christi Nativitate. d. 32. p. 497. n. 25. 26.
Angeli propter excellentiam Beatæ Virginis ipsis revelatam contra Deũ rebellarunt. d. 36. p. 550. n. 7.
Angelus Gabriel Beatam Virginem primus ut Dominam agnovit. Ibid.
Angeli ratione Beatæ Virginis humano generi cedere debent. Ibid. n. 8.
Admiranda luctatio Angeli cum Patriarcha Jacob. d. 36. p. 551. n. 8.
Cur Angelus adveniente aurorâ discessit. Ibid.
Disputatio Angeli cum homine de præcedentia. d. 36. p. 555. n. 8.
Angeli unico momento tantùm meruerunt, quàm multi sancti in tota vita. d. 36. p. 555. n. 13.

*Antigonus Rex.*

Uno oculo privatus ingeniosè ab Apelle depictus fuit. d. 22. p. 332. n. 14.
Acutum responsum comico dedit. d. 12. p. 182. n. 14.

*Apis.*

Descriptio apis. d. 2. p. 18. n. 1. & seq.
Utrùm mel conficiat vel solùm colligat. d. 2. p. 19. n. 1. & seq.
Non nocet floribus. d. 2. p. 20. n. 4.
Tres Magi apibus in omnibus similes. d. 2. p. 21. n. 7. 8.
Apis obedientiæ symbolũ. d. 2. p. 22. n. 7.
Viventi aculeum infigens, illum perdit.

Optimè

Dddd *Astrologi.*

Camby-

*Christi Nativitas.*

Se

Cur

Croco-

# F

Dia-

Pyrausta

Milo

Porco

*Navis*

# O



Homo

Marty-

*S. Philippus.*



*Philosophi.*

Christo sicut Regina Saba attulit cùm inde venirent. d. 2. p. 30. n. 23.
In donis Reginæ Sabæ figurata antiquitas. d. 2. p. 30. n. 23.

*Regulus.*

Ex reliquiis inter dentes Crocodili repertis intrepidè pascitur. d. 20. p. 298. n. 1.
Crocodilum à morte liberat. d. 20. p. 299. n. 2.
Cum Aquila de regno contendit, ideo Regulus dictus. Ibid. n. 3.
Ex compositione corporis rex apparet. Ibid. n. 4.
Non facilè capitur. Ibid. n. 5.
Inimicissimus buboni. Ibid.
Solus semper manet, nisi in hieme quandoque. d. 20. p. 300. n. 5.
Suaviter in hieme & æstate cantat. Ib. n. 6.
Neminem timet. Ibid.
Femellæ separatim degunt. Ibid.
Mors Cæsaris à Regulo augurata. Ibid. n. 8.
Igni in veru appositus videtur se movere. Ibid. n. 9.
Symbolum est afflicti. d. 20. p. 301. n. 10.
S. Laurentius regulo in omnibus similis. d. 20. p. 301. n. 11. & seq.

*Religiosus.*

In sacrificio Abrahæ figuratus. d. 27. p. 410. n. 15.
Status religiosus in Esdra figuratus. Ib.
Religiosus omnem affectum mundanum abdicare debet. d. 27. p. 411. n. 17.
Per votum libertati renuntiat. Ibid.
Quidam religiosus falsa veste à diabolo deceptus, à S. Martino liberatus fuit. d. 27. p. 415. n. 30.

*Rete.*

Cur Petrus & Andreas non contulerint retia dum Christum sequerentur. d. 29. p. 443. n. 13.
Concionatores non debent retia circumferre. Ibid.
Speciosa verba mulierum vocantur retia. Ibid. n. 14.
Retia sunt concupiscentiæ, quibus homo facilè utitur. d. 29. p. 445. n. 19.

*Revelatio Revelare.*

Christus per revelationem primò cognitus. d. 2. p. 24. n. 13.
Revelatio nō omnibus conceditur. Ib.
Christus thesaurus omnibus revelatus. d. 2. p. 26. n. 16.
S. Trinitas in antiquo testamento obscurè revelata. d. 13. p. 205. n. 21.
Patribus antiquis à Deo revelata. d. 13. p. 205. n. 21.
Ejus revelatio non hæresim causavit, sed omnes hæreses ab Ecclesia profligavit. d. 13. p. 208. n. 29.
Revelatio Trinitatis maximum beneficium. d. 13. p. 209. n. 30.

*Rex.*

Rex Christus quomodo differat à rege terreno. d. 2. p. 27. n. 17.
Quomodo intelligatur furari regem. Ibid.
Cur tres Reges non detenti aut impediti ab Herode. d. 2. p. 28. n. 19.
Cur quærentes Regem, puerum invenerunt in sinu matris. d. 2. p. 28. n. 20. & seq.
Quæ dona acceperunt, & obtulerunt hi reges. d. 2. p. 29. n. 22. & seq.
Quomodo Magi nato Regi mortem annuntiant, & non fausta acclamant. d. 2. p. 31. n. 24. & seq.
Christus in vita noluit appellari Rex, sed benè in morte. d. 2. p. 32. n. 25.
Reges Indiæ avem paradisi capiti imponebant pro felici augurio. d. 15. p. 233. n. 3.
Reges Numidiæ neminem ad osculum admittebant. d. 19. p. 296. n. 29.
Rex quidam Atheniensis morte sua victoriam obtinuit. d. 29. p. 449. n. 30.
Reges variis honoribus suos afficere solent. d. 33. p. 312. n. 13.
Reges in bello privato militi se dedere nolunt. d. 34. p. 530. n. 23.
Diversa habent palatia pro temporum diversitate, sic Christus diversa loca quiescendi. d. 34. p. 533. n. 29.

*Speculum.*



*Spiritus Sanctus.*

FINIS.

Digitized by Google